Ad simpliciter usum P. Fr. Nicolai Cisini
a Valentano Min: Obs: 1848.

D. THOMAE DE AQVINO DOCTORIS ANGELICI SERMONES

VALDE PII ET DOCTI PRO DOminicis & festiuis diebus ex bibliotheca Vaticana nunc primum in lucem editi.

ADDITVM EST EXIMIVM OPVSCVLVM de Venerabili Sacramento Altaris,

Cum eorum Indicibus.

CVM PRIVILEGIO



ROMAE,

Apud Iulium Accoltum. 1571.

AD LECTOREM.

SICVT profluens amnis, qui suo cursu, intra proprios conclusus terminos, terras irrigat: sensim quandoq; à latere utroq; rumpens, ex limpida aqua, perlucidoque liquore, riuulos quosdam facit suis alueolis, secundum terræ eorum descensum, & concauitates, ornatos; quibus nec commodius aliquid, nec certe gratius, iter agentibus, uiarum fastidio, æstu, ac siti lassis, occurrere solet; ne in profundi fluminis fidem (cuius altæ ripæ haud facile creditur) sic se, fessi, debilesq; committant: ita copiosus, ac doctrinarũ abundans fluuius, Angelicus Diuus Thomas de Aquino, ab altissimis quandoque contemplationibus; quasi a materno alueo abducens animum: nitidiora quædã æstuantibus animis, mira suauitate, perlucidum suæ doctrinæ liquorẽ fundebat, opuscula edebat, sermones annuos conficiebat: ut lassis animo, mentisq; aciem fusius, atq; ita latius figere nõ ualentibus, spiritualem, ac dulcem liquorem offerret; unde laxarentur animi, atq; his studijs, pijs iocundarentur affectibus. Inter quos suos plerosq; labores, hos tibi, candide lector, Vaticana bibliotheca, nuperrime in ea repertos Sermones nunc primum en tradit: antiquitus tamẽ summa diligentia cõseruatos; quippe quos sanctissimi ipsius Doctoris propria plurimis in locis notatos manu, animaduerterat. Breues ij inquam sunt: at quàm certe facillimi: unde nec obscuritate desperes: nec inanium uerborum flumine cõturberis. His grauissima quædã eiusdem gloriosi Doctoris Opuscula addidimus: ut & quoq; uarietate delecteris. Vale igitur: & te attentum passim præbe lectorem: qualem se omnibus Author ipse & utilem, & præclarum.

MOTV proprio &c. Cum dilecti filij Vincentius tunc in minoribus existens ordinis prædicatorum sancti Dominici Magister, nunc uero S. R. E. Cardinalis Iustinianus nuncupatus, dicti ordinis ex dispensatione nostra usq; ad futuri Magistri generalis electionem Vicegeneralis, & Thomas Manriq; sacri nostri Palatij Apostolici magister, omnia opera in sacra Theologia, & Philosophia commẽtaria beati Thomæ Aquinatensis dicti ordinis professoris in unum collecta, & maximis diligentia, & studio accurate reuisa, atq; erroribus expurgata, & emendata, eorum & dicti ordinis propria impensa in cõmune commodum, & Christianæ religionis augmentum, & utilitatẽ, nec sine maximo eorũdem labore nuper in alma Vrbe imprimi fecerint & curauerint: Nos attendentes quod dicta opera & commentaria, in sacra Theologia præsertim, ita accurate & tanto labore erroribus expurgata, si in futurum ab alijs & alibi imprimerentur, posse pluribus erroribus, & apostillis etiã ab orthodoxa fide deuiantibus, denigrari, prout præteritis temporibus, cum impressorũ incuria, tum etiã ab orthodoxa fide deuiantium malitia, in imprimendis aliorũ sanctorũ patrũ Sacræ Theologiæ operibus, & cõmentarijs accidisse cõperimus; quæ in hisce operibus beati Thomæ ne contingant prouidere uolẽtes, ac etiã labori dictorũ Vincentij & Thomæ dictiq; ordinis honori in præmissis opportune consulere cupientes, Motu simili ex certis nostris scientia & uoluntate, ne opera, seu commentaria ipsa, a quoquam cuiuscũq; dignitatis gradus, ordinis, uel conditionis, seu præeminentiæ existente, quocũq; tempore sine ipsius Thomæ Manrique de præsenti, & pro tẽpore dicti sacri nostri Palatij Apostolici magistri existentis, expressa licentia imprimi aut uendi, seu uenalia teneri possit, decernimus, prohibemus & mandamus. Inhibentes propterea oĩbus, & singulis Christi fidelibus tam in Italia, quàm extra Italiam, & in quacũq; mundi parte existentibus, præsertim Bibliopolis, seu librarijs librorum Impressoribus, & mercatoribus in Virtute sanctæ obedietiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ, in terris uero S. R. E. mediate uel immediate subiectis amissionis librorum, ac mille ducatorum auri de Camera, pro dimidia Cameræ Apostolicæ & pro alia dimidia dicto ordini applicandorum pœnis, per eos, & alios quoscũque cuiuscũq; status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis & præeminentiæ existentes, eisq; auxilium, consilium, & fauorem præstantes & talia facientes, tacentes, & non reuelãtes, quoties id fecerint, ipso facto, & absq; alia declaratione in currendis dicta opera, seu commentaria in quacũq; forma alicubi (per decennium a data præsentium computando) imprimere, nec per quosuis impressa uendere, seu uenalia habere, proponere, uel retinere sine dicti Thomæ Manrique seu pro tẽpore existentis, dicti sacri Palatij Apostolici magistri, ut præfertur, expressa licentia, audeant uel præsumant: decernentes insuper, & mãdantes quod si aliquo tempore in futurum, opera, & commẽtaria ipsa ex quacũq; dispensatione siue licentia præmissa a quoquã imprimi contigerit, non nisi secundum exemplar impressionis prædictæ, ut præfer-

tur, per dictos Vincentium Cardinalem & Thomam magistrũ factæ, imprimi possint, & aliter impressa per fratres dicti ordinis prædicatorum haberi, retineri, legi, nec uti sub eisdem pœnis, etiam eo ipso incurrendis, nequeant quouis prætextu, sicq; per quoscũq; Indices & sanctæ Rom Eccl. Cardinales & dicti Palatij nostri causarum Auditores &c. iudicari & sublata &c. irritum quoq; &c. uolumus, & decernimus. Mandantes propterea uniuersis Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorũ Ordinarijs, eorumq; Vicarijs in spiritualibus, ac officialibus, generalibus, & in statu temporali S. R. E. legatis, Vicelegatis nostris, & pro tẽpore Rom. Pontificis, siue dictæ sedis, ac ipsius status Gubernatoribus, & Locatenẽtibus, cæterisq; officialibus, & iustitiæ ministris, ut quoties pro præsentium obseruatione, & adimplemẽto, siue executione fuerint requisiti, in eisdem efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Decretum, Inhibitionem & mandatum nostrum huiusmodi inuiolabiliter obseruari, necnon omnes, & singulos in præmissis, seu aliquo eorundem contrauenientes dictas excommunicationis, & alias pœnas prædictas incurrisse declarent, & pro talibus, & ut tales excommunicatos nuntiari in eorũdem Ecclesijs, & locis publicis respectiue mandent & faciant. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas etiam sæpius aggrauando, & reaggrauando, interdicendo, & alijs iuris, & facti remedijs &c. compescẽdo, inuocato etiam (si opus fuerit) ad hoc auxilio brachij sæcularis, nõ obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis, legibus, & consuetudinibus, etiam si alicui ꝙ excommunicari seu interdici non possit, nisi per literas de eorũdem indulto ad uerbum plenam mentionem facientes, per Sedem Apostolicam cõcessum fuisset, necnon Bonifacij Papæ V I I I. prædecessoris nostri, de una, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo non ultra tres, necnon Cancellariæ nostræ Apostolicæ Regulis, & alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunq;. & quia difficile foret huiusmodi nostri Motus proprij Originale ad quælibet loca deferri, Volumus, & eadem auctoritate decernimus ꝙ trãsumptis, uel exemplis ipsius, etiam in ipsis operibus impressis, plena, & eadem prorsus fides adhibeatur & ubique in iudicio, & extra illud, fidem faciat, ac se præsens originale exhiberetur, & ꝙ præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, & sine registratura & Cancellariæ regulis contrarijs, in aliquo non obstantibus.

Placet, Motu proprio. M.

Datum Romæ Apud sanctum Petrum, decimo octauo Kalendas Decembris. Anno Quinto.

INDEX SERMONVM DOMINICALIVM.

De

Index Sermonum de Sanctis iuxta eundem Ecclesiæ usum.

In-

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A

Angeli

Christus

Deum

D

Sancti

Vocari

Summarium capitulorum, seu sermonum de uenerabili Sacramento Altaris.

FINIS.

DIVI
THOMAE AQVINATIS,
DOCTORIS ANGELICI,
SERMONES

Pro Dominicis diebus, & pro Sanctorum solẽnitatibus, qui ex Bibliotheca Vaticana nunc primum in lucẽ prodeunt.

Dominica prima in aduentu Domini ex epistola.

DIES autẽ appropinquauit, Rom. 13. Potest intelligi hoc verbũ de quadruplici die. Quadruplex n. dies appropinquauit, dies misericordiæ, dies gratiæ, dies iustitiæ, & dies gloriæ. Hos quatuor dies facit sol iste, cuius aduentum sancta modo colit Ecclesia. Dies misericordiæ est dies natalis Domini, in quo ortus est nobis sol iustitię: vel verius qui fecit tã gloriosum diem: dies gratiæ, est tempus gratię: dies iustitię, est dies iudicii: dies gloriæ, est dies æternitatis. De primo: dicitur Ioel. 3. In illa die stillabunt mõtes dulcedinem. De secundo. 2. Corint. 6. Ecce nũc dies salutis. De tertio, Sophoniæ. 1. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis. De quarto, Zachariæ. 14. Erit dies vna, quæ nota est Domino. psalm. 73. Melior est dies vna in atriis tuis super milia. Dies natalis appropinquauit, vt deuote celebretur, vel colatur: dies gratiæ, vt suscipiatur: dies iudicii, vt timeatur: dies gloriæ, vt ad eum curratur. Propter primum frequentat Ecclesia, Dominus prope est, Phil. 4. Isa. 56. Iuxta est salus mea vt veniat. De secundo, 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile. De tertio, Iaco. 5. Ecce iudex ante ianuã assistit. De quarto,

to, Apoc. vltimo. Ecce venio cito, & merces mea mecum est &c. Diei natalis Domini debemus occurrere cum miseri cordia & veritate. His duab⁹ vijs venit Christus ad nos, & nos debemus ire ad eum. psalm. 24. Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Diei gratiæ cum puritate & humili tate: hæc enim duo maxime faciunt susceptibilem gratia. De primo, Prou. 22. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. De secũ do, Iac. 4. Humilibus autem dat gratiam. Diei iudicii cum cõgitatione & timore. Hieron. Siue comedam, siue bibam, illa vox in auribus meis semper videtur resonare. Surgite mortui, venite ad iudicium. Dicitur econtra de malis. Viri mali nõ cogitant iudicium, prouer. 28. Diei gloriæ debemus occurrere cũ iustitia & festinatione Heb. 4. Festinem⁹ ingre di in illã requiem. Ad ista quatuor hortatur nos Apostolus in epistola ista. Ad misericordiam & veritatem, ibi. Induamur arma lucis. Arma lucis sunt misericordia & veritas. Misericordia enim est scutũ, quo ab hostibus defendimur: veritas est virtus, qua omnia vincimus. De primo, Ecclesiasti. 29. Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit, & postea resurget, & retribuet illis retributionem vnicuique in caput illorum. Super scutum potentis, & super lanceam pugnabit aduersus inimicum tuum. De secundo, 3. Esdræ. 4. Magna est veritas, & præualet: magna est, & fortior præ omnibus. Omnis terra ueritatem inuocat, cælum etiam ipsam bene dicit, & omnia opera mouentũr & tremunt propter eam, & non est cum ea quicquam iniquum. Vinum iniquum, iniquus rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filii hominum, & iniqua omnia illorum opera, & non est in ipsis ueritas, & in sua iniquitate peribunt, & ueritas manet. Ad puritatem & humilitatem, ibi. Non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione. Cubilia & impudicitiæ sunt actus luxuriæ, qui immundum faciunt. Contentio & æmulatio procedunt a superbia: prohibẽdo impudicitiam, suadet puritatem: prohibẽdo superbiam, suadet humilitatem. Ad cogitationem & timorem iudicii, ibi. Sicut in die honeste ambulemus, hoc est, ita viuamus, sicut condecet in

die

die iudicii. Est homo in iudicio cogitando iudicium, honeste viuit iudicium formidando. Ad iustitiam & festinationem, ibi. Hora est iam nos de somno surgere: & ideo festinandum a somno peccati surgerē ad iustitiam faciendam: & reddit ibi rationem. Nunc enim propior est nostra salus, Ad quam nos conducat &c.

Sermo de eadem de quadruplici die.

DIes autē appropinquauit, Rom. 13. Est enim quadruplex dies, scilicet dies misericordiæ, dies gratiæ, dies iudicii, & dies gloriæ. Primus dies admirabilis, secuudus acceptabilis, tertius formidabilis, quartus desiderabilis. Dies misericordiæ, idest, dies natalis Domini admirabilis est, quia Deus humanatur, homo deificatur, uirgo prole fœcundatur. De primo, Phil. 2. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinauit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. De secundo, Rom. 9. Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen. &c. De quibus duobus August. Hodie Deus factus est homo, ut homo fieret Deus. De tertio, Isa. 7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Dies gratiæ est acceptabilis, quia ab unde Dei gratia diffunditur, potestas diaboli tollitur; & uirtus peccati extinguitur: & ideo patet quòd homo facile & sine impedimento potest seruire Deo. De primo, Tit. 2. Apparuit gratia Saluatoris nostri Dei. De secūdo, Heb. 2. Vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, idest, diabolū. De tertio, Rom. 6. Vetus homo noster crucifixus est, ut destruatur corpus peccati. Dies iudicii est formidabilis malis, quia districte a iusto iudice iudicabuntur, quia ab omni creatura impugnabūtur, & quia æterno supplicio damnabuntur. De primo, Prou. 6. Zelus, & furor uiri non parcet in die uindictæ. De secundo, Sap. 5. Armabit creaturam ad ultionem inimicorum &c. De tertio, Iudit. 16. Visitabit eos, & dabit ignes & uermes in carnes eorum. Mat. 25. Et dicet his qui a sinistris

eius erunt. Discedite a me maledicti in ignē æternum &c.
Dies gloriæ est desiderabilis, quia cælum restauratur, homo beatificatur, & omnis creatura præter impios renouabitur. De primo, Eph 1. In quo proposuit restaurare uniuersa siue quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso, idest, in Christo.psal.109.Iudicabit in nationibus, impleuit ruinas &c. De secundo, Phil.3. Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. De tertio, Apoc.21. Et dixit qui sedebat in throno. Ecce noua facio omnia. Est ergo dies ille desiderabilis angelis, & hominibus, & omnibus creaturis, Ad quam diem nos perducat qui uiuit in sæcula sæculorum, Amen.

De eadem epistola

INDVAMVR arma lucis. Ro. 13. Dominus noster Iesus Christus assumpsit arma sua, & uenit in mundum pugnaturus pro nobis contra aereas potestates. Isa.59. Indutus est iustitia ut lorica:& quia indecorum est rege armato milites remanere inermes, Apostolus monet ut armemur. Induamur, inquir, arma lucis. Facit autem tria in his uerbis Apostolus. Primo, ut induamur præcipit: secundo, quid debeamus induere ostendit: tertio, motiuum subiungit. Primum ibi, Induamur: secundum, ibi. Arma: tertium, ibi. Lucis. Circa primum sciendum est quòd debemus nos induere propter quinque Primo, ne perpetuo frigore affligamur: secundo, ne turpitudinis ostensione confundamur: tertio, ne ab æternis nuptiis excludamur: quarto, ut ab ictibus diaboli protegamur: quinto, vt a domini exercitu cognoscamur. Istæ rationes redduntur in textu. De primo, & secundo Apoc.16. Beatus qui custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, quo ad primum:& uideant turpitudinem eius, quo ad secundum. De tertio, Math.22. Amice, quomodo huc intrasti non habens uestem nuptialem? De quarto, Eph.6. Accipite armaturam Dei ut possitis resistere in die malo, & ĩ omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos ue-

ftros in ueritate induti loricam iuftitiæ, & calciati pedes in præparationem euangelii pacis, in omnibus fumentes fcutum fidei, & galeam falutis affumite, & gladium fpiritus, quod eft uerbum Dei. De quinto, Col. 3. Induite uos ficut electi Dei fancti & dilecti, uifcera mifericordiæ benignitatem, humilitatem, modeftiam, patientiam &c. Circa fecundum fciendum eft, quòd plura fcriptura docet nos induere. Primo, ueftimentum innocentiæ. Apoc. 3. Veftimentis albis induemur, ideft, innocentia. Secundo, uifcera mifericordiæ. Col. 3. Induite uifcera mifericordiæ, benignitatē &c. Tertio, Chrifti conformitatem. Ro. 13. Induimini Dominum Iefum Chriftum. Quarto, conuerfationis nouitatem. Eph. 4. Induite nouum hominem, ideft, nouam conuerfationem. Quinto, cilicii afperitatem quo ad carnis macerationem. pfal. 34. Induebar cilicio. Sexto, debemus indui fubtilibus per humilitatem. Eze. 16. Induite fubtilibus. 1. Reg. 18. Ego fum uir pauper & tenuis. Septimo, faccum per habitus utilitatem, Ifa. 1. Induam cælos tenebris, & ponam faccum eorum. Octauo, armorum fpeciofitatem, de quo hic induamur arma lucis. Circa arma ifta fciendum, quòd ficut dicit Scriptura, debemus indui loricam charitatis, fcutum fidei, galeam fpei, thoracem iuftitiæ. Fide debemus indui ad munimentum rationalis, fpe ad munimentum irafcibilis, charitate ad protectionem concupifcibilis, iuftitia ad protectionem totius animæ. De primis tribus armis. 1. Tim. 4. Induti loricā iuftitiæ 1. Mac. 3. Induit fe loricā ficut gigas, & fuccinxit fe arma bellica. Sap. 5. Induit pro thorace iuftitiam. Oftendit ergo hic quid induere debeamus. Motiuum ad hoc quod ponit, ibi. Lucis. i. Chrifti. Quis non libenter indueret arma domini fui? quanto magis debemus induere arma cæleftis & æterni regis? Dicitur autem Chriftus lux propter fex effectus lucis, quorum primus eft illuminatio, fecundus fœcundatio, tertius conferuatio (eft enim lux conferuatiua) quartus ornatio, quintus ordinatio. De his duobus, Dionyfius, Corpus inordinatum ordinat & ornat, fextus fui effufio. Lux enim eft fui diffufiua per radios, hæc omnia fecit nobis Chriftus. *Quære in proceßu de lumine in Natiuitate*. Induamur ergo arma

lucis, ut bene triumphantes æternaliter tandem a rege nostro coronemur.

De eadem ex euangelio.

ECCE rex tuus uenit tibi mãsuetus, Matth. 21. Prophetia est de aduentu Domini nostri Iesu Christi. Et nota hic circa aduentum tria. Primo, est dignitas aduenientis: secundo, utilitas aduentus: tertio, modus adueniendi. Primum, ibi. Rex tuus, rex clemens, rex iustus, rex sapiens, rex terribilis, rex omnipotens, rex æternus. Rex clemens in parcendo, iustus in iudicando, bonus in retribuendo, sapiens in gubernando, omnipotens in bonos protegendo, terribilis in malos puniendo, æternus æternaliter regnando, & regnum æternum conferendo. De primo, Isa. 16. Et præparabitur in misericordia solium eius. De secundo, Isa. 34. Ecce in iustitia regnabit rex. Idem 16. Sedebit super solium excelsum Dauid in ueritate. De tertio, psal. 72. Quam bonus Israel Deus iis qui recto sunt corde. Diony. Optimi est optima adducere, unde optimitas eius apparet, quia optima adduxit. De quarto, Hier. 23. Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit. De quinto, Hest. 13 Domine Deus, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita. De sexto, Sap. 11. Illos autem tamquàm durus rex interrogans condemnasti. De septimo, Hier. 10. Dominus autem Deus ipse est, Deus uiuens & rex sempiternus. Luc. 1. Et regni eius non erit finis: ideo optimum est subesse tali regi. De his septem. 2. Mach. 1. Domine Deus omnium creator, terribilis & misericors, solus bonus, rex iustus, omnipotens & æternus. In creatore sapientia, in misericorde clementia, in bono bonitas, in iusto iustitia, in terribili seueritas, in potente potentia, in æterno æternitas. Hic rex est qui uenit tibi, i. ad utilitatem tuam. Vtilitas ergo aduentus notatur hic, Venit tibi. Fuit autem utilitas aduentus septuplex ad præsens. Prima, mundi illuminatio: secunda, inferni expoliatio: tertia, cæli reparatio: quarta, peccati destructio: quinta, diaboli superatio: sexta, hominis cum Deo reconciliatio: septima, ho-

minis

minis beatificatio. De primo, Io. 8. Ego ſum lux mundi. Idē 1. Erat lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. De ſecundo, Oſee. 13. Ero morſus tuus, o inferne. Zach. 9. Tu autem in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti uinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. De tertio, Eph. 1. In quo propoſuit reſtaurare uniuerſa, ſiue quæ in cælis ſunt, ſiue quæ in terra. De quarto, Heb. 2. Vt deſtrueret eum qui habebat mortis imperium i. diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam uitam obnoxii erant ſeruituti. De quinto, Ro. 10. Vetus homo noſter crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati ut ultra non ſeruiamus peccato &c. De ſexto, Rom. 5. Si cum adhuc inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii eius: multo magis recōciliati ſalui erimus in uita per ipſum &c. De ſeptimo, Io. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuū unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat uitam æternam. Propter hæc bona, quæ futura in eius aduentu uidebant ſancti patres, cum tanto deſiderio clamabant. Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes. De his ſeptem, Iſa. 61. Spiritus Domini ſuper me, ad annuntiandum miſit me, ecce mundi illuminatio prædicādo enim mundum pro nobis illuminauit. Vt mederetur cōtritis corde, peccata deſtruendo: ſic. n. medetur contritis peccata deſtruendo. Prædicare captiuis indulgentiam, ecce inferni expoliatio: expoliando. n. infernum captiuam duxit captiuitatem. Clauſis apertionem, ecce cæli reſtauratio, prędicare: ſ. apertionem cæli. Vt prædicaret annum placabilē, ecce hominum cum Deo reconciliatio. Diem ultionis, diaboli deſtructio; ſic. n. fecit ultionē de omnibus iniuriis quas fecerat diabolus ſanctis. Dare coronam, ecce hominum beatificatio. Modus ueniendi notatur ibi, Manſuetus: in manſuetudine. n. uoluit uenire Dominus Ieſus Chriſtus. Voluit autem uenire manſuetus propter quatuor. Primo, ut malos facilius corrigeret. pſal. 89. Quoniam ſuperuenit mā ſuetudo, & corripiemur. Secundo, ut omnibus ſe amabilē exhiberet. Eccl. 3. Fili, in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris. Tertio, ut omnes ad ſe traheret, & populum ſibi multiplicaret. 2. Re. 20. Man-

ſuetudo tua multiplicabit te &c. Ber. Omnino currimus poſt te, bone Ieſu propter manſuetudinem tuam. Quarto ut mãſuetudinem doceret. Matth. 11. Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde. Et ſunt quatuor quæ maxime debent ſuadere manſuetudinem. Primum eſt, quia a malo liberat: ſecundum, quia gratiam impetrat: tertium, quia animam ſeruat: quartum, quia meretur terram uiuentium. De primo, Sapiens manſuetus eſt, qui nullam animi amaritudinem ſentit. De ſecundo, Prou. 1. Manſuetis dabit gratiã. De tertio, Eccl. 11. In manſuetudine ſerua animam tuam. De quarto, Matth. 5. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebũt terram. Rogemus ergo Dominum &c.

Dominica ſecunda ex epiſtola.

QVAECVMQVE ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Rom. 15. In præcedenti dominica docuit nos Apoſt. ad ſurgendum, in iſta docet ad quid ſurgendum, quia ad ſtudendum, & ad legendum ſcripta quæ fecit nobis magiſter noſter cæleſtis. Dominus. n. tanquam bonus magiſter fuit ſolicitus facere nobis optima Scripta, ut nos perfecte erudiret. Quæcunque, inquit, ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Conſiſtunt autem iſta ſcripta in duplici libro. ſ. in libro creaturę, & in libro ſcripturæ. Primns liber quot habet creaturas, tot habet ſcripta optima, quæ ſine mendacio docent ueritatem. Vnde Ariſt. interrogatus a quo tot & tãta didiciſſet, reſpondit, a rebus quæ mentiri nõ nouerunt. Docent autem duo cognoſcenda. Circa cognoſcenda docet nos quatuor. Primo Deum eſſe, ſecundo vnum Deum eſſe, tertio trinum Deum eſſe, quarto ſummum bonum eſſe. Quia mundus eſt, docet eum eſſe ſicut opus opificem. Sap. 13. A magnitudine ſpeciei & creaturæ poteſt cognoſci eorum creator. Quia unum ſunt, & uno modo ſeruantur, docent unum Deum eſſe: ſi enim plures dii eſſent, iam mũdus deſtructus eſſet, cũm diuiſio ſit cauſa deſtructionis. Matth. 12. Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur: quia omnia conſiſtunt in numero, pondere, & menſu-

ra,siue secundum Aug.de trinitate,modo,specie,& ordine, docent trinum esse Dominum. Sap. 11. Omnia fecisti in pondere,numero,& mensura.Quia omnia bona sunt, docent summum bonum esse illud,a quo tot bona procedũt. Aug. Magnum inditium bonitatis est,quòd quælibet creatura cogitur dare se ipsam.Ideo quia Deus bonus est, nos sumus.

Circa agenda,docent nos similiter quatuor. Primo,Domino obedire,secundo eum timere,tertio eum amare,quarto eum laudare.Domino obedire docent nos,quia sibi omnia obediunt.psal.138.Præceptum posuit,& non præteribit. Nihil inuenit in creaturis inobediens creatori,nisi peccatorem & diabolum. Deum amare docent nos beneficiis & donis,quæ nobis exhibent quotidie August. Cælum,& terra,& omnia quæ in eis sunt undique mihi dicũt, ut amẽte,nec cessant dicere omnib.ita ut sim inexcusabilis. Deũ timere docent nos pœnis & suppliciis. Videmus enim quod omnis creatura parata est punire rebelles suo creatori. Sapien.16.Creatura tibi factori deseruiens exardescet aduersus iniustos,& leuior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.Deum laudare docent nos, quia omnia laudant eum,& inuitant ad laudandũ. Aug. Mirum est quod homo non semper laudat Deum,cum omnis creatura inuitet ad laudandum eum, & sic patet quomodo omnes creaturæ,quæ sunt quasi quædam scripta Dei,docent nos quatuor circa cognoscenda,& quatuor circa agenda. De scriptura, secundum illud uidelicet scripturæ, *quære in sequenti processu.*

De eadem epistola.

QVAECVMQVE scripta sunt &c. Ro.15. Sicut tactum est superius,duo sunt libri qui scripti sunt ad nostram doctrinam,& de libro creaturæ dictum est supra:nunc dicendum est de libro scripturæ,qui duo docet,bona & mala.Bona ut fiant, mala ut non fiant.Circa bona docet tria.s.præcepta,consilia, promissiones,sicut triplex bonum est.Est.n. bonum honestum: jucundum

iucundum, & utile. Præcepta docent bonum honestũ, quia docent cultum unius Dei, & pulchritudinem morum, & uirtutum, quæ honestum faciunt hominem. In consiliis est bonum utile. Matth. 19. Si uis perfectus esse, uade & uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. In promissionibus est bonum delectabile, siue iucundum. Ioan. 16. Iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum. Deute. 4. Audi Israel uerba uitæ: & postea. Et dabo tibi terram fluentem lac & mel. Circa mala ponit similiter tria. Prohibitiones, dissuasiones, & comminationes, & hoc secundum triplex malum. Est. n. triplex, malum mortalis culpæ, & malum uenialis culpæ, & malum æternæ pœnæ. Prohibitiones respiciunt malum mortalis culpæ. Exo. 20. Non fornicaberis, & sic de aliis prohibitionibus. Dissuasiones malũ uenialis culpæ. Eccl. 19. Qui spernit modica, paulatim decidet: & alibi. Vitasti grandia, caue ne obruaris arena. Comminationes respiciunt malum æternæ pœnæ. Isa. ultimo. Vermis eorum nõ morietur. Bene ergo dicit, Quæcumque scripta sunt. s. in libro scripturæ, ad nostram doctrinam scripta sunt. Rogemus ergo &c.

De eadem ex euangelio.

ERVNT signa in sole, & luna, & stellis, Lucæ. 21. In præcedenti euangelio dictum est de aduẽtu misericordiæ: in isto uero agitur de aduẽtu iustitiæ. Ad iustitiam. n. pertinet malos punire, & bonos remunerare: ideo de utroque agitur hic, primum in prima parte euangelii, ibi. Erunt signa: secundum, in secunda parte, ibi. Leuate capita uestra. Circa pœnam malorum ostendit quòd creator & creatura conuenient ad punitionem malorũ. Circa creaturam ostendit quod triplex creatura conueniet ad punitionem malorum. s. spiritualis, corporalis, & composita. Spiritualis angelus, composita homo. Corporalis uero duplex, superior & inferior: superior corpora cælestia, inferior elementa. Ostendit ergo Dominus in euangelio hoc, quod mali recipient pœnam a Domino, ab angelis, a corporibus cælestibus, ab elementis, & a se ip-

his

sis. primum, ibi. Tunc uidebunt filium hominis. Secundũ, ibi. Nam uirtutes cęlorum mouebuntur. Tertium, ibi. Erũt signa in sole, & luna, & stellis. Quartum, ibi. præ confusione sonitus maris & fluctuum. Quintum, ibi. Arescentibus hominibus præ timore. Circa primum sciendum est, quod Dominus tripliciter affliget malos in iudicio. Primo, disceptando: secundo, conuincendo: tertio, condemnando. De primo, Nudus fui: de secundo, Quandiu non fecistis uni ex minimis &c. de tertio, Discedite a me maledicti, Matth. 25. Angelus similiter tripliciter affliget malos. Primo, ad iudicium trahendo: secundo, a bonis separando: tertio, in ignem æternum mittendo. De his tribus, Matth. 13. Exibunt angeli, ut. s. portent malos ante iudicem. Non. n. possent per se tam cito uenire, cum sint corpora eorũ grauia, ecce primum: & separabunt malos de medio iustorum, ecce secundum: & mittent eos in caminum ignis, ecce tertium. Corpora cælestia similiter affligent tripliciter malos. Primo, signis terrendo: secundo, tenebris affligendo: tertio, scelera eorum referando. De primo, ibi. Erunt signa in sole, luna, & stellis. Ioe. 2. Dabo prodigia in cælo. De secundo, Matth. 24. Sol obscurabitur, & luna non dabit lumẽ suũ. De tertio, Iob. 20. Cæli reuelabunt iniquitatem eius &c. Rogemus &c.

De eodem.

IN terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum &c. Luc. 21. Dictum est superius quomodo superiores creaturæ puniunt malos, modo dicendum est quomodo inferiores creaturæ: & ostenditur quomodo punientur ab igne, ab aere, ab aqua, a terra, & a seipsis. Primum ibi. A rescẽtibus hominibus. Ariditas autem contingit ex siccatione humorũ, quod facit ignis. Secundum ibi. Fluctuum. Fluctus contingunt ex inclusione aeris in mare. Tertium, ibi, Maris. Quartum, ibi. In terris pressura gentium. Quintum, ibi. Præ timore & expectatione. Ignis tripliciter puniet malos. Primo, lucem abscondendo: secundo, incendendo: tertio, non

confu-

consumendo. Si.n.ignis consumeret eos, aliquod bonum praestaret eis:sed combureret,& non consumet. De primo, psal.28.Vox domini intercidentis flammam ignis. In flamma duo sunt,ardor & splendor:ita intercidet Dominus flãmam ignis, quia separabit splendorem a calore, ut comburat malos,& non illuminet. De secundo, psal. 96. Ignis ante ipsum praecedet,& inflãmabit.De tertio,Sap.15.Ignis suae naturae oblitus est. Aer similiter tripliciter affliget,siue puniet malos,fulguris emissione, grandinum pluitione, & uentorum commotione.De primo,Sap.5. Ibunt directe emissiones fulgurum,& tanquam a bene incuruato arcu, nubium exterminabuntur, De secundo,ibidem.5. A petrosa ira plenae mittentur grandines.De tertio ibidem. 5.Contra illos stabit spiritus uirtutis, & tanquam turbo uenti. A qua similiter tripliciter affliget malos.Primo,creaturam, quae ad usum erat,occidendo:secundo,fluctibus terrendo: tertio,contra peccatores excandescendo. De primo, Apoc. 8 Omnis creatura quae erat in mari,mortua est. De secundo,hic.Prae confusione sonitus maris,& fluctuum. De tertio,Sap.5.excandescet in illos aqua maris,& flumina concurrent duriter. Terra similiter tripliciter affliget malos. Primo,beneficia subtrahendo,ut impii affligantur fame:secundo,terraemotibus terrendo:tertio, deuorando. De primo,Matth.24.Erunt pestilentiae & fames. De secundo ibidem.24.Et terraemotus magni erunt per loca.De tertio, psal. 105.Aperta est terra,& deglutiuit Datã. A semetipsis patientur mali triplicia mala.Primo,ex defectu omnium bonorum:secundo timore ex recordatione praeteritorum:tertio,ex expectatione instantium omnium malorum.De primo,Apoc.1.plãgent se super eum omnes tribus terrae &c. De aliis duobus hic Luc.21.Arescentibus hominibus prae timore,quo ad secundum:& expectatione,quo ad tertium. Hic tria notantur.primum,ibi.Arescentibus hominibus, secundum, ibi.Prae timore: tertium, ibi. Et expectatione. Sunt autem tres rationes,propter quas omnes creaturae sic excandescent contra malos.primo, quia male usi sunt eorũ beneficiis:secundo, quia pulchritudinem earum deuastauerunt malitiis & immunditiis suis:tertio, quia naturaliter

est

est insitus cuilibet creaturæ appetitus uindicādi iniuriam Creatoris, De primo, Gregorius. Omnia quæ ad usum uitæ accepimus, conuertimus ad culpam &c. & post. Iure igitur nos omnia feriunt. De secundo, psal. 96. Commota est terra in operibus eorum. De tertio Sap. 16. Creatura creatori deseruiens exardescet in tormentis aduersus iniustos &c. hęc malis: bonis autem appropinquabit redemptio æterna, Ad quam nos &c.

Dominica tertia ex epistola.

SIc nos existimet homo ut ministros Christi. 1. Cor. 4. In præcedenti epistola docuit nos Apo. Christum fuisse ministrum pro nobis. Dico autem Christum ministrum fuisse circuncisionis &c. ideo in ista epistola docet nos debere eẽ ministros Christi, & dicuntur in hac epist. sex. Primo, quod debemus nos Christi ministros facere: secundo, temerarium iudicium fugere: tertio, humanum iudicium cōtemnere: quarto in propria conscientia non confidere: quinto, omne iuditiũ Christo ut iudici tribuere: sexto, laudes a solo Deo quærere. Primum ibi. Sic nos existimet homo ut ministros Christi: secundum, ibi. Nolite ante tempus iudicare: tertium ibi. Mihi autem pro minimo est ut a uobis iudicer: quartum ibi. Nihil mihi conscius sum. quintum, ibi. Quousque ueniat Dominus: sextũ, ibi. Tunc laus erit unicuique a Deo. Circa primum sciendum, quod propter tria maxime debemus esse ministri Christi, & ei seruire. Primo, quia quicquid sumus & possumus, ipse dedit creando: secundo, quia seruiuit nobis nos redimendo: tertio, quia iterum seruiet in glorificatione. De primo, Bernardus. Cui iustius seruire debeo, quàm illi qui si uoluisset, omnino non essem? psal. 99 Ipse fecit nos. De secundo, Luc. 22. Ego in medio uestrũ sum tamquam qui ministrat. Seruiuit autem temporaliter pedes abluendo, sordes peccatorum sanguine suo mundando, & carnem suam ministrando. De primo, Ioan. 13. Cœpit lauare pedes discipulis suis &c. De secundo, Apoc. 1. Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine

ne suo. Isa.24. Seruire me fecistis in iniquitatibus uestris. De tertio, Matth.26. Accepit panem, benedixit, & fregit, & dedit discipulis suis &c. Ber. Bonus minister qui carnē suam dedit in cibum, sanguinem in potum, & animam in pretium. Seruiet iterum in glorificatione. Lu.12. Amen dico uobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Iuste ergo ministri eius esse debemus. Sunt autem tria quę ipse maxime odit in ministris suis. s. immisericordia, inobedientia, & inutilitas. De primo, Matth.17. Serue nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me, nonne ergo oportuit & te misereri cō serui tui, sicut & ergo tui misertus sum? Matth. 24. Si autem dixerit seruus ille malus in corde suo, Moram facit dominus meus uenire, & cœperit percutere seruos suos, mā ducet autem & bibat cum ebriosis: ueniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus & stridor dentium &c. De secundo, Luc.12. Seruus sciens uoluntatem domini sui, & non facit secundum uoluntatem eius, plagis uapulabit multis &c. De tertio, Mat. 25. Seruum inutilem proiicite in tenebras exteriores &c. Sunt iterum tria quæ requirit Dominus in seruis. Primo, ut sint ab omni sorde peccati mundati; secundum, ut sint omnibus uirtutibus ornati; tertium, ut sint morum honestate decorati. De.1. psal.100. Ambulans in uia immaculata, hic mihi ministrat. & 1.Tim.4. Et sic ministrent nullum crimen habentes. De secundo.2.Cor.6. In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros. De tertio 1.Petri.2. Conuersationem uestram inter gentes habentes bonam &c. De his tribus. Exodi.40. Applica Aaron, & filios eius ut ministrent mihi, & lotos aqua indues sacris uestibus, ut unctio eorum proficiat. In lotione uero puritas, in sacris uestibus eorum uirtutum uarietas, in unctione eorū honestas, quia ex ea egreditur odor bonæ famæ 2.Cor.2. Christi bonus odor sumus &c. Requirit autem Deus quod sibi tribus modis ministremus Primo, eum imitando: secūdo, in eius seruitio exultando: tertio, eum timendo. De.1. Io.12. Siquis mihi ministrauerit, me sequatur. De secundo, psal.99. Serui

uite Domino in lætitia. De tertio, psal. 2. Seruite Domino in timore. Primum, facit Domino seruitium acceptum: secundum, facit nos expeditos in seruitium: tertium, in seruitio nos conseruat. Promittit autem tria Dominus seruis suis. s. felicitatem, dignitatem, & æternitatem. De primo. 1. Tim. 3. Qui n. bene ministrat, gradum bonum sibi acquirit. De secundo, Matth. 25. Euge serue bone, & fidelis, quia super modico fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. De tertio, Apo. 7. Seruiet ei die ac nocte in templo eius: & post. 7. Ad fontes aquarum uitæ deducet illos. Fons uitæ est æternitas. Dion. Aeternitas est uitæ interminabilis tota simul & perfecta possessio. De his tribus Io. 12. Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Vbi est, est iucunda sublimitas, & æterna iucunditas, & iucunda æternitas, Ad quam nos perducat dominus Deus.

De eadem ex euangelio.

CVM audisset Ioannes in uinculis opera Christi, &c. Matth. 11. In præcedenti euangelio actum est de aduentu iustitiæ: in isto de aduentu gratiæ. Vnde agitur hic de Ioanne, qui interpretatur gratia Dei, uel in quo est gratia Dei. Dicuntur autem hic quatuor. Primo, Ioannis incarceratio: secundo, de Christi aduentu per missos discipulos interrogatio: tertio, Domini responsio: quarto, multiplex Ioannis commendatio. Commendatur autem a quatuor. Primo, a constantiæ firmitate: secundo, a uestitus austeritate: tertio, ab officii dignitate: quarto, a uitæ sanctitate. Primum, ibi. cum audisset: secundum, ibi. Tu es. Tertium, ibi. Ite renuntiate Ioanni, quę &c. Quartum, ibi. Cœpit illis dice de Ioanne. Et iterum. Primum de commendatione, ibi. Quid exiitis in desertum uidere? arundinem uento agitatam? secundum, ibi. Hominem mollibus uestitum? tertium, ibi. Etiam plusquam prophetam. Quartum, ibi. Hic est de quo scriptum est. Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Mox autem de uinculis sciendum est, quòd tres dicuntur esse in uinculis, iustus, impius, & damnatus.

Iustus

Iustus ponitur in uinculis pręceptorum: impius in uinculis peccatorum: damnatus in uinculis tormētorum. De primo, Eze. 4. Ecce circundedi te uinculis. Osee. 11. Trahā uos in uinculis charitatis. De secundo, Pro. 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & fune peccatorum suorum constringitur. Isa. 10. Ne incuruemini sub vinculo. De tertio, Sap. 17. Vinculis tenebrarum compediti. Matth. 22. Ligatis manibus & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores. Prima uincula sunt appetenda, secunda dissoluenda, tertia cauenda. Vincula præceptorum sunt amplectenda propter tria. Primo, quia per ipsa salus omni malo aquiritur: secundo, quia ligatus eis a Dei sapientia protegitur: tertio, quia de ipsis ad regimen egreditur. De primo, Eccl. 6. Vincula illius alligatura salutaris. De secundo, Sap. 5. Et in uinculis non dereliquit illum. De tertio, Eccle. 4. De carcere catenisque interdum quis egreditur ad regnum. Sunt ergo uincula præceptorum amplectenda, sed peccatorum dissoluenda. Ligatur autem peccator uinculis superbiæ, vinculis auaritiæ, uinculis luxuriæ, uinculis malę linguæ. De primo, Iob. 39. Quis dimisit onagrum liberum, & uincula illius quis soluit? Per onagrum intelligitur superbus, Iob. 11. Vir vanus in superbiam erigitur &c. Vnde uincula onagri sunt uincula superbi. De secundo, Isa. 5. Væ qui trahitis iniquitatem in uinculis uanitatis. Vanitates diuitiæ sunt. De tertio, Prou. 8. Statimque sequitur eam quasi bos ductus ad uictimam, & ignorat stultus quod ad uincula trahatur. Vincula trahentia sunt manus mulieris. Eccl. 7. Inueni amariorem morte mulierem. & post Eccle. 7. Vincula sunt manus illius. Ista vincula sunt soluenda. Isa. 51. Solue vincula colli tui. Soluitur autem quatuor modis. primo, per gratiam iustificationis: secundo, per gratiam contritionis: tertio, per uerecundiam confessionis: quarto per pęnam satisfactionis. De primo, psal. 115. Dirupisti uincula mea Domine. s. gratiam infundendo. De secundo, Dan. 4. ubi dicitur, quod ignis consumpsit uincula puerorum. per ignem contritio intelligitur. psal. 38. In meditatione mea exardescet ignis. De tertio, Osee. 5. Vidit Iudas uinculum suum. Iudas interpretatur confitens: unde Iudas vinculum suum uidet, quando pænitens uidet se uinculis peccatorum constrictum,

ſtrictum, clamat in cõfeſſione vt ſoluatur. De quarto, Nau. 1. Afflixi te, & poſt. Vincula tua diſrumpam, ſic ſoluenda ſunt vincula peccatorum. Vincula uero tormẽtorum ſunt vitanda propter tria. Primo, quia tenebroſa: ſecundo, quia crudelia: tertio, quia æterna. De primo, Sap. 17. Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, incluſi ſubtectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerũt. De ſecundo, Eccl. 13. Et nõ parcet de malitia, & de uinculis. De uinculis iſtis Iſa. 28. Ne forte conſtringantur vincula noſtra. De tertio Iud. 1. In iudicium magni diei uinculis æternis ſub caligine reſeruauit. Loquitur de dæmonibus. A vinculis iſtis eripiat nos Deus, quod &c.

De dominica quarta ex epiſtola.

GAVDETE in Domino ſemper, iterum dico gaudete: modeſtia ueſtra nota ſit omnibus hominib' Phil. 4 In fine præcedentis epiſtolæ monuit Apoſtolus ut omnia Chriſto uero iudici reſeruemus: ſed ne conqueramur de longa mora, dicit eum in proximo uenturum. Dominus, inquit, prope eſt. Facit autem Apoſt. in præmiſsis uerbis tria. Primo, monet ad interiorem ſanctificationem: ſecundo, ad honeſtam conuerſationem: tertio, ſubiungit rationem. Interior ſanctitas conſiſtit in duobus. primo, ut mala affectio remoueatur: ſecundo, ut bona affectio habeatur. Ber. Sanctum facit affectio ſancta: mala affectio eſt gaudere in mundo. Eſt autem gaudium mundi malum, quia de malis, de vanis, de turpibus. Gaudium de malis eſt gaudere in malitiis: gaudium de uanis eſt gaudere in diuitiis, quæ uanitas ſunt: gaudium de turpibus eſt gaudere de luxuriis. De primo, Prou. 2. Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis. De ſecundo, pſal. 48. In multitudine diuitiarum ſuarum gloriatur. De tertio, Iob. 21. Gaudent ad ſonitum organi. Iac. 5. Epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis enutriſtis corda ueſtra. De iſtis tribus Aug. Quid eſt ſeculi gaudium? breuiter dico, ſæculi nequitia eſt impunitas malitiæ, in ſpectaculis nugari, luxuriari, oblectari, ingurgitari, & turpitudine fœtere: gauderet

autem in Domino est gaudere, quia est potens ad saluan-dum, quia est misericors Dominus ad iustificãdum: Quia largissimus ad remunerandum. Pro modico enim seruitio dat uitam æternam & regnum cæleste. Gaudendum est sine dubio in tali domino, qui saluat seruos suos redimendo, dimittit omnia debita iustificando, coronabit æternum regnum conferendo. De primo, psal. 33. Dominus rex noster ipse ueniet, & saluabit nos. Matth. 1. Ipse Saluator saluum faciet populum suum a peccatis eorum. De secundo, Ro. 5. Iustificati gratis per gratiam ipsius. De tertio, Apoc. 2. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ. De his tribus, Isa. 61. Gaudens gaudebo in Domino. Et quare? Quia induit me uestimento salutis, ecce primum: & indumento iustitiæ circundedit, ecce secundum: quasi spõsam decorauit me corona, ecce tertium, Ad quam nos per ducat &c.

De eadem epistola.

MODESTIA uestra. nota sit omnibus hominibus. Philip. 4. Hortatus est Apostolus superius ad interiorem sanctitatem: hic uero hortatur ad conuersationis honestatem, ibi. Modestia uestra nota sit omnibus hominibus. Ponit autem hic duo. Primo, hortatur ad honestam conuersationem: secundo, subiungit rationem. Primum, ibi. Modestia uestra: secundum, ibi. Dominus prope est. Sunt autem tria quæ nos mouere debent ad modestiam. Primo, creaturæ documentum. Omnia. n. sicut dicit in lib. de trin. Aug. seruant modum, speciem, & ordinem. Sap. 11. Omnia in ordine, numero, & mẽsura dispo suisti. Secundo, magnum quod in eadem est confortamentum: est enim fructus spiritus ualde suauis. Gal. 5. Fructus autẽ spiritus est charitas & post, modestia &c. Tertio, magnum quod de eius absentia prouenit nocumentum. Seneca. Si mediocria sunt utilia, inutilia uere sunt semper nimia, superflua enim nocent. Est autem habenda modestia in ore, in corde, in manu. In corde, ut resecet cogitationum superfluitatem: in ore, ut resecet uerborum inutilitatem: in

man

manu, vt resecet excessum in opere. De primo, Sene. Magni animi est magna contemnere, & media magis velle quam nimia. De secundo, Prou. 10. Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. De tertio, Ro. 12. Rationabile sit obsequiũ uestrum. Rationem autem horum duorum subiungit dicens. Dominus prope est. Est autem Dominus prope pœnitenti, ut indulgeat: oranti, ut exaudiat: tribulationes patiẽti, ut subueniat. De primo, Ezech. 18. Quacunque hora cõuersus fuerit peccator, & ingemuerit &c. De secundo. psal. 144. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, & Isa. 65. Eritque, antequam clament ego exaudiam. De tertio, psal. 90. Cum ipso sum in tribulatione, & in Apoca. 22. Ecce uenio cito, & merces mea mecum est retribuere unicuique secundum opera, malis pœnas æternas, & iustis uitam æternam, Ad quam nos perducat qui uiuit in sæcula. Amen.

De eadem ex euangelio.

VOx clamantis in deserto. Dirigite uiam Domini sicut dicit Isaias propheta Ioan. 1. In precedẽti euangelio ponitur qualiter Christus Ioannem multipliciter commendauit: in isto, quomodo se ipsum humiliauit. Moraliter per desertum mundus iste intelligitur. Deut. 8. Ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens. i. superbia: scorpio idest luxuria: dypsas idest auaritia. In isto deserto clamat creatura, Christus, Iustus, & prædicator. Creatura clamat tria, primo ut Deum cognoscamus: secundo, ut ipsum diligamus: tertio, vt laudes ei debitas reddamus. De primo, Aug. Omnia clamant, Deus me fecit. De secundo, idem. Cælum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, undique mihi dicũt ut amẽ te, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. De tertio, idem. Mirum est quod homo cessat a laude Dei, cum omnes creaturæ inuitent ad laudandum eum. Christus clamauit similiter tripliciter. Primo, miracula faciendo: secundo, utilia prædicando: tertio, pro nobis moriendo. De primo, Ioan. 11. voce magna clama-

uit. Lazare ueni foras. De secundo, idem 7. Stabat Iesus & clamabat. Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. De tertio, Matth. 27. Christus clamans voce magna emisit spiritum. In primo, apparuit eius potentia: in secundo, eius sapientia: in tertio, ineffabilis eius bonitas & charitas. Hæc tria erant necessaria ad redemptionem nostram, ut posset redimere, ut sciret, vt uellet. De his tribus. 1. Cor. 1. Nos autem prædicamus Christum Dei uirtutem, & Dei sapientiam Christus unctus, & ideo bonus: uirtus, & ideo potens: sapientia, & ideo sapiens. Iustus clamat similiter tripliciter. Primo orando, secundo confitendo, tertio laudando. De primo, psal. 76. Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me. De secundo idem, psal. 31. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti &c. De tertio, Clamabo ad Deum qui bene fecit mihi, supple, laudando illum: quia pro beneficiis ei debemus gratias agere. Prædicator similiter tria debet clamare. Primo hominum scelera: secundo, fragilitatis humanæ miseriam: tertio, ut præparetur Domino uia. De his omnibus. Isa. 58. De primo, Clama ne cesses: & post. Annuntia populo meo scelera eorum. De secundo. Isa. 40. Vox dicentis, clama: & dixi, Quid clamabo? Omnis caro fœnum. De tertio ibidem. 40. Vox clamantis in deserto, parate uiam Domino. Præparat autem Domino uiam scilicet puritas, humilitas, & æquitas. De primis duobus. Isa. 42. Præparate uiā: & subdit modum præparādi. Planum facite iter, montuositatem superbiæ remouendo, quod fit per humilitatem. Eligite lapides, cætera peccata remouendo, quod pertinet ad puritatem. De tertio, Ioan. 1. Dirigite uiam Domini, & aspera in uias planas, per puritatem. Humilitas ordinat nos ad Deum, æquitas ad proximum, puritas ad nos ipsos. Rogemus &c.

Dominica infra oct. Natiuitatis.

MISIT Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, Ad Gal. 4. Sciendum quod Christus nos redemit a multis. Primo, ab iniquitate. Tim. 2. Vt

nos redimeret ab omni iniquitate. Secũdo, a diabolo, Deut. 7. Redemit nos de manu pharaonis idest diaboli. Tertio, de morte, Oseę. 13. De manu mortis redimam eos. Quarto, a legis seruitute & maledictione, Galat. 3. Christus redemit nos de maledicto legis &c. Nota quod bonitas Christi apparuit in nostra redemptione in multis. Primo, quia sine meritis, Isa. 52. Sine argento redimemini &c. Secũdo, quia redemit magnis expensis. 1. Pet. 1. Non corruptibilibus auro & argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati &c. Tertio, quia ex sola abundantia charitatis. Isa. 63. In dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit nos. Nota quod Dominus quinque requirit a nobis pro redemptione nostra. Primo, vt a peccatis ad eum reuertamur. Hier. 4. Reuertere ad me, quia redemi te &c. Secundo, vt eum diligamus. Aug. Miser ego quantum debeo diligere Deum meum qui me fecit, cum non essem: redemit cum perieram, & abieram, & in peccato uenditus eram: venit ille & redemit me, & tantum dilexit me, quod pretium sanguinis sui dedit pro me. Tertio, ut ipsi soli seruiamus. 1. Cor. 6. Empti estis pretio magno glorificate, & portate Deum in corpore vestro &c. Quarto, ut tantum beneficium ubique prædicemus, vel diffundamus. Isa. 48. Auditum facite, hoc efferre illud vsque ad extrema terræ. Quinto, ut pro tanto beneficio gratias agamus. psalm. 140. Labia mea & anima mea quam redemisti &c.

De eadem ex euangelio.

TVAM ipsius animam pertransibit gladius, Luc. 2. Verba ista prophetica sunt de passione Christi: & notantur tria in uerbis iñis. Primo, magna beatæ Virginis ad Christum compassio, ibi. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Et sciendum quod quatuor maxime fecerunt amaram passionem Christi beatæ Virgini. Primum, filii bonitas, 1. Pet. 2. Qui peccatum nõ fecit nec dolus inuentus est in ore eius &c. Secundum, crucifigentium crudelitas: quod uel ex eo patet, quod morien

ti saltem aquam dare noluerunt, nec a matre, quæ diligenter dedisset, dari permiserunt. Tertium, pœnæ vilitas. Sap. 2. Morte turpissima condemnemus eum. Quartum, tormenti crudelitas. Tre. 1. Oûos omnes qui transitis per uiam, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus &c. Secundo, amara Christi passio, ibi. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Sciendum, quod crux eius fuit gladius acutus. Ezec. 21. Gladius acutus & limatus. Acutus fuit, quia maxime pupugit & vulnerauit. Item, fuit splẽdidus idest splẽdens fuit, eo quod in ea pependit splendor mundi. i. Dei patris. Heb. 1. Qui cum sit splendor gloriæ, &c. Item, fuit gladius gloriæ. Deut. 33. Scutum virtutis tuæ, & gladius gloriæ tuæ. Dicitur autem gladius gloriæ, quia per ipsum acquisiuit nobis gloriã. Isto gladio fuit a malis percussus per crucem, tamen percutiet malos gladiis suis. Primus est pœnæ præsentis aduersitas. Ezec. 11. Gladiũ metuistis, & gladium inducam super uos, dicit Dominus. Secundus iudicialis sententia. Apoc. 1. Ex ore eius gladius vtraque parte acutus exibat &c. Tertius, infernalis pęnæ acerbitas. Isa. 1. Gladius deuorauit, quia os Domini locutum est. Gen. 3. Constituit gladium flammeum & uersatilem &c. Tertio, passionis consecutio, ibi. Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Quod cogitatur, reuelatur aut sacerdoti in confessione. psal. 36. Reuela Domino uiam tuam &c. Aut in iudicio ad damnationem, Osee. 2. Reuelabo scelera tua &c. Nota, quod in præsenti debemus peccata reuelare propter quatuor. Primo, quia tali reuelatione dimittuntur peccata. pro. 28. Qui abscondit scelera sua non dimittetur, qui autem confessus fuerit ea, & reliquerit ea, misericordiã consequetur. Secundo, quia a Deo absconduntur. Aug. Si reuelas, ego celo; & econuerso, si celas, ego reuelo. Tertio, quia gratia infunditur. Quarto, quia ex ea vita æterna acquiritur. De his duobus. Eccl. 4. Est confusio adducens gratiam & gloriam. Nota quod in futuro reuelabuntur omnia, qui non reuelat ea hic. Reuelabuntur autem a tribus. Primo, a cælis. Iob. 20. Reuelabunt cæli iniquitatem eius &c. Secundo, a se ipsis. Ro. 2. Testimonium reddente illis cõscientia ipsorum &c. Tertio, a Deo. 2. Cor. 3. Illuminabit

abscondita

abſcondita tenebrarum,& manifeſtabit conſilia cordium. Reuelabitur autem ira Dei ſuper omnes, qui hic nolunt reuelare.Ro.1.Reuelabitur autem ira Dei ſuper omnem impietatem, A qua ira liberet nos Dominus, qui viuit & regnat in ſęcula. Amen.

Dominica infra oct.Epiph.ex epiſtola.

NOLITE conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei,bona,bene placens & perfecta, Ro.12.In iſtis uerbis ad tria hortatur Apoſt.in quibus conſiſtit tota perfectio hominis. Primo, vt ſæculi forma deponatur:ſecundo,vt forma nouæ vitæ aſſumatur: tertio,vt Dei voluntas agnoſcatur.Primum,ibi. Nolite cõformari huic ſæculo.Secundum, ibi. Sed reformamini in nouitate ſenſus veſtri.Tertium,ibi.Vt probetis quæ ſit voluntas Dei.Circa primum ſciendum,quod triplex eſt forma ſæculi.Prima eſt terrenorum cupiditas:ſecunda, carnalis concupiſcẽtia:tertia,vitæ ſuperbia.De his tribus.1. Io. 2.Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum,& ſuperbia uitæ. Sciendum, ꝙ iſta triplex forma dat triplex eſſe:quia prima forma dat eſſe terrenum,ſecunda animale,tertia diabolicum. Auaritia facit hominem terrenum: concupiſcentia carnis animalẽ: ſuperbia etiam ſimilem facit diabolo.De his tribus,Iaco.3. Non eſt iſta ſapientia deſuper deſcendens,ſed terrena, animalis,diabolica.Primo modo conformantur huic ſæculo auari:ſecundo,guloſi & luxurioſi:tertio, ſuperbi, ideo pereunte ſæculo peribunt & ipſi.Gregorius. Qui labenti innititur,neceſſe eſt vt cum habente ruat.1.Io.2.Nolite diligere mundum,quare?quia tranſit mundus, & concupiſcẽtia eius.Circa ſecundum notandum,quod forma uitæ nouæ eſt aſſumenda tripliciter. Prima uoluntatis ſanctitas, ſecunda locutionis ueritas,tertia operis æquitas.Prima informat cor,ſecunda os,tertia manus.De primo.Eph.6. Facientes uoluntatem Dei ex animo cum bona voluntate. De ſecundo,Eph.4. Loquimini veritatem vnuſquiſque cũ

proximo suo. De tertio. Gal 6. Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. De his tribus, Eph. 5. Fructus autem lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate: in bonitate cordis, in veritate locutionis, in iustitia operis. Prima forma dat esse angelicũ, secunda dat esse diuinum, tertia dat esse cælicum. Per bonitatem homo fit similis angelis, per veritatem Deo, per iustitiam sanctis. De his tribus in ista epist. Ro. 2. Vt exhibeatis corpora vestra hostiam uiuentem, sanctam, Deo placentem. Viuentem per iustitiam qua homo viuit. Ro. 1. Iustus ex fide viuit: sanctam per uitam: bonam: sancta enim idem est quod munda: Deo placẽtem per veritatem, quia Deus veritas est. *Tertium membrũ quære in sequenti processu.*

De eadem.

VT probetis quæ sit voluntas Dei bona, bene placens & perfecta Ro. 12. Hoc est totum bonum hominis, ut conformet se voluntati diuinæ. Et distinguitur hic triplex voluntas Dei. Prima bona, secunda placẽs, tertia perfecta. Et intelligitur pluribus modis, sed modo tripliciter. Moraliter bona fuit voluntas Dei creando, beneplacens recreando, perfecta glorificando. Bona conferendo esse naturæ, beneplacens conferendo esse gratiæ, perfecta largiendo esse gloriæ. De primo, Apoc. 4. Dignus es Domine accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & uoluntate tua erãt, & creata sunt. Erant enim in idea in mente diuina, creata sunt in proprio esse. De secundo. psal. 29. Domine in uolũtate tua præstitisti decori meo uirtutem. Recreando enim decorem diuinum in nobis reparauit, & in uirtute Spiritus sancti roborauit. De. 3. Io. 12. Volo pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus, quod erit in gloria. psal. 72. In voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Secundo modo intelligitur sic. Voluntas Dei bona, in nostra ab omni in puritate mundatione: beneplacens, in misericordiæ exhibitione, perfecta, in charitatis feruore. De primo. 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio idest mundatio vestra. De secundo, Matth. 9. Misericordiam volo, & non sacrificiu

rificium. De tertio, Luc. 12. Ignem ueni mittere in terrã, & quid volo nisi vt accendatur? per ignem charitas intelligitur: Tertio modo intelligitur sic. Voluntas eius bona est in coniugatis, beneplacens in continentibus, perfecta in platis, qui tenentur ad perfectionem. Voluntas enim Dei in coniugatis est facere opera misericordiæ: in continentibus, facere bonum continentiæ: in prælatis, pro fratribus animam ponere. De prima volũtate potest intelligi illud psal. 142. Doce me facere uoluntatem tuã. De secunda, 1. Thess. 4. Hæc est uoluntas Dei, ut sciat unusquisque vestrũ suum vas possidere in sanctificatione & honore, scilicet alienum, ab immunditia, quod fit maxime per continentiam. De tertia, psalm. 102. Ministri eius qui faciunt voluntatem eius. præmium illius voluntatis est vita æterna. psal. 29. Et uita in voluntate eius, Ad quam nos conducat &c.

De eadem ex euangelio.

EGo & pater tuus dolẽtes quærebamus te, Luc. 2. In isto euangelio multa docentur secundum literam, sicut patet: sed in isto uerbo docemur quærere Deum, ad quod monemur frequenter in scriptura. Notantur autem in istis uerbis tria. Primo, quærentes: secundo, modus quærendi: tertio inquirendus, vel quæsitus. primum, ibi. Ego & pater: secundum, ibi. Dolentes: tertium, ibi. Quærebamus te. Quærentes erant Maria & Ioseph, per quos duo genera hominum designantur, a quibus quæritur Dominus; quæritur a contemplatiuis in contemplatione, & ab actiuis in actione. Maria interpretatur illuminata, & significat contemplatiuos, qui in contẽplatione suscipiunt diuinas illuminationes. Ioseph interpretatur augmentum, & significat actiuos, qui debent habere augmentum operum misericordię: ab istis quæritur Dominus, de utroque, psal. 85. Lætetur cor quærẽtium Dominum? quærite Dominum, & confirmamini. Primũ pertinet ad contemplatiuos, qui sunt in continua lætitia & iubilo: secundum, ad actiuos qui quandoque multum indigent confirmari. Vel per Mariam stellam maris designabi-

tur fides, & per Ioseph augmentum charitatis. Fides inquirit Deum inquantum patrem nostrum, charitas inquantū summum bonum. De his duobus Canticorum. 5. Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Quæsiui, & non inueni. i. inquantum loquitur, in tantum quæsiui, nam fides est ex auditu: inquātum dilectus charitas quærit, quæ est vita copulans diligentem cum dilecto, vt dicit Aug. Sed plane si per charitatem hic quæritur, post inuenietur. Circa modum inquirendi, nota quod septem modis debet inquiri, sicut potest colligi ex textu. Primo, cum mentis puritate, ut simus ab omni labe peccati depurati. 1. Esd. 6. Omnes qui se separauerant a coinquinatione gentium terrę ut quærerent Deum. Secundo, cum intentionis simplicitate. Sap. 1. In simplicitate cordis quærite illum. Tertio, quærēdus est ex toto corde, ut solum eum cogitemus. Quarto, ex tota uoluntate, vt eum solum velimus. De his duobus. Paral. 15. In omni corde suo, & in omni uoluntate sua quæsierunt Dominum, & inuenerunt. Quinto, quærendus est cū festinatione, antequam transeat tempus in quo inueniri possit. Isa. 55. Quærite Dominum dum inueniri potest. Sexto, quærendus est cum perseuerantia sine cessatione. psal. 104. Quærite faciem eius semper. Septimo, quærendus est cum dolore peccatorum. Mich. 4. Dole, & satage filia Sion quasi parturiens, quia redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum &c. Luc. 2. Ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Circa tertium sciendū est, quod debemus quærere Deum: vnde dicit, Quærebamus te. Est autem inquirendus propter quatuor. Primo, quia iustus: secundo, quia mansuetus: tertio, quia bonus: quarto, quia uita. Iustus, vt inquirentibus se offerat. In hoc enim est iustitia eius, quia nullus quærit, sicut quærere debet, quod non inueniat. Mā suetus est, vt quærentes se benigne suscipiat. De his duob. Soph. 2. Quærite Deum: & post, quærite iustum, quærite mansuetum. Bonus est, vt quærentes se magnificet & remuneret. Ezec. 3. Bonus Dominus sperātibus in se, animæ quærenti illum. Vita est, quia quærentes se facit æternaliter viuere. psal. 68. Quærite Dominum, & uiuet anima vestra, Ad quam nos perducat &c.

Domi-

Dominica prima post Epiphaniam.

HOSPITALITATEM sectantes &c. Ro. 12. In ista epist. cum sit tota moralis, hortamur ad multam hospitalitatem, ad quam præcipue debent nos quatuor mouere. Primo, Domini præceptum: secundo, sanctorum exemplum: tertio, si non fiat, nocumẽtum: quarto, si fiat, multiplex profectus. Circa primum sciendum, quia Dominus triplici lege præcipit hospitalitates. s. lege naturæ, lege ueteri, lege noua. Lege naturæ quæ præcepit ut sicut ab aliis hospitalitates nobis exhiberi volumus, ita exhibeamus aliis. Matth. 7. Omnia quæcũque vultis ut faciant vobis homines ita & uos facite illis. Lege ueteri. Isa. 58. Egenos uagosque induc in domũ tuã. Et Deut. 26. Vt comedas tu, & peregrinus, & aduena tecũ. Lege noua. Heb. 13. Hospitalitatem nolite obliuisci. Circa secundum sciendum, quòd exempla sanctorum tria docẽt nos circa hospitalitatem. Primo, ut hospites quasi ad nos cogamur intrare: secundò, vt eos ab iniuriis defendamus: tertio, ut cum hilaritate, & festinatione, & abundanter eis necessaria ministremus. De primo, Lu. vlt. Et coegerunt illum dicentes, Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. De secundo, Gene. 19. Nolite quæso, inquit, fratres mei, nolite hoc malum facere, quoniam ingressi sunt sub umbra culminis mei: unde discatur quod mos erat hospites ab iniuriis defendere. De tertio, Gen. 18. Obsecro, declinate ad seruum vestrum: & post, Et dixit Saræ, Accelera, tria sata farinæ commisce &c. & ipse cucurrit ad armentum, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimũ &c. vt doceamur hilariter, & festinanter, & abundanter hospitibus ministrare. Circa tertium sciendum, quod tria mala incurrunt hii qui nolunt hic hospitalitatem sectari. Primo, quia hic a Domino puniuntur: secundo, quia in iudicio confundentur: tertio, quia in malum hospitium includuntur. De primo, Sap. 19. Alii quidem ignotos non recipiebant aduenas, alii autem bonos hospites in seruitutem accipiebant. Et non solum hoc, sed & alius quidem erat aspectus eorum, quoniam inuiti recipiebant extraneos: & post.

Percussi

percussi sunt cæcitate. De secundo, Matth. 25. Hospes fui, & non collegistis me. De tertio, Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Circa quartum sciendum, quòd propter tria debemus sectari hospitalitatem. Primo, quia ex hoc gratiam acquirimus; secundo, quia frequẽter sanctos & angelos recipimus: tertio, quia in æternum cæleste & gloriosum hospitium recipiemur. De primo & secundo. Heb. 13. Hospitalitatẽ nolite obliuisci; per hanc enim quidam placuerunt, angelis hospitio receptis. De secũdo, exemplum de quadam Domina, quæ credidit recipere pauperem, & recepit Christum. De tertio, Matth. 25. Hospes fui, & collegistis me: & post, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod paratum est uobis ab origine mundi. Ad quod &c.

De eadem ex euangelio.

DIE tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilęæ, & erat mater Iesu ibi, Ioan. 2. Quattuor nuptiæ leguntur in scriptura, Primæ historicę, secundæ allegoricæ, tertiæ tropologicæ, quartæ anagogicæ. Historicæ, inter uirum & uxorem carnalem. allegoricæ, inter Christum & Ecclesiam: tropologicæ, inter Deum & animam; anagogicæ, inter Deum & Ecclesiam triumphantẽ. De primo, Hesther. 2. Fecit conuiuium præparari pro coniunctione Hester & nuptiis. De secundis, Matth. 22. Simile est regnum cælorũ homini regi, qui fecit nuptias filio suo. De tertijs, Osee. 2. Spõsabo te mihi in fide. De quartis, Matth. 25. Et quæ paratæ erant, intrauerũt cum eo ad nuptias. Primas nuptias in paradiso Dominus ordinauit, uerbo confirmauit, præsentia decorauit, & miraculo illustrauit. De primo. Gen. 1. Crescite, & multiplicamini, & replete terrã. De secundo, Matth. 19. Quos deus coniunxit, homo non separet. De tertio & quarto hic, Vocatus est autem Iesus, ecce tertium: ut autem gustauit architriclinus aquam uinum factam, ecce quartum. In istis nuptiis debent esse tria bona, fides, vt torus non uioletur: proles, ut filii Domino generentur: sacramentum, ut nec vir ab uxore, & econuerso, sicut

nec Christus ab Ecclesia separetur, ut primo uiuente alteri non copuletur. De primo, 1. Cor. 7. Vir potestatem sui corporis non habet. De secundo. 1. Tim. 2. Saluabitur autē per filiorum generationem si permanserit in fide, & dilectione & sanctificatione cum sobrietate. De tertio, Ephe. 5. Sacramentum hoc magnum est: ego autē dico in Christo & Ecclesia. Primum bonum destruunt adulteri: secundum, qui procurāt venena sterilitatis, vel qui filios ad Dei cultum & seruitium non instruunt: tertium, qui uiuente vxore alteri coniunguntur. De primo, Heb. 13. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus, idest, condemnabit. De secūdo, Isa. secundum aliam translationem. Maledicta terra quæ non parturit. De tertio, Ro. 7. Si uiuente uiro fuerit cū alio, uocabitur adultera. Potes hic prosequi de impedimento istarum nuptiarum. De nuptiis uero interDeum & animam, quæ intelligitur per istas nuptias, quæras in sequenti processu &c.

De eodem.

DIE tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, Io. 2. Tria notantur in istis verbis circa nuptias. Primo, tempus celebrationis ponitur: secundo, locus in quo sunt celebratæ subditur: tertio, persona inuitata ad ipsarum commendationem subiungitur. Primum, ibi. Die tertia: secundū, ibi. In Cana: tertium, ibi. Et erat mater Iesu ibi. Moraliter per istas nuptias intelligitur coniunctio Dei ad animam, in quibus nuptiis tria concurrunt, primo iudicium, secundo iustitia, tertio misericordia. De his tribus, Osee. 2. Sponsabo te mihi in iudicio, iustitia, & misericordia. Iudicium quo ad se ipsum, iustitia quo ad Deum, misericordia, quo ad proximum. Iudicium quo ad se ipsum consistit in tribus. Primo, vt omne malum deserat: secundo, vt omne bonum faciat: tertio, vt aduersa patienter sustineat. De his tribus in epistola quæ cum hoc euangelio legitur. De primo, ibi. Odientes malum: de secundo, ibi. Adhærentes bono: de tertio, ibi. In tribulatione patientes. Iustitia quo ad Deum consistit similiter in tribus.

Primo, vt homo in Deum tamquàm in summam veritatē super omnia credat. Secundo, vt in eum tāquàm in summam potestatem super omnia speret. Tertio, vt eū tāquàm summam bonitatem propter se, & super omnia diligat. Per primum coniungitur rationali, per secundum irascibili, per tertium concupiscibili. Primum fit per fidem, secūdum per spem, tertium per charitatem. De his tribus in epistola hodierna. Primum, ibi. Secundum rationem fidei: secundum, ibi. Spe gaudentes. Tertium, ibi. Dilectio sine simulatione. De his tribus. 1. Cor. 13. Nunc manent fides, spes, charitas, tria hęc &c. Misericordia quo ad proximum similiter consistit in tribus. Primo vt ignorantem doceat: secundo, vt indigentibus subueniat: tertio, vt eum offendentibus indulgeat. De his tribus in eadem epistola. De primo, ibi. Qui docet, in doctrina. De secundo, ibi. Qui miseretur, in hilaritate. De tertio, ibi. Nulli malum pro malo reddentes. Ro. 12. Hæc omnia notantur in euangelio præmisso, quæ ordinant nos ad Deum. Nota, In die tertio. Primus dies fides, secundus spes, tertius charitas, & in isto fiunt nuptiæ, quia per eam copulatur anima Deo. Dicit Augustinus. Quid est charitas nisi vita copulans amantem cum amato? Tria quæ ordinant ad proximum. Nota. In Cana Galilęæ. Cana interpretatur zelus, vel possessio, Galilæa volubilis. In zelo, notatur, zelus doctrinæ: in possessione, opera misericordiæ. Illa enim vere & sine timore amissionis possidemus, quę pauperibus largimur. Matth. 6. Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur: nec fures effodiunt, nec furantur &c. In volubilitate pronitas ad indulgendum. Illa quæ ordinant ad se ipsum notātur ibi. Erat mater Iesu ibi. Maria enim interpretatur illuminata, & stella maris, vel amarum mare. Illuminatur autem homo a malo recedēdo, egressus enim a vitiis virtutis operatur ingressum, vt dicit Ambrosius. Stella maris est bona operatio quę illuminat. Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificēt patrem uestrum, qui in cęlis est. Amarum mare est passionū tolerātia. Qui sic celebrat nuptias istas, celebrauit æternas, de quibus dicitur Apo. 19. Beati qui ad cœnam nuptiarum

Agni

Agni uocati sunt. Ad has pducat nos Iesus Christus, Amē.

Dominica secunda ex epistola.

NOLITE esse prudētes apud vos metipsos, Ro. 12. In uerbis istis secūdum suam duplicem expositionem prohibentur duo mala, scilicet malum superbiæ, & auaritiæ. Primo modo exponitur sic. Nolite esse prudentes apud uos metipsos, idest, uos sapientes & prudentes reputantes, quod fit per superbiam. Isa. 5. Væ qui sapiētes estis in oculis uestris. Alio modo exponitur sic. Nolite esse prudentes, idest, prudentiam uestrā non tantum uobis teneatis, sed aliis communicetis. Vnde glossa. Ne prudentiam uestram apud uos tantum, sed erga proximos magis exerceatis. Et a malo superbiæ tria debent præcipue dissuadere. Primo, quia deordinat a Deo: secūdo, quia a proximo: tertio, quia a se ipso. A Deo deordinatur homo tripliciter. Primo, a Deo apostatando: secundo, eum impugnando: tertio, aduersus eum se erigendo. De primo. Eccl. 10. Initium superbiæ hominis est apostatare a Deo. De secundo, psal. 27. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. De Tertio, Iob. 15. Cucurrit aduersus eum extenso collo &c. Ideo Dominus armatus est semper ut resistat superbiæ. Iac. 4. Deus superbis resistit. A proximo deordinatur similiter tripliciter. Primo, eum iniuriis perturbādo: secundo, malitiis vexando: tertio, eum cōtēnendo & despiciēdo. De primo, Prou. 13. Inter superbos semper iurgia sunt. Idem, Semper iurgia quærit malus, idest, superbus, qui dicitur malus. De secūdo, Isa. 14. Contriuit Dominus brachiū impiorum, virgam dominantium cædentem populus in indignatione plaga insanabili subiicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. De tertio, Iob. 12. Deridetur iusti simplicitas: lampas contempta apud cogitationes diuitum, idest, superborum. A se ipso deordinatur similiter tripliciter. Primo, se ipsum decipiendo: secundo, se ipsum stultum faciendo: tertio, se ipsum confundendo. De primo, Isa. 49. Superbia tua, & arrogantia tua ipsa decepit te. De secundo, Prou. 21. Superbus & arrogans vocatur in doctus. De tertio,

io, Prou. 11. Vbi fuerit superbia, ibi & cõtumelia. Eccl. 10. Qui tenuerit eam, idest, superbiam, implebitur malis, & in fine subruet eum. A malo autem auaritiæ dissuadet creator, creatura, & natura. Et nota quòd dissuadet creator prohibendo, creatura se & sua dando, natura cohibendo. De primo, Luc. 12. Attendite vobis ab omni auaritia. De secũdo, Augustinus. Magnum inditium diuinæ bonitatis est, ꝙ quælibet creatura cogitur dare se ipsam. De tertio, Tob. 3. Quod tibi non uis, alteri ne feceris. Isti sunt duo infirmi curati in euangelio, quod legitur cum ista epistola. Leprosus, superbus est qui tumet: paralyticus, est auarus propter multa, curantur autem per duo bona, ad quæ hortatur nos Apostolus in eadem epistola. Primum, ibi. Cum omnibus hominibus pacem habentes, ubi prohibet superbiam: superbus enim cũ nullo pacẽ habet. Secũdũ, ibi. Prouidentes bona, ubi prohibet auaritiã, quæ nõ uult bona prouidere &c.

De eadem ex euangelio.

Ecce leprosus ueniens, adorabat eum dicens. Domine, si uis, potes me mũdare, Matth. 8. Per istum leprosum moraliter intelligitur peccator: & hoc propter quatuor quæ considerantur in lepra. Primo, quia lepra est corruptio: secundo, quia cõsumptio: tertio, quia infectio: quarto, quia separatio. Primo, est corruptio humorum, secundo, consumptio membrorum, tertio, infectio aliorum, quarto, separatio hominum. Est ergo primo peccatum cõsumptio naturalium, secundo amissio gratuitorum, tertio infectio proximorum, quarto separatio a gaudiis sanctorum & angelorum. Primo enim corrũpit naturalia: unde Aug. Peccatum est corruptio modi, & speciei, & ordinis. Aufert gratuita, quia gratia non potest simul esse cum peccato mortali. Sap. 1. Non habitabit in corpore subdito peccatis. Inficit proximos & creaturas in sensibiles. psal. 105. Contaminata est terra in operibus eorũ. Hier. 3. Corrupisti terrã in fornicationibus tuis. Item, separat hominem a Deo & angelorum consortio. Sap. 1. Peruersæ cogitationes separant a Deo. Et de istis quatuor similiter. psal

ter.psal.13. Corrupti sunt, ecce naturalium corruptio: abominabiles facti sunt, ecce separatio, ponitur causa pro effectu, abominatio enim est causa separationis: non est qui faciat bonum, ecce gratiæ amissio, amissa enim gratia nemo potest bonum meritorium facere: sepulcrum patens est guttur eorum, ecce infectio. Leprosus enim maxime anhelitu inficit. Ista quatuor dicuntur de leproso in Leuiti.13. Quicunque maculatus fuerit lepra, habebit vestimenta dissuta, & caput nudatum, os ueste contectum, & habitabit extra castra. Leprosus, idest peccator, habet uestimenta dissuta, quia est in naturalibus dissutus, & diffusus: caput, idest mentem nudũ a gratia: os debet habere contectum, quia inficit: extra castra manere, quia separatur a castris Dei, idest ab habitatione angelorum & sanctorum. *Quomodo curetur iste leprosus, quære in sequenti processu &c.*

De eodem.

RESpiciens eum Iesus, dixit duo, Volo, mundare. Circa curationem vero illius leprosi tria concurrunt. Primum est, Christi de monte descensio: secundum, leprosi ad eum accessio: tertium, Christi iussio. Circa primum sciẽdum quòd per montem intelligitur cœlum. psal.23. Quis ascendet in montem Domini? & de isto monte descendit Dominus in incarnatione visibilis apparẽdo: descendet in iudicio orbem iudicando. In primo descensu mundauit a lepra culpæ: in secundo, liberauit a lepra pœnæ. De primo, Apoc. 1. Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo: & sic lepra mundatur sanguine innocentis. De secundo, Apo.21. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum. Nota autẽ hic quatuor circa leprosum, quæ debent esse in conuersione peccatoris. Primo, ipsius ad Christum accessio: secundo, adoratio: tertio, exclamatio: quarto, humiliatio. Primum, ibi. Veniens: secundum, ibi. Adorauit eum &c. Tertium, ibi. Domine. Quarto, modum loquẽdi, ibi. Si vis, quasi dicat, ex tua voluntate & bonitate faceres, nõ meis meritis. Per accessum intelligitur peccatoris ad Deum conuersio: per adorationem, satisfactio: per

exclamationem, confessio: per quartum, humiliationis satisfactio. Quatuor enim sunt necessaria ad conuersionem peccatoris, scilicet contritio, confessio, satisfactio, & humiliatio. De primo, Hierem. 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. De secundo, Iaco. 5. Confitemini alterutrũ peccata vestra. De tertio, Mat. 3. Facite fructus dignos pænitẽtiæ. De quarto, Luc. 17. Cum omnia benefeceritis, dicite, quia serui inutiles sumus. Ista quatuor notantur in illis verbis. Vade, & ostende te sacerdoti, & offer munus tuum. In vade, contritio: in ostende, confessio: & in munus, satisfactio, in quo & notatur humiliatio. Circa Christum similiter quatuor concurrunt. s. tactus, locutio, voluntas, curatio. Primum, ibi. Tetigit eum: secundum, ibi. Dicens: tertiũ, ibi. Volo: quartum, ibi. Mundare. In tactu notatur eius humilitas, in locutione sapientia, in voluntate bonitas, in facto obedientia. Per hęc enim quatuor operatus est salutem nostram & redemptionem, per potentiam, per sapientiam, per bonitatem, per humilitatem incarnationis & mortis. De istis quatuor. 1. Cor. 1. Qui factus est nobis sapientia, & ideo sciuit: & iustitia, & ideo potuit: & sanctificatio volendo, & redemptio faciendo. Rogemus ergo &c.

Dominica tertia ex epistola.

Diliges proximum tuũ sicut te ipsum, Roma. 13. Quatuor facit Dominus in verbis istis. Primo, dilectionem proximi præcipit. Secundo, quid diligendum sit, ostendit. Tertio, causam dilectionis adiungit. Quarto, modum dilectionis subiungit. Primum, ibi. Diliges: secundum, ibi. proximum: tertium, ibi. Tuum: quartum, ibi. Sicut te ipsum. Circa primũ sciendum quòd tria maxime debent mouere ad dilectionẽ. Primo, necessitas: secundo, vtilitas: tertio, inexcusabilitas. Necessitas est, quia in æterna lege sancitum est, quòd qui non diligit, vltimo supplicio puniatur. 1. Io. 3. Qui non diligit, manet in morte. Vtilitas est quia in eadem lege sancitum est, vt diligens æternum regnum, bonum inextimabile assequatur. 1. Cor. 2. Oculus nõ vidit, & auris non audiuit,

quæ præparauit Deus diligētibus se. Aug. Vbi charitas est, quid est quod esse non possit? Inexcusabilitas est. facilitas implendra quolibet. Nullus enim pauper, nec diues, nec quisquam poterit se excusare ab impletione istius præcepti per impotentiam. Deut. 30. Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est. Circa secūdum quod hic innui tur, quòd tria debet homo diligere, Deum, se ipsum, & proximum. Dilectio Dei intelligitur in dilectione proximi, & dilectio proximi in dilectione sui. Dilectio proximi præcepitur ibi. Proximū. Dilectio sui, ibi. Sicut te ipsum. Innuit enim quòd debet homo seipsum diligere, quod nō facit peccator. psal. 10. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Primo debemus diligere Deum per se & super omnia, secū do nos, tertio proximum: & hoc est totum bonum hominis ordo istius amoris, & totū malum est peruersio istius amoris, sicut dicit Aug. Peccatum est priuatio speciei, modi, & ordinis. Cant. 2. Ordinauit in me charitatem. Circa tertiū sciendum est, quòd tria debent nos mouere ad diligendum proximum. Primo, quia hoc præcipit creator: secundo, quia suadet natura: tertio, quia suggerit scriptura. De primo, Io. 13. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. De secundo, suadet natura, quia omne animal diligit sibi simile, & oīs homo similē sibi: sic videtur quòd deterius sit homo qui non diligit cunctis animantibus. De tertio, suggerit scriptura, vt homo diligat fratrem suum: omnes autem homines sunt fratres. Mal. 2. Nūquid nō vnus est pater omnium nostrum? Omnes homines voluit esse ex vno patre Adam, vt diligerent se sicut fratres. Est autem inter omnes homines fraternitas carnalis & spiritualis. Apost. Omnes enim fratres sumus in Christo. Circa quartum sciendum, quòd triplici modo præcipit scriptura, vt homo diligat pximū. primo, sicut membrum: secūdo, sicut homo se ipsum diligit, tertio, sicut Christus nos dilexit. De primo, Rom. 12. Sicut in vno corpore multa mēbra habemus omnia autem membra nō eūdē actū habent, ita multi vnum sumus in Christo. De secundo, Mat. 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. De tertio, Ioan. 15. Hoc est præceptum meū, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos &c.

De eadem ex euangelio.

ASCendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Mat. 9. Quatuor dicuntur in isto euangelio. Primo, Christi & discipulorum in nauem ascensio: secundo, maris conturbatio: tertio, discipulorum oratio: quarto, ad Christi praeceptum tempestatis cessatio. Primũ, ibi. Ascẽdens: secũdum, ibi. Et ecce motus magnus factus est in mari: tertium, ibi. Domine, salua nos: quartum, ibi. Tunc surgens imperauit ventis & mari. Docemur moraliter ad quatuor. Primo, ad vitam sanctitatis ascendere: secundo, tentationes post ascensum insurgere: tertio, ad Dominum in tentatione clamare: quarto, tranquilitatem ad eius voluntatẽ expectare. Primũ, docemur in ascensione nauis. Nauim ascẽdit, qui vitam sanctam aggreditur. Matth. 9. Ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suã, quia per vitae sanctitatem peruenit homo ad ciuitatem caelestem. Quare autem vitae sanctitas dicatur nauicula, quaere in sequenti processu. Maris turbatio, est per aggressionẽ sanctitatis tentationes infringere. Eccles. 2. Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & praepara animam tuam ad tentationem. Discipulorum in tẽpestate clamatio, est sanctorum in tribulationibus & tentationibus oratio. psa. 119. Ad Dominum dum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Tempestatum maris cessatio, est tentationũ cessatio. Tob. 3. Post tempestatem tranquilitatem Deus facit. Ista quatuor notantur, psal. 68. Veni in altitudinem maris: per nauiculam sanctitatis, ecce primum: & tẽpestas demersit me, ecce secundum: laboraui clamans, ecce tertium: salus tua suscepit me a tentationibus, scilicet liberando, ecce quartum, scilicet exauditio orationis discipulorum. De secundo in sequenti processu quaeras. Circa secundum sciẽdum, quòd in mari surgit tempestas a uentis. Ponit autem Scriptura quatuor ventos, a quibus surgit temptatio, & tribulatio sanctorum. Primo, surgit ab infestatione daemonũ: secundo, a peruersitate haereticorum: tertio, a crudelitate tyrannorum: quarto, a malignitate falsorum christianorum. Primus est ventus frigidus. Eccle. 44. Frigidus ventus aquilo flauit,

lo flauit,& gelauit cryſtallus ab aq̃s. Secũdus vẽtus vrẽs, Gene.41. Spicæ tenues & percuſſæ vredine oriebantur deuorantes omniũ priorum pulchritudinẽ. Tertius vehemẽs, Iob.1. Ventus vehemẽs irruit a regione deſerti. De quarto vẽto,Eccl.11. Qui obſeruat ventũ,numquàm ſeminat.Itẽ, de iſtis quatuor ventis, Dan.7. Et ecce in mari magno pugnabant venti quatuor.Circa tertium vero ſciendum,ꝙ in oratione Apoſtolorum tria fuerunt quæ mouerũt Dominum ad auxiliandum.Primo,quia inſtanter petierunt: ſecundo,quia humiliter:tertio,quia rem vtilem.Primum,ibi. Suſcitauerunt eum:ſecundum,ibi. Domine:tertiũ,ibi.Salua nos.Hæc tria debent eſſe in omni oratione. De primo, Coloſſ.4. Orationi inſtantes.De ſecundo, Eccl.35. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit,&c.Ioan.15.Petite,vt gaudium veſtrũ ſit plenũ.De his tribus,Matth.7.Petite & accipietis,quærite & inuenietis, pulſatæ & aperietur vobis. Petite humiliter,& accipietis:quærite vtiliter,& inuenietis:pulſatæ inſtanter, & aperietur vobis regnum æternum, Ad quod nos perducat Ieſus Chriſtus.Amen.

De eodem.

ASCendens Ieſus in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. Moraliter per nauiculam intelligitur ſanctitas vitæ,ſicut dictum eſt ſupra,triplici ratione.Primo,ratione materiæ:ſecundo,ratione formæ:tertio,ratione finis. Ratione materiæ conſtat nauis ex ligno,ferro,ſtupa, pice. Per lignum intelligitur iuſtitia,quia per Chriſtum fit iuſtitia. Sap. 14. Benedictum lignum per quod fit iuſtitia. Per ferrum propter ſoliditatem intelligitur fortitudo. Per ſtuppam qua alligantũr vulnera, intelligitur temperantia,qua vulnus carnalis concupiſcentiæ alligatur,vnde de quibuſdam qui nõ faciunt,dicit Iſa.1. Vulnus & liuor, & plaga tumens non eſt circũligata, nec curata medicamine,neque fata oleo.Iudic.19. dicitur de Samſone decepto a Dalida. Qui rupit vincula,quomodo ſi rumpat quis filum de ſtuppa tortum. Per picem intelligitur charitas, quæ eſt nexus animarum.Gene.6.Bitumine linies interius & exteriꝰ:quia quod facit vir ſanctus,debet informari charitate,

1. Cor. 16. Omnia opera vestra in charitate fiant. Item, ratione formæ. In forma enim nauis quinque considerat, scilicet arctitudo principii, latitudo medii, altitudo finis, strictitudo fundi, & amplitudo oris. Arctitudo principii est dolor de peccatis præteritis: latitudo medii spes de æternis gaudiis: altitudo finis est timor de æternis supplicis. Vir enim sanctus & dolet de malis quæ fecit, & timet de suppliciis quæ meruit: sed ne in timore & dolore per desperationẽ deficiat, spes est in medio vt temperet. De primo, Hier. 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. De secundo Roma. 12. Spe gaudentes, in tribulatione patientes. De tertio, Mat. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Arctitudo fundi est humilitas ex consideratione propriæ fragilitatis. psa. 21. Ego autem sum vermis, & non homo. Amplitudo oris est consideratio summæ bonitatis. ps. 80. Dilata os tuũ, & implebo illud. Ratione finis significat nauis vitæ sanctitatem propter quatuor. Est enim finis nauis quadruplex, sicut colligitur ex textũ. Primus est homines trans mare ferre: secũdus est, mercimonia portare: tertius est, in eis belligerare: quartus, in eis pisces capere. Hoc debemus facere in sanctitate. Primo, contra dæmones pugnare. 2. Mach. 15. Electas fecit naues bellicas. Eph. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem sed aduersus principes & potestates aduersus rectores tenebrarum harum &c. Secundo, poma deportare est odores bonarum operationum de nobis undique diffundere. Iob. 9. Dies mei transierunt quasi naues poma portantes. Corin. 9. Bonus odor Christi sumus in omni loco. Tertio, debemus pisces capere, idest homines ad deum conuertere. Mat. 4. Venite post me, faciam vos piscatores hominũ. Quarto, debemus cum sanctitate de mari. i. de mundo ad Deum transire, siue ad cælum. Sap. 14. Modico ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt, peruenientes ad portum cælestis ciuitatis, Ad quam nos perducat &c.

Dominica quarta ex epistola.

INDVITE vos sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, Col. 3. Tria facit Apost. hic. Primo,

Primo, vt induamur præcipit: secundo, causam qua debemus indui, subiungit: tertio, quid debemus induere, ostendit. Primum, ibi. Induite; secundum, ibi. Sicut electi Dei, sancti & dilecti: tertium, ibi. Viscera misericordiæ. Quare debemus indui. *Quære in prima Dominica aduentus.*

Omnia in nomine Dei facite. Col. 3. Circa nomen Dei sciendum, quòd in nomine eius est ambulandum, orandũ, loquendum, operandum, sperãdum. De primo, psa. 19. Nos autem in nomine domini Dei nostri inuocabimus. De secũdo, Io. 12 Siquid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit vobis. De tertio, & quarto Colos. 3. Omne quodcumque facitis siue ĩ verbo, siue in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite. De quinto, psal. 39. Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius. Item, nota quòd nomen eius est in corde retinendum, in ore habendum, in aure audiendũ, in manu ferendũ, & in frõte scribendũ. In corde retinẽdũ quia gaudiũ, in ore quia iubilus, in aure quia melos, in manu quia virtus, in fronte quia honor. Itẽ, nota quòd nomen Dei, sicut colligitur ex textu, habet multiplicem virtutem: sed hic nominantur octo. Primo, quia in eo omnia creanẽ: secũdo, quia in eo dæmones fugãtur: tertio, quia in eo omnes infirmitates curantur: quarto, quia in eo peccatores iustificãtur: quinto, quia in eo mœsti lætificãtur: sexto, quia in eo tentati adiuuantur: septimo, quia in eo iustis gratia augumentatur: octauo, quia in eo omnes vocati saluãtur. Item nota, quòd illud nomen illuminat rationalem, cõfortat irascibilem, delectat concupiscibilem: hoc nomen debent inferi formidare, terrestes adorare, cælestes laudare. Inferi, quia sunt in eo expoliati; terrestres, quia in eo liberati; cælestes, quia in eo exaltati. *Quæras in circuncisione Domini inter festinos.*

De eadem ex euangelio.

COlligite primum zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreũ, Mat. 13. In istis uerbis quatuor notantur. Primo, iniquorũ

malitia: secūdo, eorū supplicia: tertio, iustorū bonitas: quarto, bonorū gl'ia. Primū, ibi. Zizania: 2m, ibi. Ligate ad cōburēdū: tertiū, ibi. Triticum: quartū, ibi. Congregate in horreū meū. Maledicuntur zizania, quia sunt lolium per luxuriā, uitia per auaritiā auena per superbiā. Loliū.n. puertit statū rationis, & luxuria sīr. Eze. 23. Insanuit libidine. Osee. 4. Fornicatio, & uinū, & ebrietas auferunt cor. &. 3. Reg. 11. De Salomone, Et auerterunt mulieres cor eius. Vitia, quæ amare est, significat auaritiam, quæ miro modo affligit auaros. Eccle 5. Diuitiæ congregatæ in malum domini sui, pereunt in afflictione pessima. Mala afflictio est in congregando, peior in custodiendo, pessima in perdendo, uel relinquēdo. Auena pp uanitatē significat superbiā. Iob. 11. Vir uanus in superbiā erigitur, uere ergo sunt mali zizania. Eorū pœna notatur, ibi. Ligate in fasciculos. Et notantur hic tria circa eorū supplicicia. Primū supplicium erit, quia æternis uinculis cōstringētur: 2m, quia ad inuicē cōprimētur: tertiū, quia æterno igne cōburētur. Primū, ibi. Ligate: 2m, ibi. In fasciculos. Qui.n.ī. fasce sunt, adinuicē cōstringūtur: tertiū, ibi. Ad cōburēdū. De primo & secundo, Sap. 17. Vna.n. catena tenebrarum oēs erant colligati. De tertio, Isa. 56. Ignis eorū nō extīguetur. In quinq; āt notatur magnitudo pœnę isti' ignis. Primo, qa cōburit, & nō cōsumit. Secūdo, qa cōtrariū suscipit frig', & calorē secū patitur. De primo, Sap. 15. Ignis suæ uirtutis oblit'. Virt' ignis ē cōsumere qđ assumit. De secūdo, Mat. 13. Mittēt eos in caminū ignis, ibi erit flet', & stridor dētiū. Flet', dicit glosa, præ nimio calore, stridor dētiū præ nimio frigore. Tertio, qa acerbissime affligit qđ patet, quia sicut dicit Au. Tāto calidior est nostro igne, quāto nr̄ ignis picto. Quarto, quia est ętern', Mat. 25. Ite maledicti ī ignē æternū. Quīto, quia est ardor sine splēdore, psa. 28. Vox Dn̄i intercidētis flāmā ignis. In flāma duo sunt, splēdor & ardor. Intercidet Dn̄s flāmā ignis, quia ibi solū est ardor sine splendore. Bonitas sanctorū notatur, ibi. Triticum pp multa, ad pn̄s āt pp tria. Primo quia albi pp puritatem: secundo, quia rubei propter charitatem: tertio, quia ponderosi per morum honestatem. De primo, & secūdo, Cant. 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus. De

tertio, psalm. 34. In populo graui laudabo te. Sanctorum gloria notatur, ibi. In horreum meum, spaciosum propter amœnitatem, delitiosum propter iucunditatem, perpetuum propter æternitatem. De primo, psal. 25. Domine, dilexi decorem domus tuæ. De secundo, ps. 111. Gloria, & diuitiæ in domo eius. De tertio. 2. Cor. 5. Domum non manu factam æternam in cælis. Item, est optimum horreum ideo, quia ibi est abundantia frumenti, vini, & olei. Vinum est gaudium de visione patris, frumentum gaudium de uisione filij, oleum gaudium de visioue Spiritussancti. De primo, psal. 103. Vinum lætificat cor hominis. De secundo, ps. 80. Ex adipe frumenti satiat te. Io. 12. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet &c. De tertio, psal. 44. Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ piæ cõsortibus tuis, idest Spiritu sancto. De his tribus. 2. Para. 11. Ciborumque horrea, posuit in his frumentum, vinum, & oleum. De his tribus. Gen. 27. Det tibi Deus de rore cæli, & p inguedine terræ abũdãtiã frumẽti, vini, & olei &c. Amẽ.

Dominica in Septuagesima ex epistola.

SIc currite, vt comprehendatis. 1. Corint. 9. Duo facit Apostolus in verbis istis. Primo, monet ad currendum: secundo, ad perseuerandum in cursu. Primum, ibi. Currite. secundnm, ibi. Vt compræhendatis. Circa primum sciendum est, quòd triplex est curs. Primus est cursus naturæ. Iob. 9. Dies mei velociores fuerunt cursore: secundus, culpæ. Hiere. 24. Factus est cursus eorum malus: tertius, gratiæ. 1. Cor. 9. Sic curro non quasi in incertũ. Cursus naturæ est triplex: tripliciter enim currunt creaturę naturaliter. Primo, currũt homini seruiendo. 2. Esdræ. 4. Velox cursus solis: currit enim sol vt seruiat homini. Secundo, malos puniendo, Sap. 5. Exardescet in illos aqua maris, & flumina current duriter, contra illos stabit virtus spiritus, & turbo venti diuidet illos. Naturaliter autem erunt creaturæ ad puniẽdum rebelles creatori suo. Sap. 16. Creatura tibi factori deseruiens, exardescet aduersus iniustos, & leuior ad benefaciẽdum fit pro his qui in te confidunt. Tertio, currunt ad nihilum tendendo; cum

creaturæ

creaturæ sint ex nihilo, naturaliter ex se tendunt ad nihilũ. Aug. Quid est vita præsens nisi quidam cursus ad mortem? Cursus culpæ, est similiter triplex. Primus, superbiæ. Iob. 15. Cucurrit aduersus Dominũ extento collo, & pingui ceruice armatus est. Secundus, auaritiæ. Pro. 1. Pedes eorum ad malum currunt, loquitur enim ibi de auaris. ps. 49. Si videbas furem, currebas cum eo. Tertius, luxuriæ. Eccl. 7. In ueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, & vincula manus illius &c. Quasi bos ad victimam ducuntur homines ad luxuriam. Cursus gratiæ est similiter triplex Primus, doctrinæ. Galat. 2. Contuli cum eis euangelium quod prædico in gentibus, seorsum autem his qui videbãtur aliquid esse, ne forte in vacuũ currerem, aut cucurrissem. Secundus, misericordię. Gen. 18. Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum &c. quem vitulum hospitibus præparauit. Tertius, perseuerantiæ. 2. Timot. 4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Circa secundum notandum, quòd tripliciter debet currere qui vult brauium apprehẽdere, ad cuius similitudinem monet Apost. nos hic currere. Primo, debet currere caute, ne cadat: secundo festinanter, ne alius præueniat: tertio perseueranter, ne cursum deserat, sic debemus currere ad brauiũ vitæ æternæ. Primo caute, ne in foueam peccati corruamus, Eph. 5. Videte quomodo caute ambuletis; secundo festinãter, ne pigritia torpeamus, Heb. 4. Festinemus ingredi in illam requiem: tertio perseueranter, ne a bene agendo deficiamus, Mat. 24. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Perseuerare autem in cursu isto maxime facit patientia, per quam homo libenter tolerat omnes molestias quę sibi possent occurrere in mundo isto. Hebr. 12. Deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorẽ fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque ad dexteram Dei sedet &c.

De ea-

De eadem ex euangelio.

EGressus circa horam tertiam inuenit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis. Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis. Mat. 20. In istis verbis notantur quatuor. Primo, Domini bonitas, ibi. Egressus scilicet in salutem populi sui. Quòd enim Christus exiuit ad conducendum homines in vineam iustitiæ, actus fuit infinitæ bonitatis. Habacuc. 3. Egressus est in salutem populi sui. Secundo, hominis stultitiam, ibi. Inuenit alios stantes in foro otiosos. Nihil enim stultius quàm in præsenti vita, vbi homo debet sibi operari vt in æternitate viuat, in otio viuere. Eccl. 22. De stercore boum lapidatus est piger, & omnes loquentur super aspernationem eius. Tertiò, operandi in vinea Domini necessitas, ibi. Ite & vos in uineam meam. 2. Thess. 3. Qui non laborat, non manducet. Quarto, laboris utilitas, ibi. Et quod iustum fuerit, dabo uobis. Apoca. ult. Ecce uenio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secũdum opera sua. Circa primum notandum, quòd Christus dicitur egredi quinque modis. Primus egressus fuit in principio mundi, sicut seminator creaturas seminando. Luc. 8. Exiit qui seminat seminare semen suum. Secundus egressus fuit in natiuitate mundum illuminando. Isa. 62. Donec egrediatur ut splendor iustus eius. Io. 16. Exiui a patre, & ueni in mũdũ. Tertio, in passione sua suos a potestate diaboli, & ab omnibus malis saluando. Isa. 15. Prope est iustus meus, & saluator meus egressus est. Quarto, egreditur familiæ suę & rebus prouidendo sicut paterfamilias. Mat. 20. Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane cõducere operarios in uineam suam. Quinto, egredietur in iudicio tripliciter, sicut uisitator districtam inquisitionem super impios faciendo. Isa. 26. Ecce egredietur Dominus de loco sancto suo, vt uisitet iniquitatem habitatores terræ contra eum. Secũdo, egreditur sicut fortissimus pugil rebelles suos de uincendo. Isa. 42. Dominus sicut fortis egreditur, sicut uir præliator &c. Tertio, sicut iudex maledicos puniẽdo pro meritis. Mich. 1. Egredietur Dominus de loco sancto suo, & descendet, & calcabit super excelsa

terræ

terræ. Circa 3m notandum, ꝙ ꝓ ꝓ quinque magna stulticia est uiuere in otio in uita præsenti. Primo, quia homo ad laborem nascitur. Iob. 5. Homo nascitur ad laborem. Secundo, quia ab otiositate oĩ tamq̃ a mala magistra, mala scientia addiscitur Eccle. 30. Multã militiã docuit otiositas. Tertio, quia frequenter horribile peccatum cõmittitur. Ezec. 26 Hęc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ superbia saturitas panis, & abũdantia, & otium ipsius. Quarto, quia egestas æterni boni per otiũ incurritur Prou. 6. Paululũ dormitabis, paululum conseres manus ut dormias, & ueniet tibi quasi uiator egestas. Quinto, quia labor æternus pro breui otio acquiritur. psal. 27. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, sed cum dæmonibus. psal. 48. Laborabit in æternum, & uiuet adhuc in finẽ. Circa tertium sciẽdum, ꝙ uinea ista, in quã mittuntur laborare, iustitia est, in qua sunt tot palmites, quot sunt uirtutes, sicut dicit Chrysost. In ista uinea debemus laborare quinque modis. Primo, ipsam bonis operibus & uirtutibus plãtando. psal. 106. Plãtauerunt uineã, & fecerunt fructũ natiuitatis. Pro. 31. De fructu manuũ suarũ plantauit uineã. Secundo, spinas, id est uitia eradicando & extirpando: sic ecõtra dr̃ de stulto. Prou. 24. Per agrũ pigri hominis transiui, & per uineã hominis stulti, & ecce totũ repleuerãt urticæ. Tertio superfluos palmites amputãdo. Cant. 2. Tẽpus putationis aduenit. Ioã. 15. Oẽm palmitẽ qui fert fructũ purgabit eũ, ut fructuũ plus afferat. Quarto, ab ipsa uulpeculas. i. dæmones cohibendo. Cant. 2. Capite nobis uulpes paruulas, quæ demoliũtur uineã. Quinto, a furibus. i. laudibus hominũ, & detractionibus custodiẽdo. Cant. 5. Posuerunt me custodẽ in uineis. Circa quartũ notãdũ, ꝙ preciũ laborãtiũ in uinea ista est denarius, sicut dr̃ in euangelio, qui ualet mille argenteos, & hoc est quod dicitur, Isa. 8. Vinea fuit pacifico, uir eius tradidit pro ea mille argẽteos. Mille argentei sunt mille gaudia ęternitatis, q̃ significanť ꝑ denariũ ad q̃ã &c.

Dominica in Sexagesima ex epistola.

IN laboribus plurimis. Præter labores corporales, quos sancti habent cum aliis communes, sancti sunt in septem laboribus continuis. Primus labor

bor sanctorum est tentationes dæmonum superare. 1. Tim. 5. Labora sicut bonus miles Christi. Labor militis est hostes debellare. Deut. 25. Meméto quid fecerit tibi Amalec. i. diabolus, quando egrediebaris de Aegypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderunt: quando tu eras labore & fame confectus, & nō timuerunt Dominum: & post sequitur. Delebis nomen eius sub cælo, caue ne obliuiscaris. Secūdus, iniquorum persecutiones tolerare. Numer. 30. Nosti omnem laborem, qui apprehendit nos, quomodo patres nostri descenderunt in Aegyptum, & habitauimus ibi, afflixeruntque nos Aegyptii & fratres nostros. Tertius, Dei præcepta obseruare. psal. 93. Qui fingis laborem in præcepto. Quartus, orationibus instare. psalm. 68. Laboraui clamans raucæ factæ sunt fauces meæ &c. Quintus, pro peccatis suis & aliorū plorare. Hier. 45. Laboraui in gemitu meo, & requiem nō inueni. psalm. 6. Laboraui in gemitu meo: lauabo per singulas noctes lectum meum. Sextus, proximis prædicando. 2. Tim. 5. In omnibus labora, opus fac euangelistæ. 1. Tim. 5. Qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborāt in uerbo & doctrina. Septimus, uigiliis, & ieiuniis, & orationibus carnem macerare. Istos septem labores enumerat Apost. in ista episto. Debet autem homo istos labores sustinere propter quinque. Primo, quia per eos intus a peccatis mundatur. psal. 24. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte uniuersa delicta mea. Secundo, quia per istos labores homo ex cōuersatione honestatur. Sap. 10. Honestauit illū in laboribus, & cōpleuit labores illius &c. Tertio, quia qui est in istis laboribus, a Domino spirituali cibo in præsenti satiatur Matt. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & honorati estis, & ego reficiam uos &c. Quarto, quia per istos labores homo quieté i terra lucratur. Eccl. ult. Videte ꝙ modicum laboraui, & inueni mihi multam requié. Quinto, quia fructus æternæ gloriæ pro laboribus istis datur. Sap. 3. Bonorum laborum gloriosus est fructus. ibidé. 10. Reddet Deus mercedem laborum sanctorú suorum &c. Apoc. 14. A modo iam dicit spiritus ut requiescāt a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos &c.

De ea

De eadem epistola.

IN laboribus plurimis, Quadruplicem laborē ponit Scriptura. Primus est labor naturæ, quo homo laborat ad sustentationem naturę destitutę. Iob.2. Homo nascitur ad laborem. Secundus est labor culpæ, quo laborat homo ad faciendum peccatum. Hierem.9. Vt inique agerent, laborauerunt. Tertius gehennæ, post quā nulla sequitur quies. psal. 48. Laborauit in æternum, & viuet adhuc in finem. Quartus labor est gratiæ, quo laborant iusti ad operandum bonum. Circa laborem naturæ sunt quinque attendēda. Primo, quia pro peccato infligitur, vnde patet quòd homo debet odire peccatum, propter quod est in tantis laboribus. Gen.3. In labore vultus tui comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Secūdo, quia si sustinerēt in charitate æterna, per ipsum beatitudo acquiritur. psal.127. Labores manuū tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Tertio, quia frequenter a bestiis, pestibus, vel hostibus propter peccatum cōsumitur, ideo debet homo a peccato cauere. Deut. 18. Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedat populus, propter quod contrarium dicitur de iustis, Isa.62. Si dedero triticum tuum vltra cibū inimicis tuis, & si biberint filii alieni vinum, in quo laborasti, qui qui congregabunt illud comedent, & laudabunt Dominum &c. Quarto, quia omnes ad laborandum tenentur, & qui non laborat, comedere prohibetur, 2. Thes.3. Qui non laborat, nō manducet. Quinto, quia qui non vult laborare, æterno supplicio punietur, psal.72. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, sed cum dæmonibus. Item, circa laborem culpę nota quòd scriptura ponit quinque labores. Primus, auaritiæ. Ecclesia.4. Vnus est, & tamen laborare non cessat, nec satiatur &c. Prouerb. 28. Noli laborare vt diteris. Secundus, superbiæ. Eccl.5. Quid ergo prodest quòd laborauerit in vētū? Ventus superbia est. Tertius luxuriæ, Eccl.9. Perfruere vita cum uxore quam diligis, & post hæc omnia tua in labore tuo, loquitur i persona stultorum. Quartus, maleficiorum. Isa.47. Sta cum incātatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus

laborasti

laborasti ab adolescentia tua. Quintus, gulæ. Eccle.6. Omnis labor hominis in ore eius, vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, & loquitur in persona gulosi.

Circa laborem gehennæ possunt tria notari. Primo, immensitas. Tren.3. Circundedit me felle, & labore. Secundo, acerbitas. Eccl.10. Labor stultorum affligit, Tertio, æternitas. psal.48. Laborabit in æternũ, & viuet adhuc in finem, A quo labore liberet nos Dominus noster. Amen.

De eadem ex epistola.

SCio hominem siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit &c. 2. Cor.11. Tria sunt necessaria cuilibet viro sancto ad perfectionẽ, quæ notantur in ista epistola circa Paulum. Primo, aduersariorum tolerantia: secundo, bona operatio: tertio, cælestium contemplatio. Debent enim viri sancti primo aduersa tolerare patientissime: secundo, bona opera excellentissime consumare: tertio, cælestia gaudia cõtemplari. Primum notatur, ibi. In carcere abũdãtius. Rom. 12. In tribulatione patientes, Secundum, ibi. In labore & ærumna. Gal.6. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes maxime autem ad domesticos fidei. Tertiũ, ibi. Scio hominem raptum vsque ad tertium cælũ &c. 2. Cor. 3. Nos autem reuelata facie gloriã Domini speculãtes &c. Circa primum notandum, quòd in quatuor specialibus ostenditur mira patientia Pauli in ista epistola. Primo, in sustinentia carnalium tormentorũ, ibi. Ter virgis cæsus sum semel lapidatus, ter naufragiũ feci &c. 1. Cor.4. persecutionem patimur, & sustinemus. Secundo, tolerantia diuinorũ iudiciorum, ibi. Ter neufragium feci. Tertio, tolerantia detractionum, ibi, periculis in falsis fratribus, qui eum persequebantur detrahendo in opere. 1. Cor.4. Maledicimur, & benedicimus. Quarto, in tolerantia tentationum, ibi. Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanę, Ia. 1. Beatus vir qui suffert tentationem &c. Circa secundum nota, in quatuor notatur maxime bona operatio Apostoli, in quibus debemus eum imitari. primo, in manuum labore, ibi. In laboribus plurimis, gl. Manuum tuarum labores manducabis, beatus es, & bene tibi erit. 2. Tim.3. In labore & fati-

& fatigatione. Item, alibi. Nocte & die in profundo mari^s fui. Secundo, in ieiuniorum, & vigiliarũ obseruatione, ibi. In vigiliis, in ieiuniis multis. Tertio, in sollicita prædicatione, ibi. Instãtia mea quotidiana. Mat. vlt. Euntes in mundum uniuersum prædicate euãgeliũ omni creaturæ. Quarto, in oratione, ibi. Propter quod ter Dominum rogaui. Ro. 12. Orationi instantes. Oratio ordinabat eum Dominum, prædicatio ad proximum, labor manuum ad seipsum.
Circa tertium notandum, quòd quatuor sunt modi contẽplationis, qui notãtur in ista epistola circa Paulum, in quibus debemus illum imitari. Primus modus versatur circa considerationem scripturæ, qui intelligitur per raptum in paradisum, ibi. Scio hominem raptum &c. Dionysius. Pulsemus in hortum optimum paradisi scripturarum, qui odoriferis, qui dulcibus, qui speciosissimis, qui omnimode intellectualium deiferarum uolucrum cantilenis circũsonat aures nostras, qui tangit quidem cor nostrum, & contribulatum, lætificat quidem, iratum autem subtemperat, & lætitia æterna multiplici implet. Secundus modus uersatur circa considerationem creaturæ incorruptibilis, qui intelligitur per primũ cælũ. ps. 8. Quoniam uidebo cælos tuos &c. Ad literam loquitur de cælo materiali. Tertius modus uersatur circa considerationem creaturæ spiritualis, considerãdo ordines angelorum ad Deum, ad nos, ad seipsos, qui intelligitur per raptum usque ad tertium cælum. Aug. Nimirum cælum cæli, quod in principio fecisti, creatura est aliqua. Cintellectualis, q̃q̃ non tibi trinitati coæterna, particeps tamẽ æternitatis tuæ ualde immutabilitate sua p̃ dulcedine felicissimæ cõtẽplationis tuæ cohibet, & sine lapsu ullo ex quo facta ẽ meredo, tibi excedit oẽm uolubilẽ uicissitudinẽ tẽporũ. Quart^9 mod^9 uersat̃ circa cõsideratiõnẽ diuinitatis, q̃ itelligit̃ p̃ raptũ i tertiũ cælũ. 2. Cor. 3. Nos aũt reuelata facie glorĩa Dñi speculãtes &c. Bernardus. At omnium maximus, qui spreto usu rerum, & sensuum, quantum quidem humanæ naturæ fragilitati fas est non ascensionis gradibus ad illa sublimia aduolare interdum contẽplando consueuit: & hæc cõtemplatio cum perfecta fuerit, erit summa beatitudo. Aug. Introducis ad me, Dñe, aliquãdo quan-

do quandam nescio quam dulcediné, quæ superficitur in me, nescio quæ sit uita æterna, si illa non est, Ad quam per ducere &c. Amen.

De eadem ex euangelio.

VOLVCRES cæli comederunt illud, Luc.8. Per uolucres intelliguntur dæmones, per semé iustitia; vnde secundum mysticam expositionem possunt in istis uerbis notari tria. Primo, dæmonum ad male faciendum velocitas, ibi. Volucres. Secundo, eorum secundum naturam dignitas, ibi. Cæli. Tertio, eorum secundum culpam iniquitas, ibi. Comederunt. Circa primum sciendum quod dæmones comparantur uolucribus propter tria. Primo, propter uolatus sublimitaté: secundo, propter uolandi velocitatem: tertio, propter rapacitatem. Dęmones enim uolant in altum. Numeri 24. Si in petra posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Item, uolant cito per malefaciendi festinationem. Tre.4 velociores fuerunt persecutores aquilis cæli. Item, uiuunt de raptu per animarum deuorationem. 1. Pet.5. Aduer sarius uester diabolus tanquam leo rugiens circuit quęrens quem deuoret &c. Eze.18. Aquila grandis magnarum alarum. Circa secundum notandum, quod propter tria dicuntur dæmones aues cæli. Primo, propter originem: fuerunt enim facti in cælo empyreo. Secundo, propter subtilitaté: vnde de his duobus, Is.14. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris &c. usque altissimo. In eo quod dicitur de cælo cecidisse, notatur ibi origo, quia fuit in cælo creatus: in eo quod dicitur, Lucifer, notatur naturalium perspicacitas & speciositas. Tertio, dicuntur aues cæli propter habitationem. Eph.6. Contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, & propterea accipite armaturá Dei, ut possitis resistere in die mala, & in omnibus perfecti stare. Circa tertium notandum, quod triplex est semen quod comedunt dæmones. Primum est uerbum Dei. Matth. 13. Semen est uerbum Dei. Luc 8. Aliud cecidit secus uiam, & venerunt volucres cæli, & comederũt illud. In eodem. Ve-

nit malus,& rapit quod seminatum est in corde eius, hoc est,quod seminatum est secus uiam. Secundum est semen iustitię.2.Cor.9.Qui parce seminat,parce & metet:qui autem &c.Tertium semen est quodlibet bonum opus. ps.125. Euntes ibant,& flebant mittentes semina sua &c. Augu. Ibi semina nostra sunt,quicquid boni fecimus. Semen uerbi Dei tollunt dæmones errorem in corde hominis seminando.2.Cor.4.In quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium,vt nō fulgeat illis illuminatio euangelii gloriæ Christi,qui est imago Dei.Semen iustitiæ tollunt dæmones ad iniustitiam pertrahendo.Io.8.Vos ex patre diabolo estis,& desideria patris uestri vultis facere. Tertium semen boni operis tollit diabolus,homines gloriari de bono opere faciendos.Matth.6.Cum facis eleemosynam,noli tuba canere ante,sicut faciunt hypocritæ,vt uideantur ab hominibus.Amen dico uobis receperunt mercedem suam &c.Et ideo patet,quod semen est a uolucribus, idest, dæmonibus custodiendum,ut possit afferre fructum centesimum.Fructus centesimus est gaudium æternitatis, Ad qđ nos perducere dignetur &c.

Dominica in Quinquagesima ex epistola.

SI linguis hominum loquar & angelorum,charitatem autem non habuero, nihil sum &c. 1. Cor.13.In ista epistola inuitamur ad charitatem, ideo commendatur hic multipliciter, & notantur hic quinque circa charitatem.Primo, eius pretiositas:secundo,damnum in eius absentia:tertio, utilitas in eius præsentia:quarto,ipsius æternitas:quinto,ipsius dignitas Primum,ibi.Charitaté: eo enim ipso quod virtus ista charitas dicitur,chara & pretiosa ostenditur. Secundum, ibi.Factus sum uelut æs sonans &c.Tertium,ibi. Charitas benigna est &c.Quartum,ibi.Charitas numquàm excidit. Quintum,ibi.Maior autem horum est charitas.Circa primum notandum quod charitas dicitur chara res propter quatuor Primo,quia non potest haberi nisi ab uno solo, & a summo bono donetur. Ro.5. Charitas Dei diffusa est in

cordibus per Spiritum sanctum qui datus est nobis &c. Secundo, quia solum a bonis habetur. Aug. Charitas est fons proprius, cui non communicat alienus. Tertio, quia cum ipsa bona omnia possidentur. Aug. Attende quantum bonum est charitas, quæ si absit, frustra habetur cætera: si autem adsit alicui, habentur omnia. Quarto, quia qui habet eam nimis charus a Deo habetur: sicut qualitas est secundum quam quales dicimur, sic charitas est secundum quã chari dicimur. Vnde Dominus in charitate existentes uocat charissimos Cã. 5. Comedite amici, & inebriamini charissimi. Circa secundum notandum, quod triplex damnum contingit, ex absentia charitatis, sicut ostendit hic Apostolus. Primum est, quia bonum naturæ consumitur, ibi. Factus sum velut æs sonans: æs enim sonando seipsum consumit, sic creatura rationalis sine charitate a uitiis consumitur. Aug. in libro de ciuitate Dei. Si naturæ bonæ non essent eis uitia non nocerent: nam quid eis nocendo faciunt, nisi adimere integritatem, pulchritudinem, salutem, & pacem? Secundum quia anima sine charitate separata a Deo moritur, ibi. Nihil sum, idest mortuus sum, quod est a uero esse separatus, sine quo homo nihil est. 1. Io. 3. Qui non diligit, manet in morte. Tertium est, quia omne opus sine charitate inutile efficitur, ibi. Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum &c. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest &c. Ambr. Qui charitatem non habet, omne bonũ amittit, quod a nobis aueitat &c.

De eadem ex euangelio.

CAECVS sedebat secus uiam, Luc. 18. Moraliter per cæcum istum intelligitur peccator. Sopho. 1. Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccauerunt. Sicut enim cæcus non uidet corporaliter, ita peccator non uidet spiritualiter. Sunt autem septem quę uisum corporalem impediunt, & significant septem mortalia uitia quæ spiritualiter excæcant. Primum est faciei inflatio, & hæc est superbia. August. Nimis inflata facies mea me videre non sinit. Secundum est

aeris obtenebratio, hæc est inuidia: vnde inuidus dicitur quasi non uidens. Sap. 2. Excæcauit eos malitia eorum. Dicitur de Iudæis inuidis. 1. Reg. 18. Iam non rectis oculis aspiciebat Saul Dauid &c. Tertium est oculorum conturbatio, hæc est ira psal. 30. Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & uenter meus. Quartum est pulueris, uel alicuius grossi superiectio, hæc est auaritia. Puluis enim temporalia sunt quæ excæcant. Aug. Defluxi ad temporalia, & obscuratus sum. Quintum est oculorum clausio; cum enim quis claudit oculos, aut non vult aperire oculos, nõ uidet, hæc est accidia. Accidiosus enim ex sola pigritia aperiendi oculos intellectuales non potest uidere bona spiritualia. Boetius. Nequeunt oculos tenebris assuetos ad lucem ueritatis se attollere, similesque sunt auibus, quarum nox intuitum illuminat, excæcat dies. Sextum, sanguinis & humorũ circa oculos multiplicatio, hæc est gula. Prou. 23. Cui uæ? cuius patri uæ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa uulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in uino, & student calicibus epotandis? Ad literam, oculos etiã spirituales & corporales nimia potatio uini excęcat. Septimum, panniculi obumbratio: nascitur enim aliquando quidam panniculus in oculo, siue nubecula, & excæcatur homo, hoc fit per luxuriam. Augu. Ascendebant nubeculæ de limosa concupiscentia carnis, & obnubilabant, & obfuscabant cor meum, vt non discerneretur synceritas dilectionis a caligine libidinis: & sicut sunt septem quæ excæcant animam, ita septem sunt quæ illuminant. primũ, est fides. Luc. 18. Respice, fides tua te saluum fecit. Aug. Fides est illuminatio mentis, qua mens illuminatur a prima luce ad uidendum bona spiritualia. Secũdum, humilitas. Io. 9. Ego in iudicium in hunc mundum ueni, ut qui non uidẽt, videant, idest qui se uidere non existimant, quod est humilium. Tertium, est amaritudo pœnitentiæ. Tob. 6. Fel ualet ad ungendum oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur. In felle amaritudo significatur. Quartum, est dilectio proximi. Apoc 3. Collyrio inunge oculos tuos ut uideas. Quintum, est abundantia lacrymarum: hoc probatum est in cæconato, qui lauit oculos suos in natatoria Siloe, quod inter-

interpretatur missus. Abiit ergo, & lauit, & uenit videns. Io. 9. Vade ad natatoria Siloe. Sextum est deuota oratio, Matth. 20. Et clamauerunt dicentes, Domine, miserere nostri fili Dauid: & post. Misertus Iesus tetigit oculos illorũ, & confestim uiderunt. Septimum, est deuota sanctarũ scripturarum auditio. Isa. 20. In die illa audient surdi verba libri signati, & oculi cæcorum videbunt &c. Amen.

Dominica prima in Quadragesima ex epistola.

ECCE nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. 2. Cor. 6. In istis uerbis duo notantur. Primo, præsentis temporis commendatio prior, ibi. Ecce nunc tempus acceptabile. Secundo, causa commendationis subiungitur, ibi. Ecce nunc dies salutis.. Circa primum sciendum, quod tempus præsens dicitur tẽpus acceptabile propter octo. primo, quia est tempus Dominum requirendi. Osee. 10. Tempus autem requirendi Dominum, cum uenerit qui docebit iustitiam &c. Secundo, quia est tempus Domino placẽdi. ps. 68. Tempus beneplaciti Deus. Tertio, quia est tẽpus mores corrigendi. Heb. 9. Vsque ad tempus correctionis impositi. s. iustitiæ Iudæorum &c. Quarto, quia est tempus uitia, & superflua resecãdi. Cant. 2. Tempus putationis aduenit. Quinto, quia est tempus diuinam misericordiam suscipiendi. psal. 101. Tẽpus miserendi eius, quia venit tempus. Sexto, quia est tempus tribulationem patiendi. Hiere. 20. Tempus tribulationis est Iacob, & ex ipso saluabitur. Septimo, quia tempus salutem acquirendi. Eccl. 4. Ne retineas uerbum in tempore salutis. Octauo, quia est tempus benefaciendi. psalm. 118. Tempus benefaciendi Domine. Circa istud vltimum notandum, quod tempus Quadragesimæ est tempus benefaciendi spiritualiter. ad quod inuitãt nos octo. primo, scriptura, quæ in isto tempore legitur. Modo enim leguntur euangelia & epistolæ, quæ inuitant nos ad orandum, ad ieiunandum, ad faciendas eleemosynas, ad iustitiam faciendam, & pœnitentiam, & cætera huiusmodi: vnde surdus videtur esse qui modo non bene operatur. Videtur enim non

audire uoces tot scripturarum quæ modo leguntur, quæ ad bonum hortantur. Secundo, inuitat nos ad hoc Creator, qui creditur in isto tempore fecisse mundum: vnde valde incuriale est non facere aliquod bonum pro Deo, cum ipse tot bona fecerit pro nobis. Tertio, inuitat nos ad hoc creatura, quæ tempore hyemali ab opere cessauit, modo re incipit operari, sicut patet in herbis, plantis, & animalibus Hiere. 8. Miluus in cælo cognouit, operando, scilicet tempus suum. Quarto, inuitat ad bene operandum Christi exemplũ, qui in isto tempore bona fecit nobis. Ber. Qui me totum & semel dicendo fecit, in reficiendo & dixit multa, & fecit mira, & pertulit dura. Quinto, inuitat Ecclesiæ ordinatio, quæ instituit vt oẽs cõfiterẽtur, & ieiunarẽt, & Ecclesiam frequentarent: unde qui hæc non facit, transgreditur præceptum matris Ecclesiæ, Prou. 1. Ne dimittas legem matris tuæ. Sexto, multorum prouocatio & cõsuetudo. Modo enim multi incipiunt bene operari, vnde debet verecundari solus cum paucis remanere. Heb. 12. Ideoque & nos tantam habentes nubem impositam testium, deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen & consummatorem fidei Iesum &c. Septimo, diuinæ gratiæ abundans effusio. Credibile est enim quod Deus, qui tot bona largitus est nobis, istis diebus modo gratiam abundantius effundat: vnde in epistola legitur. Hortamur uos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis &c. Octauo, debet nos hortari ad bonũ magni paschatis expectatio: qui enim expectat magnũ festum, debet facere magnam uigiliam, ideo modo cantat Ecclesia. Non sit uobis vanum mane surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam uigilantibus. Item, corpus Christi recipere expectamus, quod nullus debet recipere nisi purgatus. 1. Cor. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat &c. Vnde sic digne celebrando Quadragesimam istam in præsenti, perueniemus ad montem Dei. Horeb, idest ex euangelio ad mensam cælestem, Ad quam &c.

De.

De eadem ex euangelio.

CVm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit &c. Matth. 4. Sicut Aug. dicit. Summa religio est imitari quod colimus: vnde cum Dominus noster ieiunauerit, debemus eum imitari in ieiunando. Sunt autem quatuor quę debent nos mouere ad ieiunandum. Primum est Dei praeceptum: secundum, Christi exemplum: tertium, multiplex, quod non ieiunantibus prouenit, nocumentum: quartum multiplex, quod ex ieiuniis prouenit, emolumentum. Circa primum sciendum, quod Dominus praecepit ieiunium quadrupliciter. Primo, per se ipsum Adae & Euae in paradiso, cum praecepit ut ieiunarent, idest abstinerēt a ligno sciētiae boni & mali, ne comederent. Secundo, praecepit ieiuniū per legem Moysi. Leu. 16. Sabbathum requietionis est, affligetis animas uestras religione perpetua &c. Tertio, per prophetas. Ioel. 2. Sanctificare ieiunium &c. Quarto, per Apostolos. 2. Cor. 11. In fame & siti, in ieiuniis multis. Vnde patet quod transgressor praeceptorum gratiae est, qui nō vult ieiunare. Circa secundum notandum, quod Dominus quatuor docuit nobis esse necessaria in ieiunio. Primo, ut ab omnibus peccatis mundemur: secundo, vt ieiunantes a fauoribus hominum occultemur: tertio, ut lōganimiter & perseueranter ieiunemus: quarto, ut tentationes daemonū superemus. Primum docuit in hoc, quod baptizatus ieiunauit: sic & qui vult bene ieiunare, primum debet per poenitentiam & confessionem lauari. Matth. 6. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua ne uidearis hominibus ieiunans. Secundum docuit quod ieiunaturus desertum petiit: vnde docuit quod cum ieiunamus, & bona operamur, a laudibus hominum nos abscondamus. Matth. 6. Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritę tristes: & post, Vt nō videamini &c. Tertium docuit in hoc, quod quadraginta diebus & noctibus ieiunauit. Aug. Carnem uestram domate ieiuniis ab esca & potu, quantum ualetudo permittit. Quartum docuit in hoc, quod diabolo tentanti non credidit, ibi. Non in solo pane uiuit homo: & ibi. Va

de Satana.Eccl. 2. Fili, accedens ad seruitutem Dei sta in timore & iustitia,& præpara animam tuam ad tētationē. Circa tertium sciendum,quod quatuor mala proueniunt eis qui nolunt ieiunare cum debent. Primum est malum culpæ.Ezec.16.Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ,saturitas panis,& abundantia &c.Secundum est malum dāni:qui non uult ieiunare,hic a fructu æternę vitæ perpetuo ieiunabit.Hoc significatur in Gen.3.vbi dicitur quod Adā noluit abstinere a fructu ligni vetiti: vnde dixit Dominus.Videte ne forte sumat de ligno vitæ,& comedat,& viuat in æternum:& emisit eum Dominus de paradiso uoluptatis &c.Tertium est malū pœnæ præsentis.Eccl.27.Propter crapulam multi perierunt &c.Quartum est pœna famis & sitis in inferno perpetua. Qui enim non vult modo ieiunare,famem & sitim perpetuo sustinebit.Isa.45. Ecce serui mei comedent,& uos esurietis &c.quod patet in diuite epulante,qui nolebat ieiunare,sed quotidie splendidè comedebat,ideo non potuit habere guttam aquæ &c. Luc.15.Circa quartum notandum,quod quadruplex bonū prouenit ex ieiunio. Primum,est vitiorum mortificatio:secundum,mentis in Deum eleuatio:tertium, virtutum acquisitio:quartum,æternæ beatitudinis præmium.De his quatuor Greg.Qui corporali ieiunio vitia comprimis,ecce primum:Mentem eleuas,ecce secundum: Virtutem largiris, ecce tertium:Et premia,ecce quartum.Ad quod &c.

Dominica secunda in Quadragesima ex epistola.

ROGAMVS vos fratres,& obsecramus ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare,& placere Deo,sic & ambuletis magis 1.Thess.4.In ista epistola hortatur nos Apostolus ad quinque. Primo,ut secundum Deum ambulare studeamus ibi.Quemadmodum oporteat uos ambulare.Secundo,ut Deo placeamus,ibi.Et placere Deo.Tertio, ut sācti,idest mundi efficiamur,ibi.Est enim voluntas Dei sanctificatio vestra.Quarto, vt iniuriam proximo non faciamus,ibi.Nequis supergrediatur aut superueniat in nego-

 tio

tio fratrem suum &c. Quinto, vt a peccato luxuriæ caueamus, ibi. Vt abstineatis vos a fornicatione. Circa primum sciendum, quòd Apostolus docuit duodecim modos ambulandi: hic quæras quinque, alios quæras in sequenti Dominica. Debemus enim primo ambulare in humilitate, ne inflati superbia per arctam uiam ingredi non ualeamus. Secundo, in patientia, vt labores viæ & aduersa libenter sustineamus. Tertio, in mansuetudine, vt comites in uia habeamus, & eos in itinere non turbemus. Quarto, in charitate, vt uerba bona sociis communicemus. Quinto, in compassione, vt sanctorum infirma supportemus. De his quinque Eph. 4. Vt digne ambuletis cum omni humilitate, ecce primum: & mansuetudine, ecce secundum: cum patientia, ecce tertium: supportantes inuicem, ecce quartum: in charitate, ecce quintum. Circa secundum sciendum, quod quinq; sunt nobis necessaria ut placeamus Deo. Primo, ut eum tamquam omnipotentem & iustum super omnia timeamus. Secundo, ut in eum tamquam in liberatorem super omnia speremus: De his duobus, psal. 149. Beneplacitum est Domino super timentes eum, ecce primum: & in eis qui sperant super misericordia eius, ecce secundum. Tertio, ut eum tamquam summum bonum super omnia diligamus. Prou. 8. Ego diligentes me, diligo. Quarto, ut tribulationes pro eo libenter sustineamus. Iudit. 8. Omnes qui Domino placuerunt, per multas tribulationes trãsierunt. Quinto, ut carnis delectabilia pro eo despiciamus, & secundum spiritum viuamus. Ro. 8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt: vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Christi habitat in uobis. Circa tertiũ sciendum, quod propter quinque maxime debemus studere ut sancti, idest mundi, efficiamur. Primo, ut Deo assimilemur. 1. Pet. 1. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Secundo, ne Christo, qui multo labore & expensis nos mundauit, iniuriam faciamus. Apoc. 1. Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Tertio, ne ab ingressu cœlestis ciuitatis prohibeamur. Apoc. 21. Non intrabit in ea aliquid coinquinatum. Quarto, ut sapientiæ susceptibiles efficiamur. Sap 7. In animam sanctam se transfert, & amicos

Dei

Dei prophetas constituit. Quinto, ut Deum uidere mereamur. Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt: quod nobis præstet Christus &c. Abstineatis uos a fornicatione. Multæ causæ sunt quare homo debet abstinere a fornicatione. *Quære in Quadragesimalibus in secunda Dominica.*

De eadem ex euangelio.

FILIA mea male a dæmonio uexatur, Matth. 15. Moraliter per istam dæmoniacam intelligitur anima peccatrix. & notantur hic duo mala, quæ acquirit homo per peccatum mortale. Primum est, quia possidetur a dæmonio: secūdum est, quia male vexatur. Circa primum sciendum, quod anima peccatrix possidetur a septem dæmonibus. Primum dæmonium est immoderata sciendi cupiditas, hoc est dæmonium meridianum. psal. 90. A dæmonio meridiano. Secundum est immoderata habendi auaritia, hoc est dæmonium mutū. Luc. 11. Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Tertium est dominandi ambitio, hoc est dæmonium. Asmodeus nomine. Tob. 3. Dæmoniū nomine Asmodeus, interficiebat eos. Asmodeus, qui interpretatur iudicium facturæ, significat ambitionem, quæ appetit habere potestatē iudicandi homines, qui sunt factura Dei. Quartum dæmonium carnalium voluptatum delectatio, hoc est dæmoniū cæcum. Matth. 12. Tunc oblatus est ei homo dæmonium habens cæcus & mutus, hæc est carnalis cōcupiscentia quæ excæcat oculos mentis. Aug. Ascendebant nebulæ de limosa concupiscentia carnis, & obnubilabant, & offuscabant cor meum, vt non discerneretur synceritas dilectionis a caligine libidinis. Quintum dæmonium est nocendi crudelitas, hoc est dæmonium sæuum. Matth. 8. Et occurrerunt ei duo homines dæmonia habentes sæui nimis. Sextum est detrahendi malignitas, de hoc Apoc. 16. Vidi tres spiritus immundos in modum ranarum exisse, qui sunt tres species dæmoniorum. In rana intelligitur detrahendi loquacitas, quia tres sunt modi detrahendi. Primus, est bona dimi-

nuere;

nuere: secũdus, est mala exagerare: tertius, falsa crimina imponere. Septimum dæmonium est desperatio, ex qua sequitur omne malum. Istud dæmoniũ vocatur legio, quia multi dæmones intrant in animam post desperationẽ. Martii. 5. Quod tibi nomen est? Respondit, Legio. De istis autem septem dæmoniis, Luc. 8. Maria quæ vocatur Magdalena, de qua exierant septem dæmonia. Ab istis dæmoniis possidetur anima peccatrix. Circa secundum sciẽdum, quod dæmonia ista hominem, quem possident, vexant septem modis. Primo, cæcum faciendo. Secundo, loquelam auferẽdo. De his duobus, Matth. 12. Habens dæmonium, cæcus & mutus. Tertio, affligunt ignem cupiditatis accendendo. Quarto, in aqua luxuriæ submergendo. Quinto, mutationes rerum mutabilium immutando De his tribus Matth. 17. Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est: nam sæpe cadit in ignem, crebro in aquam peccator dicitur lunaticus, quia ut luna cum temporalibus crescit & decrescit, & sæpe cadit in ignem cupiditatis, & aquam luxuriæ. Sexto, affligit gelu spiritualium, indumenta uirtutum auferendo. Luc 8. Occurrit illi uir quidam, qui dæmonium habebat iam temporibus multis, & vestimento non induebatur &c. Septimo, vexat doloribus & angustiis, quas sæpe patiuntur, peccatores affligendo. Marc. 5. Occurrit ei de monumentis homo in spiritu immundo: & post, Concidens se lapidibus. Hier. 2. Vide quam malum & amarum est reliquisse te dominum Deum tuum &c. Valent autem ad liberationem huius dęmoniacæ quinque, quæ notãtur circa mulierem Chananæam. Primo, humilitas, ibi. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum &c. Secundo, patientia, quæ notatur in hoc quod tam patiẽter portauit improperium sibi a Domino illatum. Tertio, oratio, ibi. Miserere mei fili David &c. Quarto, perseuerantia, quod notatur in hoc quod non cessauit, donec obtinuit quod volebat. Quinto, fides, ibi. O mulier, magna est fides tua. Si ista quinque habueris, ab omni dæmonio, idest peccato liberaberis, Quod nobis præstet Christus, Amen.

Dominica

Dominica tertia in Quadragesima ex epistola.

VT filii lucis ambulate &c. Eph. 5. In istis uerbis tria facit Apostolus. Primo, ad ambulādum inuitat, ibi. Ambulate: secundo, modum ambulādi demonstrat, ibi. Vt filii. Tertio, causam assignat, ibi. Lucis. Nam ex quo lux est, ambulandum est. Ioā. 12. Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant. Circa primum sciendum, quod quadruplex est ambulatio hominis. Prima naturæ, secundum quod ambulat homo ad mortem properando. Iob. 16. Semitā, per quā non reuertitur, ambulo. Secunda culpæ, secundum quam ambulat homo de malo in malum transeundo. psalm. 11. In circuitu impii ambulant. Tertia gratiæ, secundum quā ambulat homo de bono in melius proficiēdo. Gen. 17. Ambula coram me, & esto perfectus. Quarta gloriæ, secūdum quam ambulant sancti post Christum eundo. Apoc. 3. Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Prima est sustinenda, secunda est fugienda, tertia est facienda, quarta desideranda. Ad tertiam hortatur hic Aposto. Eph. 4. Obsecro vos vt ambuletis digne Deo &c. Circa modum ambulandi notandum, quod duodecim modos docet nos Apost. ambulandi in suis epistolis: quinque positi sunt in præcedēti Dominica, septem uero hic. Sciendum est ergo quod debemus ambulare in uitæ nouitate. Primo, peccati vetustatem abiiciendo. Ro. 6. In nouitate uitæ ambulate. Secundo, carnem spiritui subiiciendo, & secundum spiritum uiuendo Gal. 5. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Tertio, in dilectione, Deum & proximum diligēdo. Eph. 5. Ambulate in dilectiōe, sicut & Christus dilexit vos &c Quarto, honeste & bene inter homines conuersando. 1. Thess. 4. Vt honeste ambuletis ad eos qui foris sunt. Quinto, in sapientia dulcibus sermonibus & vtilibus alios ædificando. Col. 4. In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt. Sexto, in Christo eum sequendo & imitando. Col. 2. Sicut accepistis Christum, in ipso ambulate. Septimo, in luce debemus ambulare nihil reprehensibile faciendo, de quo hic, Vt filii lucis ambulate. Io. 11. Qui ambulat in die, non offendit.

In istis septem modis ambulant boni:mali autem ambulāt septem aliis modis. Primo, secundum carnem carnis desideria perficiendo. Iudiæ.1. Post carnem in concupiscentiis ambulant. Secundo, ambulant secundum sæculum sæculariter viuendo, Eph.2. In quibus ambulastis aliquando secū dum sæculum mundi huius. Tertio, ambulant in vanitate, quæ uana sunt diligendo. Eph.4. Sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui tenebris habentes obscuratum intellectum &c. Quarto, inordinate, & inhoneste, & dissolute viuendo 2.Thess.4. Vt subtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam accepistis a nobis. Quinto, ambulant in desideriis faciendo quodlibet. Sexto, in luxuriis, luxuriose viuendo. Septimo, ambulāt in gulositate, comessationibus, & ebrietatibus uacando. De his tribus. 1. Pet. 4. Qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, & comessationibus, potationib⁹, ebrietatibus, & illicitis idolorum cultibus. Istis modis nō est ambulandum, quia qui sic ambulant, peribunt. Iob. 6. Ambulant in vacuum, & peribunt. Sed qui primis modis ambulant, peruenient ad gaudia vitæ æternæ, Quæ donet nobis Christus, Amen.

De eadem ex euangelio.

ERAT Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum, Luc. 11. In istis uerbis circa eiectionem istius dæmonii, per quam significatur eiectio diaboli ab anima, notantur hic tria. Primo, eiiciendi frequentia, ibi. Erat Iesus eiiciens dæmonium, ubi notatur quòd frequenter eiiciebat. Secundo, eiecti nequitia, ibi. Et illud erat mutum. Tertio, eiectionis vtilitas, ibi. Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus. Circa primum notandum, quod Dominus eiecit dæmonem frequenter. Primo, de cælo proiiciendo. Ezech. 28. Eieci te de mōte sancto meo. Apoc 12. Proiectus est accusator fratrum nostrorum. Secundo, eiecit eū de paradiso, ipsum maledicendo. Gen. 3. Quia hoc fecisti, maledictus eris inter animantia & bestias terræ. Tertio, eiecit eum de monte, ipsum ignominiose

ſe repellendo. Matth. 4. Vade retro Satana &c. Quarto, eiecit eum de animabus, eum ab ipſis repellendo. Actu. 10 Qui pertranſiit bene faciendo, & liberando omnes oppreſſos a diabolo. Quinto, eiecit eum de corporibus obſeſſis, ab eo liberando. Luc. 4. Exibant autem dæmonia a multis &c. Sexto, eiecit eum de mundo, ipſum ab eius poteſtate eripiendo. Io. 12. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Septimo, deiiciet eum in infernum, æternis incendiis depu tando. Iſa. 14. Veruntamē ad infernū detraheris ad profun dum laci &c. Circa ſecundū notandū, quod triplex malum intulit dæmonium iſti obſeſſo, per quod ſignificatur triplex malū quod prouenit ex peccato. Primū fuit quod ipſum poſſedit: ſecundum, quia ipſum excæcauit: tertiū, quia loquelā ei abſtulit. Habuit. n. homo iſte tria mala, quia & dæmoniacus fuit, & cæcus, & mutus: & ſignificat tria mala quæ incurrit homo per peccatū. Primū eſt, quia a dæmonio poſſidetur. 1. Tim. 2. Vt reſipiſcant a laqueis diaboli, a quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem. Secundū eſt, quia cæcus efficitur. Soph. 1. Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccauerunt. Tertium malum eſt, quia mutus ad laudā dū, Deū, & confitendū peccata ſua efficitur. Iſa. 56. Vniuerſi canes muti, non valentes latrare. Circa tertium notādū quod tres vtilitates ſubſecutæ ſunt ex eiectione iſtius dæmonis. Prima fuit ipſius ab oſſeſſiōe dæmonis liberatio: ſecunda, viſus reſtitutio: tertia, loquelæ reintegratio, & ſignificant tria bona quæ ſequuntur animam in iuſtificatio ne. Primū eſt, quia a poteſtate diaboli eripitur. Col. 1. Qui nos eripuit de poteſtate tenebrarū. Secundū, quia lumen gratiæ ſibi reſtituitur. pſal. 145. Dominus illuminat cæcos. Tertium eſt, quia loquela ad laudandū Deū, & confitendū peccata ſua ei redditur. pſ. 50. Libera me de ſanguinibus. i. peccatis, & exaltabit lingua mea iuſtitiam tuam &c.

Dominica quarta in Quadrageſima ex epiſtola.

ILLA autem quæ ſurſum eſt Hieruſalē, libera eſt quæ eſt mater noſtra. Gal. 4. In iſtis uerbis commendatur ciuitas Dei, quæ regnat in cælis, in tribus. Primo, in ſitu, ibi. Quæ ſurſum eſt: ſecundo

cundo,in nomine,ibi. Hierusalem:tertio, in libertate, ibi. Libera est. Circa primũ notandũ,quod in hoc quod dicitur esse sursum,commẽdatur in quatuor. primo,a puritate: immunditiæ enim non sunt in alto,sed tẽdunt ad valles, hoc est in ciuitate cælesti,ubi nihil est immundum. Apoca.22. Non intrabit in ea aliquid coinquinatum faciens abominationem. Secundo,a sanitate: ciuitas enim in alto sita sana est,hoc est in cælesti ciuitate, vbi nullus languor est, nec dolor &c. Apoc.21. Et mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor. Tertio,a securitate. Ciuitas enim in alto sita securior est.psal.40. Mirificauit Dominus misericordiã suã in ciuitate munita. Quarto,a spatiositate: terra enim quæ deorsum est,habet se sicut punctus in sphæra, cœlum vero sicut circunferentia. Aug. Quod autem in angustiis miraris latitudinem cœlorum se non coarctantium, ab vltimis Hispaniæ finibus usque ad vicos paucissimorum dierum spatia iacent,si nauem ferat ventus: at illa cælestis regio per triginta annos velocissimo syderi præstat iter.

Circa secundum notandũ,quod in hoc quod dicitur, Hierusalem,commendatur a multis ciuitas cælestis: multa. n. dicuntur de Hierusalem in scriptura, quæ intelliguntur de Hierusalem cælesti,& notantur hic decem. Primum,est admirabilis pulchritudo & spaciositas. Cãt.4. pulchra es amica mea,& suauis,& decora sicut Hierusalem &c. Secundũ, est ineffabilis amor & charitas. Isa.31. Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion,& caminus eius in Hierusalem. Tertium,est delectabilis splendoris claritas. Tob.12. Luce splẽdida fulgebis,& omnes fines terræ adorabunt eam. Quartum, est murorum,& uiarum,& portarum speciositas. To. 13. Et portæ Hierusalem ex sapphiro,& smaragdo ædificabuntur &c. Quintum,omnium rerum abundantia. Isa.33. Oculi tui videbunt Hierusalem habitationem opulentam &c. Sextum,omnium delitiarum affluentia. Isa. vltimo. Lætamini in Hierusalem,& exultate in ea omnes qui diligitis eam:gaudete in ea gaudio vniuersi qui lugebatis super eam, ut sugatis & repleamini ab uberibus consolationis eius:vt mulgeatis,& delitiis affluatis ab omnimoda gloria eius. Septimum,est perpetua & continua lætitia. Octauum,

uum ęternus honor & gloria. Isa. 60. Super te Hierusalem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Nonum ęternæ pacis felicitas. Isa. 66. Ecce egó declinabo super Hierusalem quasi fluuium pacis. Decimum, beatæ lucis æterna iucunditas. Tob. 13. Per omnes plateas Hierusalem. Alleluia cantabitur. Ecce ego do Hierusalem exultationem, & populo eius gaudium &c. Circa tertium notandum, quod erit ibi libertas a quinque. Primo, a dæmonum vexatione. Isa. 14. Et erit in die illa cum requiem dederit tibi Dominus a labore tuo, & a concussione tua & a seruitute dura qua ante seruisti sumes parabolam istam contra regem Babylonis, & dices. Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum &c. Secúdo, ab omni mali afflictione. Tob 13. Liberabis Hierusalem ciuitatem tuam sanctam a cunctis tribulationibus suis. Tertio, a creaturarum corruptione. Quarto, a morte corporis de his duobus. Ro. 7. Quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum &c. Quinto, erit ibi libertas a seruitute peccati. Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, vere uos liberi eritis. Beata est ergo illa ciuitas, vbi nullum est malum, & est ibi omne bonum, Ad quod bonum &c.

De eadem ex euangelio.

ABIIT Iesus trãs mare Galilæę quod est Tyberiadis, Io. 6. Tria principaliter sũt, quæ fecisse dicitur Iesus in hoc euãgelio. Primũ est, quia mare transiit, ibi. Abiit Iesus trans mare. Secundum est, quia in montem ascendit, ibi. Subiit ergo in montem. Tertium est, quia turbas pauit, ibi. Accepit ergo Iesus panes. Circa primum notandum, quod tria fecit Iesus circa mare. Primo, ipsum placauit: secundo, per ipsum siccis pedibus ambulauit: tertio, ipsum transmeauit. Hæc tria facit Christus in mundo. psalm. 103. Hoc mare magnum, & spatiosum. Primo, ipsum placauit Deo patri reconciliando: secundo, siccis pedibus super ipsum ambulando, nihil mundanum diligendo: tertio, trãsmeauit de mundo ad cœlum ascendendo. De primo. 2. Cor. 5. Deus erat in Christo,

sto,mundum reconcilians sibi exposuit in nobis verbum reconciliationis &c. De secundo, Ioan.13. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. De tertio,Io.16.Relinquo mundum, & vado ad patrem. Circa secundum notandum,quòd septem fecit Christus in monte,sicut legitur in euangeliis.Primo,in monte diabolum superauit:secundo,in monte discipulis prædicauit: tertio, in monte se transfigurauit: quarto,in monte frequenter orauit:quinto,in monte discipulis apparuit:sexto,in mõte turbas pauit:septimo,de monte cælos ascendit.De primo,Math.4.Assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi &c.De secundo, ibidem 5.Videns autem Iesus turbas,ascendit in montem, & cum sedisset,accesserunt ad eum discipuli eius,& aperiẽs os suũ docebat eos &c. De tertio, ibidem.16. Assumpsit Iesus Petrum,& Iacobum, & Ioannem fratrem eius & duxit illos in montem excelsum valde: & transfiguratus est ante eos. De quarto ibidem.18.De quinto, hic.De sexto,Matth.vlt. Ascendens in montem sedebat Iesus, & accesserunt ad eũ turbæ:& subditur. Accipiens Iesus septem panes & pisces, & gratias agens fregit,& dedit discipulis suis &c.De septimo,Luc.vlt.Eduxit aut eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis,& recessit ab eis,& ferebatur in cælum. Circa tertium notandum, quòd Dominus in duabus vicibus pauit homines duodecim panibus, & significant duodecim,quibus ipsos pascit qui sequuntur ipsum in via ista.Primus panis est charitas,secundus gaudium,tertius pax,quartus patientia,quintus longanimitas, sextus bonitas,septimus benignitas,octauus mansuetudo, nonus fides,decimus modestia,vndecimus continentia, duodecimus castitas. Isti sunt duodecim panes propitiationis, de quibus dicitur in Exodo.25.Super mensam panes propositionis erunt semper.De his omnibus Gal. 5. Fructus autẽ spiritus sunt charitas gaudium pax &c.

De Beata Virgine ex euangelio.

BEATVS venter qui te portauit & vbera quæ suxisti &c.Luc.11.Nota,quòd venter beatæ Virginis dicitur beatus propter octo. Primo, quia por-

tauit eum qui in seipso summe beatus est.1. Tim.6. Beatus & solus potens,rex regum & Dominus dominantium. Secundo,propter summam beatitudinem & trinitatem quā habuit:fuit enim sponsa patris, & mater filii,& habitaculum spiritussancti,iuxta illud.Salue mater pietatis, & totius Trinitatis nobile triclinium. Tertio,quia concepit sine corruptione.Quarto,quia portauit eum sine labore. Quinto,quia peperit eum sine dolore.De his,Luc.1.Spiritussanctus superueniet in te, & ideo concipies sine dolore & corruptione: & virtus altissimi obumbrabit tibi,& ideo portabis sine labore & corruptione: ideoque quod nascetur ex te sanctum,vocabitur filius Dei,& ideo paries sine dolore. Sexto,quia portauit pretium redemptionis,Num.20. Domine,aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ,vt satiati cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos.Septimo,quia habuit de omni statu:de statu virginū,integritatē:de statu coniugatorū,fęcunditatem:de statu continentium,castitatem. Octauo,quia debet frequēter ab omnibus benedici,idest beata prædicari.Luc.1.Beatam me dicent omnes generationes.Nota,quòd vbera beatæ Virginis dicuntur beata,quia lactabant eum qui est cibus & potus angelorum & sanctorum : vnde illud,Ipsum regem angelorum sola Virgo lactauit vbere de cælo pleno &c.

De mortuis.

MORTVO non prohibeas gratiam,Eccl.7.Quadruplicem gratiam debemus mortuis.Primo,eū debitis obsequiis sepelire.Eccl.38.Fili,in mortuū produc lacrymas,& quasi dira passus incipe plorare,& ne despicias sepulturam illius. Secundo,pro eis orare.Tertio,pro eis eleemosynas facere.2.Mach.12.Iudas collatione facta duodecim millia dragmas argenti misit Hierosolymam offerri eas ibi pro peccatis mortuorum . Quarto,pro eis sacrificium altaris offerre. Exemplum Gregorii in fine dialogorum ante penultimum capitulum lib. 3. qui pro monacho quodam fecit dici triginta Missas, & statim fuit a pœnis liberatus.De his duobus August.Neque negemus

mus animas defunctorum pietate suorum viuentium releuari,cum pro eis officium mediatoris offertur, vel quòd pro orationes fiunt in Ecclesia. Circa primum sciendum, quòd debemus mortuos propter tria cum obsequiis sepelire.Primo,vt nos morituros cogitemus Eccles.7. Melius est ire ad domum luctus quàm conuiuii:ibi enim finis cunctorum admonetur hominum.Aug.de ciu.Dei,Et si corpus humanum propter fidem resurrectionis debito honore sepeliendum,tamen & si sepultura careat, diuina prouidentia credendum est.Tertio,vt meritum pro eo,cum sit opus misericordiæ,recipiamus Tob.12.Quando orabas cum lacrymis,& sepeliebas mortuos,& derelinquebas prandiũ tuũ, & mortuos per diem abscondebas in domo tua,& nocte sepeliebas,obtuli orationem tuá Domino: & quia acceptus eras Deo necesse fuit vt tentatio probaret &c. Circa secũdum sciendum,quòd propter tria debemus orare pro mortuis.Primo,vt nostram charitatem eis demonstremus.Iob. 19.Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei quia manus Domini tetigit me.Secundo, vt pœnas eorum mitigemus.Tertio,vt a pęnis eos liberemus.De his duobus Aug.ad Laurẽtium. Cum pro defunctis baptizatis orationes fiunt,aut ad hoc valent,vt fiat plena remissio,aut tolerabilior fiat damnatio.i.pœnæ purgatorii. Circa tertiũ sciendum,quòd tria debent nos mouere ad faciendas eleemosynas pro mortuis.Primo pœnarum quas patiunt̃ acerbitas: libenter autem faciunt homines eleemosynas leprosis,& his qui patiuntur magnas pœnas,& infirmitates. Minor,n.pœna purgatorii est maior omnibus pęnis præsentis vitæ,sicut dicit Aug.Secundo,magna eorum necessitas.Qñ.n.vident hoies valde mendicos,libenter faciũt eis eleemosynas:illi autẽ qui sunt in purgatorio,sunt in maxima paupertate, quia nihil possunt mereri,cum nõ sint in statu merẽdi.Tertio,debet nos mouere nostra vtilitas.Cũ,n.oramus pro illis qui sunt ĩ purgatorio,& eleemosynas facimus, qñ liberant̃,& sunt in patria,libẽter orãt pro nobis.Circa quartum sciendum, quòd tria debent nos mouere ad celebrandum pro mortuis.Primum est,quia dicit Aug quòd pro illis qui sunt in purgatorio,est propitiatio.Secũdo, quia pro

illis qui ſunt in patria,eſt gratiarum actio. Tertio, quia illis qui peregrinantur in mundo,eſt conſolatio.Ergo virtutem huius ſacramenti ſentiunt qui ſunt in purgatorio,qui ſunt in cælo,qui ſunt in terra.i.in mundo. De his tribus Augu. Cum ſacrificia altaris pro baptizatis offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valde bonis propitiationes ſunt:pro valde malis, & ſi nulla ſunt adiumenta mortuorum,tamen ſunt viuorum conſolationes. ergo non prohibeas mortuo quadruplicem gratiam.

De mortuis ex euangelio.

FActum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in ſinu Abrahæ, Luc.16. In verbis iſtis duo notantur.Primum eſt angelorum benignitas,ibi. Portaretur ab angelis. Magna enim benignitas eſt, ꝙ mendicos non dedignantur portare,cum ſint principes cæli. Secũdũ, paupertatis pretioſitas,ibi. In ſinu Abrahæ. Satis patet ꝙ pretioſa res eſt paupertas, cum per eam acquiratur regnum cælorum, quod per ſinum Abrahę ſignificatur.Auguſt. Venale habeo, & quid? regnum cælorum. Quanti emitur? paupertate regnum, luctu gaudium, morte vitam. Circa primum nota, quòd tria bona facit angelorum benignitas hominibus bonis moriẽtibus. Primũ, quia a dæmonibus,qui ibi ad ſunt,vel in aere obuiant,liberant. pſal. 33. Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum & eripiet eos. Secundo, ſolemnes exequias celebrant eis. Aug. Præclaras exequias purpurato illi diuiti turba exibuit famulorum: ſed multo clariores pauperi vlceroſo miniſterium præbuit angelorum, qui eum extulerunt non in marmoreum tumulum,ſed in Abrahę gremium.Tertio, inducunt eos in regna cæleſtia,vt hic. Et portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ. Circa ſm notandum, quòd tria magna bona cõſequitur pauper in morte.Primo, ab iniqua hominum oppreſſione liberatur.Iob.5. Porro ſaluum faciet egenum a gladio oris eorum, & de manu violenti pauperẽ. ſecundo,regnum cælorum ei datur. Mat.5. Beati pauperes ſpiritu,qm̃ ipſorũ eſt regnum cælorum. Tertio, cum principibus cæleſtis curiæ collocatur.1.Reg.2. Suſcitans de puluere

uere egenū,& de stercore erigēs pauperē, vt sedeāt cū principibus,& solium gloriæ teneat, Ad quam &c.

De mortuis.

DIes mei velociores cursore transeunt, quasi naues poma portantes, Iob.10. In istis verbis duo notantur. Primo, vitæ præsentis velocitas, ibi. Dies mei velociores. Secundo, vitæ sanctorum fragrantia, ibi. Transierunt quasi naues. 2.Cor.2. Christi bonus odor sumus Deo. Circa primum notādum, quòd ex tribus potest considerari præsentis vitæ velocitas. Primo, ex mensurantis temporis velocitate: secundo, ex dierum vitæ hominis breuitate: tertio, ex cōparatioue temporis ad æternitatem. Ista tria satis ostendunt quàm velociter trāsit. Primo, sicut velociter mouet primum mobile, quo mēsuratur tempus: tempus.n.est mensura motus primi mobilis. Sicut enim velociter circuit cælum ad occidentem, & sol ad occasum, sic velociter trāsit ad mortē. Homo.n.ī præsenti quasi viator & cursor, qui quotidie complet cursus sui diætam, quia dies completur ex reuolutione cęli & solis. Aug. Quid est præsens vita nisi cursus ad mortem? Secundo, cōsideratur ex tpis breuitate, Iob.14. Breues dies hoīs sunt. Tertio, ex comparatione ipsius ad æternitatē. Si.n. comparatur tota pñs vita æternitati, non est nisi momentum, vel nihil. Aug. de ciui. Dei. Nihil est diuturnum, in quo est ad extremum peruenire: & omnia singulorū spatia diffinita, si ęternitati interminabili compararentur, non exigua sunt, sed nulla. Circa 2m notandum, ꝙ poma quæ sancti portāt per naues, significatæ sunt virtutes & opera virtutum. Cant.7. Omnia poma noua & vetera seruaui tibi. Dicuntur autem poma virtutes, & bona opera propter tria. Primo, propter eorum decorem: secundo, propter odorem: tertio, propter refectionem. Hæc tria.n. sunt in pomis, quia & decora sunt visui, & odorifera olfactui, & refectiua gustui. Sic sancti viri propter decorem virtutum sunt delectabiles ad videndū. Cant.1. Ecce tu pulcher es, dilecte mi. Secundo, propter odorem bonæ famæ alliciunt alios ad imitandum. Cant.7. Mandragoræ dederunt odorem suum. Tertio, virtutes ipsæ

animam mira dilectione reficiũt. Cant. 2. Fructus eius dulces gutturi meo. Apoc. vlt. Et lignum affert fructus duodecim per singulos menses: & de refectione istorum pomorũ transeunt sancti ad refectionem pomorum, quæ nascuntur in ligno vitæ. Apo. 2. Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei, Ad quam &c.

De mortuis ex euangelio.

QVI manducat meam carnẽ, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, Ioa. 7. Satis ostendit hic Dominus, quòd qui sumunt corpus Domini digne, cum moriuntur, non debemus contristari de morte eorum, sed potius lætari, quia scimus eos habere vitam æternam, sicut hic dicitur. Sciẽdum est autẽ, quòd Dominus voluit dare corpus suum fidelibus suis ad manducandum propter tria. Primo, propter ostendendam suam charitatem. Math. 26. Hoc facite in meam commemorationem, idest vt recordemini meæ charitatis, qua pro vobis mori volui. Secundo, propter figurãdam corporis sui iustitiam, idest Ecclesiæ vnitatem. 1. Cor. 10. Panis autẽ quẽ frangimus, nonne participatio corporis Christi est? quoniã vnus panis, & vnũ corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Tertio, propter efficientiam in vnoquoq; fidelium & multiplicem vtilitatem. Notantur autem hic septẽ vtilitates, quas efficit corpus Christi, cum digne summitur. Prima, peccatorum remissio Ambrosio. Paratus assiste, ut corpus Domini edas, in quo est remissio peccatorum, & postulatio diuinæ reconciliationis. Secunda, a dæmonibus liberatio, Ambr. Suscipe Dominũ Iesum tuæ mentis hospitio, & cum viderit diabolus hospitium tuum occupatum, & cælesti fulgere præsentia, intelliget locum tentationi suæ interclusum per Christum. Tertia, ineffabilis spirit⁹ delectatio. Sap. 16. Panẽ de cælo præparatum præstitisti eis, omne delectamentum in se haberẽ. Quarta, ipsius animæ in sanctitate confirmatio. psa. 103. Panis cor hominis confirmet. Quinta, ad præliandum & moriendum pro amore Dei confortatio animabus est valde ne

cessaria ad desiderium martyrii cum magna ac magna susti nent. 1. Mach. 6. Ostenderunt elephanti sanguinem vuæ & mori. Sexta, æternæ animæ viuificatio. Io. 6. Siquis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & hoc est quod hic dicitur. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, Ad quam nos &c.

De mortuis ex euangelio.

VENIT hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei & qui audierint viuent, Io. 5. In istis verbis tria notantur. Primo, resurrectionis velocitas, ibi. Venit hora: fiet enim in momento horæ. 1. Co. 16. In ictu oculi, in nouissima tuba. Secundo, vocis Dei potentia, ibi. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocẽ filii Dei. psal. 67. Dabit voci suæ vocem virtutis. Tertio, resurrectionis veritas, ibi. Et viuent. Iob. 19. Et in nouissimo die de terra surrecturus sum. Isa. 26. Viuent interfecti tui, mortuique mei resurgẽt.

Circa primum notandum, quòd tria fient in hora resurrectionis. Primo, Christus de cælo descendet: secundo, mortui resurgent: tertio, obuiam Christo occurrent. De his tribus. 1. Thess. 4 Ipse Dominus in iussu, & in voce archangeli, & in tuba Dei descẽdet de cælo, ecce primum: & mortui qui in Christo sunt, resurgẽt primi, ecce secundũ: deinde nos qui viuimus, simul rapiemur cũ illis in nubibus, ecce tertium. Circa 2m notãdũ, quòd tria faciet tũc virtuosa vox Christi. Primo, mortuos suscitabit, vt hic. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius. Secundo, impios condemnabit. Matth. 25. Tunc dicet his qui a sinistris eius erunt. Discedite a me maledicti in ignem æternũ &c. Tertio, sanctos glorificabit, ibidem. Tũc dicet his qui a dextris eius erunt. Venite benedicti patris mei. Possidete regnum &c. Circa tertium nota, quòd tria ostendent resurrectionem esse veram. Primo, quia resurgent illi qui vere mortui sunt, quod notatur hic. Qui in monumentis sunt, audient vocem eius. Secundo, quia resurgent in eadem carne, in qua bene, vel male vixerunt. Iob. 19. In carne mea vi

debo Deum Saluatorem meum. Tertio, quia de cætero non morientur. 1. Cor. 15. Et mortui resurgent incorrupti, Cuius beatæ æternitatis participes nos faciat Christus.

De mortuis.

ESTO fidelis vsque ad mortem, Apoc. 2. Satis ostenditur in verbis istis, quòd quādocūq; aliquis bene moritur, non est dolendum, sed potius gaudendum, quia transit de miseria mortis ad coronam vitæ. Facit autem Dominus tria in verbis istis. Primo, præcipit quid facere debeamus, ibi. Esto fidelis vsque ad mortem. Secundo, præmittit præmium quod appetimus, ibi. Dabo tibi coronam vitæ. Circa primum notandum, quòd quatuor sunt, quibus promittitur corona triumphalis. Primum est mētis & corporis castitas. Sap. 4. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate: & post. In perpetuum coronata triumphat. Secundum, tentationū sufferentia. Iac. 1. Beatus uir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ. Tertium est iustitia. 2. Tim. 4. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Quartum est in fide & iustitia usque ad mortem perseuerare, ut hic. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ &c. Circa 2m notandum, quòd quadruplex corona dabitur sanctis. Prima argentea, secunda aurea, tertia stellata, quarta gemmea. De his quatuor inueni in Biblia. Corone argentea, quia clarum est argentum, erit corporis claritas, quia corpus mirabiliter decorabit. Isa. 61. Sicut sponsum decoratum corona. Zach. 6. Sume tibi argentum, & facias tibi coronam. Stellea, erit perfecta omnium scientia. Apoc. 12. Et in capite eius corona stellarum duodecim. Eccl. 6. Coronam gratulationis supponēt tibi. Aug. Habemus unum doctorem in cælis, quem semel uidisse, totum didicisse est. Gemmea erit in omnibus istis æternitas. psa. 20 Posuisti in capite eius coronam de lapide prætioso. Istis quatuor coronis coronabuntur boni: mali autē coronabūtur quatuor aliis, Primo, coronātur corona rosea, quæ consistit

consistit in carnis voluptatibus. Sap.2. Coronemus nos rosis antequàm marcescant. Secundo, corona florea, quæ consistit in sæculi vanitatibus. 2. Mach.6. Cogebantur hedera coronati Libero circuire Isa. 38. Væ coronæ superbiæ &c. Tertio, corona aurichalca, quæ consistit in diuitiis corporalibus. Apoc. 1. Habebant coronas similes aurichalco Quarto, corona spinea, quę fabricatur de pœnis ęternalibus. Isa. 30 Coronas coronabit te Dominus, A qua liberet &c

De duplici manu Dei ex euangelio.

ET ille singulis manus imponens sanabat omnes, Luc. 4. Notandum quòd duæ sunt manus Dei, quibus sanat omnes, scilicet potentia & misericordia. psal.61. Semel locutus est Deus, duo hæc audiui: quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. Prima manus Dei habet quinque digitos. Primo, quia eius potiæ nemo pōt resistere. Iob.9. Deus, cuius iræ nemo resistere potest. Idem. Quis resistit ei, & pacem habuit? Secūdo, quia eam nullus potest effugere. Eze.17. Et qui dissoluit pactum, numquid effugiet? Augu. Superius erit iudex iratus, subtus horrendum chaos inferni, a dextris peccata accusantia, a sinistris infinita dęmonia ad supplicium trahentia, intus conscientia vrens, extra mūdus ardens. O miser peccator sic deprehēsus, quo fugies? latere impossibile, apparere intolerabile est: vnde psal.46. Neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus, quoniam iudex est. Tertio, quia nullus poterit sustinere Isa.30. Ecce nomen Domini venit de loginquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum. psal.129. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? De his tribus. Isa.27. Visitabit Dominus ī gladio suo duro, & ob hoc intolerabili: forti, & ob hoc inuincibili: grandi, & ob hoc incurabili. Quarto, quia potentia iudicis non poterit corrūpi neque muneribus, quia dicit psal.7. Deus iudex iustus. Prou.3. Zelus & furor viri nō parcet in die vindictę. Quinto, nec falsis allegationibus, quia fortis est & patientes, iō sapiens. Secunda manus est misericordia, quæ habet quinque digitos. Primus digitus est considerare, quia nobis dedit filium

lium suum vnigenitum.1. Io. 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam vnigenitum filiũ suum misit Deus in munduum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas, non quasi dilexerimus Deum, sed quoniã ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationẽ pro peccatis nostris: nã omnes mortui eramus, ideo dicitur Eccl.3. Eleemosyna patris non erit in obliuione. Exemplum Elisei quomodo viuificauit filium Sunamitis. dic historiã. Eliseus Christus, Giezi Moyses, baculus lex. Nec Moyses, nec lex potuerunt viuificare genus humanũ, donec ipse Eliseus, idest, Christus accepit formam nostram, quia incuruauit se in vtero Virginis. Secũdus, quia omnia nobis bona communicat. Matth. 4. Solem suum oriri facit super bonos & malos. & psal.135. Qui dat escam omni carni. Tertius est, quia non statim punit, sed longanimiter expectat ad pænitentiam. Sap.11. Dissimulans peccata hominum propter pænitentiam. Isa.46. Vsque ad senectutem ego portabo. Quatus in recipiendo: exemplum de filio prodigo quomodo recepit illum pater, Luc.15. Quintus, quia semper in omni hora recipit, quia postquam recepit, nũquam peccatorum recordatur. Ezech. 18. Quacumque hora peccator reuersus fuerit, & ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor. Hinc quilibet tenetur & esse debet misericors, vt se ipsum det Deo, & de bonis suis pauperibus, & quòd non statim puniat, & omnes iniurias dimittat &c.

In dominica de Passione ex epistola.

QVANTO magis sanguis Christi qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatũ Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiẽdum Deo, viuenti &c. Heb.9. In ista epistola quatuor principaliter facit. Primo, ostendit Christum pontificem fuisse, ibi. Christus assistens pontifex. Secundo, commendat põtificatum eius, ibi Futurorum bonorum. Tertio, ostendit quòd obtulit, ibi. Qui semel seipsum obtulit. Quarto, monstrat vtilitatem, siue effectum oblationis eius, ibi. Emundabit conscientiam nostram

ſtram. Circa iſtud vltimum nota, quòd ſeptem vtilitates fecit nobis ſanguis Chriſti. Prima, fuit peccatorum noſtrorum ac ſordium emundatio. Apo. 1. Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Heb. 13. Vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum. Secunda, noſtra redemptio. Apoc. 5. Redemiſti nos, Domine, in ſanguine tuo. 1. Petri. 1. Redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione &c. Tertia, noſtra cum Deo & angelis pacificatio. Colo. 1. Pacificans omnia per ſanguinem ſuũ ſiue quæ in cælis ſunt, ſiue quæ in terra &c. Quarta, teſtamenti de hæreditate æterna confirmatio. 1. Cor. 11. Hic calix noui teſtamenti: & teſtamentũ in morte cõfirmauit. Quinta, ſumentiũ potatio & inebriatio. Matth. 26. Bibite ex hoc omnes: hic calix &c. Deuter. 32. Vt ſanguinem vuæ biberẽt meraciſſimũ. Sexta, ianuæ cæleſtis apertio. Heb. 10. Habentes itaque, fratres, fiduciã in introitu ſanctorũ in ſanguine Chriſti. i. continua pro nobis ad Deum oratio: clamat. n. quotidie pro nobis ſanguis ad patrẽ. Heb. 12. Sed acceſſiſtis ad ſanguinis aſperſionẽ melius loquẽtẽ q̃ Abel. Sãguis Abel clamauit vindictã: ſanguis Chriſti clamat indulgentiã. Septima, de inferno ſanctorum adductio. Zac. 9. Tu autem in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo nõ erat aqua &c.

De eadem ex euangelio.

QVi eſt ex Deo, verba Dei audit &c. Ioan. 8. In verbis iſtis quatuor notãtur. Primo, ſanctorum magna gloria, ibi. Qui eſt ex Deo. Quid. n. glorioſius põt eſſe q̃ ex Deo eſſe? Io. 1. Dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri. Secũdo, magna ipſorum ſapiẽtia, ibi. Verba Dei audit. pſal. 18. Teſtimoniũ Dñi fidele, ſapientiã præſtans paruulis. Tertio, reproborum ſtultitia, ibi. Propterea vos nõ auditis. Prou. 1. Sapientiã recti dogmatis atq; doctrinã puræ cõuerſationis ſtulti, vt Phariſæi dicta & facta Chriſti deſpiciũt. Quarto, magna ipſorũ miſeria, ibi. Quia ex Deo nõ eſtis. Quid infelicius eſſe põt q̃ ex Deo nõ eſſe? Oſee. 7. Væ eis qui receſſerũt a me. Circa primũ notãdũ, ꝙ ſancti tribus modis dicuntur eſſe ex Deo. Primo, per creationem

tionem ſicut effectus ex cauſa. Rom. 11. Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Secundo, per iuſtificationem, ſicut ſplendor ex luce. Ephe. 5. Fuiſtis aliquãdo tenebræ, nũc aũt lux in Dño. 1. Io. 3. Qui natus eſt ex Deo, non peccat. Tertio, per imitationẽ ſiue aſſimilationẽ, ſicut exemplum ex exemplari. 1. Io. 1 In hoc ſcimus qm̃ in Deo ſumus, ſi in ipſo perfecti erimus. 1. Ioan. 1. Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ambulare ſicut & ipſe ambulauit. Circa 2m notãdũ, ꝙ triplex eſt verbũ Dei, qđ libẽter audiunt ſancti. Primũ eſt æternale. Io. 1. In principio erat verbũ. Secũdũ eſt mẽtale. Iob. 4. porro ad me dictũ eſt abſcõditũ verbũ. Tertiũ vocale Matth. 4. Nõ in ſolo pane viuit hõ ſed ex oĩ verbo, quod procedit ex ore Dei &c. Primũ audiũt per fidẽ. Io. 11. Qui credit i me, etiã ſi mortuꝰ fuerit, viuet. Secũdũ per inſpirationẽ. pſ. 84. Audiã quid loquatur ĩ me dñs Deus. Tertiũ, per prædicationẽ. Luc. 8. Qui habet aures audiendi audiat. Circa tertiũ notãdũ, quòd ſtulti ſunt qui nõ audiũt verbum Dei, maxime ꝑp duo. Primo, quia ex auditu verbi Dei vitatur omne malũ. Secũdo, acquiritur omne bonũ. De his duobꝰ, Prou. 1. Qui me audierit, abſq; terrore quieſcet. ſ. quia in hac vita nullis terretur aduerſis, & in morte de ingreſſu vitæ eternę lętatur, & abũdantia perfruetur malorũ timore ſublato. ſ. in p̃ſenti abũdãtia beatorũ operũ ablato timore eorum qui corpus occidunt. In futuro abundãtia gaudiorũ ablato timore alicuiꝰ defectꝰ, vel aduerſitatis. Circa quartũ notãdũ, ꝙ non eſſe ex Deo magna miſeria eſt propter duo. Primo, quia qui ſunt extra Deum, habent omnia mala. Aug. Vnde ſcio quia male eſt mihi præter te non ſolũ extra me, ſed etiã in meipſo, & oĩs copia quę Deus nõ eſt, egeſtas eſt. Secundo, quia qui eſt ex Deo, habet omnia optima. Aug. Qui intrat in gaudium Domini ſui, & ſecurus eſt, & habebit ſe optime in optimo &c.

De eodem.

SIQVIS ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternũ, Ioan. 8. Duo facit Dñs in verbis iſtis. Primo, monet ad obſeruationem ſui ſermonis, ibi. Siquis ſermonẽ meũ ſeruabit. Secũdo, ponit utilitatẽ obſeruationis, ibi. Mortẽ nõ guſtabit

in æternum: Circa primum notandum, ꝙ sermo Dñi seruandus est sex modis. Primo, intellectu per cognitionem. psal. 36. Lex Dei eius in corde ipsius. Secũdo, in affectu per dilectionem. psal. 118. Ignitum eloquium tuum vehementer &c. Tertio, in memoria per iugē meditationē. psal. 118. In corde meo abscondi eloquia tua, vt nõ pecē tibi. Deute. Audi Israel mandata vitæ, & ea in cordo tuo quasi in libro scribe. psa. 118. Meditabor in iustificationibus tuis semper. Quarto, in aure propter frequētem ipsius auditionem. Isa. 55. Inclinate aurē vestrã, & venite ad me: audite &c. Matt. 13. Qui habet aures audiendi, audiat. Quinto, in ore per iugem de Deo locutionem. psal. 118. In labiis meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui. Exo. 13. Lex Dei semper sit in ore nostro. Sexto, in manu per operationem. psal. 118. Leuaui manus meas ad mãdata tua quę dilexi. Circa 2m notanē octo vtilitates ex obseruatione verbi Dei. Prima est, qa ab omni morbo sanat. Sap. 16. Nõ herba, neque malagma, sed sermo tuus Domine qui sanat omnia. psal. 106. Misit verbũ suum, & sanauit eos. Secunda, quia animam mũdificat. Io. 11. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Tertia, quia mentem lætificat. Hiere. 15. Factum est verbum Dñi in gaudium & lætitiam cordis mei. Quarta est, quia Deus trinitas in corde ipsius inhabitat. Io. 14. Siquis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum. Quinta, illuminat. psa. 118. Declaratio sermonum tuorum illuminat. Sexto, in bono conseruat. Sap. 6. Sermo tuus, Domine, eos qui in te confidunt conseruat. Septima, liberat a morte æterna, vt hic. Siquis sermonem meũ seruauerit, mortem non videbit in æternum. Octaua, perducit ad æternam vitam & gloriam. Io. 6. Rñdit ei Simon Petrus. Dñe, ad quē ibimus? Verba vitæ æternæ habes: & nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei uiui: verba vitæ æternæ habes, Ad quam perducat nos &c.

Dominica in ramis palmarum ex epistola.

QVi cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est se esse ęqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit &c. Phil. 2. Tria facit Apostolꝰ in epistola

De eadem ex euangelio.

FILIVS hominis tradetur vt crucifigatur. Matth. 25. Circa passionem Dñi duo debemus cõsiderare. Primo, passionis qualitatem: secundo, passionis virtutem: tertio, passionis vtilitatem. Circa primum notãdum, ꝙ passio Christi fuit valde amara propter tria. Primo, propter patientis bonitatem: secundo, propter passionis vilitatem: tertio, propter inferẽtium crudelitatem. Patientis bonitas patet ex tribus. Primo, quia nulli nocebat. 1. Petri. 2. Qui peccatum nõ fecit nec inuentum est dolum in ore eius &c. Secundo, quia illatas iniurias patientissime sustinebat. 1. Petri. 2. Qui cum malediceretur, non maledicebat &c. Hiere. 11. Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam. Tertio, quia omnibus benefaciebat. Act. 10. Qui pertransiit bene faciendo & sanando omnes oppressos a diabolo &c. Ioan. 10. Bona opera ostendi vobis, propter quod horum vultis me lapidare &c. Vilitas mortis patet ex tribus. Primo, quia fuit voce omniũ tamq̃ sceleratissimus iudicatus. Luc. 23. At illi clamabant, Crucifige, crucifige eum. Secundo, quia multipliciter opprobriatus est. Matth. 27. Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorio congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuẽtes eum, clamydem coccineam circundederunt ei, & plectẽtes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextra eius, & genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes. Aue rex Iudæorum, & expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius &c. Tertio, quia morte turpissima condemnatus est. Sapien. 2. Morte turpissima condemnemus eum. Marc. 15. Et cum iniquis deputatus est. Circa tertium notandum, ꝙ crucifigentes fuerunt valde crudeles tripliciter. Primo, ante mortem eum crudeliter flagellando. Matth. 27 Iesum vero flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur &c. Secundo, eum in morte cum aceto & felle potando. Ioan. 19. Vas ergo positum erat aceto plenum. psal. 68. Et in siti mea potauerunt me aceto. Tertio, post mortem iam mortuum vulnerando. Ioan. 20. Vnus ergo militum lancea latus eius

aperuit. Circa virtutem passionis notandnm, quòd virtus passionis eius apparuit in tribus. Primo in cælo, qui ei lumen abstulit. Luc. 23. Et tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsq; ad horam nonã, & sol obscuratus est &c. Secũdo in terra quæ tremuit. Matth. 27. Terra mota est. Tertio, in inferno qui mortuos reddidit. Matth. 27. Multa corpora sanctorum &c. Virtutem ergo passionis Christi cælũ clamat, terra prædicat, infernus nuntiat. Phi. 2. Christus factus est obediens vsque ad mortem &c. & post. Vt in nomine Iesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorum. Circa vtilitatem passionis, consecuti sunt vtilitatem de passione Christi, cælestes, terrestres, & infernales. Per passionem ergo Christi cælestes reparati sunt, homines terrestres de manu diaboli liberati, & sancti patres qui erat in inferno, inde extracti. De primo, Colo. 1. Pacificans per sanguinem crucis eius siue quæ in cęlo sunt, siue quæ in terra &c. De secundo, Ioan. 12. Nunc iudicium est mundi, nũc princeps mundi huius eiicietur foras. Col. 2. Expoliãs principatus & potestates. De tertio, Zacha. 9. Tu quoq; in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu &c. Item, nota septem virtutes in morte Christi. *Quære in sermone*, Apparebit &c. Dicite filiæ Sion &c. *Quære utrumque in Quadragesimalibus*, ibi. Fructus arboris pulcherrime.

In festo Resurrectionis ex epistola.

PASCA nostrum immolatus est Christus &c. 1. Cor 5. Dominus noster Iesus Christus tripliciter exhibuit se nobis in esum. Primo sacramẽtaliter. Matth. 26. Accipite & mãducate ex hoc oẽs. Hoc est. n. corpus meum. Secũdo spiritualiter. Aug. Vt quid paras dentem & ventrem? crede & manducasti. Tertio æternaliter. Aug Ibi de te me satiabis satietate mirifica. Secundum hoc triplex pascha fecit nobis. Primum corporale, secundum spirituale, tertiũ æternale. Hęc sunt tria paschata mystica, quæ celebrauerunt filii Israel. Primum in exitu de Ægypto, Exo. 12. Secundum in deserto, Numeri. 9. Tertiũ i terra ꝓmissionis, Iosue. 5. Ad celebrãdũ primũ pascha,

ſcha, in quo comedimus agnum immaculatum pro omnibus immolatum, oſtendit Apoſtolus in iſta epiſtola quinque eſſe neceſſaria. Primo, vt expurgemur a carnali concupiſcentia, ibi. Expurgate vetus fermentum. Vetus fermentum eſt carnalis concupiſcentia, quæ a primo parente incœpit corrumpere maſſam naturæ humanæ. 1. Cor. 5. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Secundo, ut expurgemur a ſuperbia, ibi, Non in fermento malitiæ. Malitia dicitur ſuperbia antonomaſice, quia eſt initium omnis malitiæ. Eccl. 10. Initium omnis peccati ſuperbia. Tertio, monet expurgari a malo auaritiæ, ibi. Et nequitiæ. Auaritia dicitur nequitia, quia vult quod nequit: vult enim omnes diuitias mundi, quod numquam erit. Eccle. 10. Nil nequius quàm amare pecuniam. Quarto, neceſſaria eſt mentis mũditia, ibi. Sed in azymis ſynceritatis. Qui enim vult celebrare iſtud ſolemne paſcha, oportet eum eſſe mundiſſimum. Num. 18. Qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis. Quinto, neceſſaria eſt uitæ veritas, ibi. Et veritatis. Eph. 4. Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia qui eſt caput Chriſtus &c. Qui ergo vult celebrare iſtud ineffabile paſcha, expurgetur a malo carnalis concupiſcentiæ, a malo auaritiæ, a malo ſuperbiæ, & delectetur in mentis puritate, in ueritate vitæ, & veniet ad paſcha quod non ſequitur quadrageſima, ſed erit ibi iugis & æterna ſolẽnitas, Ad quã perducat nos Deus Ieſus, Amẽ.

De eadem ex euangelio.

IESVM quæritis nazarenum crucifixum, ſurrexit. Matth. 24. In his uerbis quinque notantur. Primo, infinita Domini noſtri Ieſu Chriſti bonitas: ſecundo delectabilis ipſius ſpecioſitas: tertio, admirabili ipſius charitas: quarto, iucunda Dei ſolemnitas: quinto, feruens mulierum charitas. Primum ibi, Ieſum. Ieſus enim interpretatur Saluator: quod enim mori uoluit ut ſua morte ſaluaret, infinitæ fuit vtique bonitatis. Vere hodie apparuit Saluator propter tria. Primo, quia hodie nos ſaluauit a dæmonibus, quos hodie expoliauit.

Col.2.Expolians principatus & potestates traduxit confidenter,palam triumphans illos in semetipso &c. Secundo,quia hodie nos saluauit a morte,quam hodie debellauit.Greg.Deus qui hodierna die per vnigenitum tuum æternitatis aditum deuicta morte reserasti &c.1. Corin. 12. Absorpta e mors in victoria.Hodie enim victoriosus Christus victa morte resurrexit.Tertio,quia saluauit nos de inferno,quem hodie catenauit.psalm.106. Contriuit portas æreas,& vectes ferreos confregit &c.Speciositas resurgentis notatur ibi.Nazarenus. Nazarenus interpretatur floridus,in floribus autem pulchritudo consistit.Cant.2. Ego flos campi,& lilium conuallium Fuerunt autem in Christo tria genera florum,primo flores rubei, secundo nigri, tertio candidi. Flores rubei sunt guttę sanguinis : nigri, liuores vulnerum : candidi, splendores glorificati corporis. De primo & tertio, Cant. 5. Dilectus meus candidus & rubicundus. De secundo.1.Pet.2. Cuius liuore sanati sumus.Fuit ergo Iesus totus floridus, quia circundatus rosis, idest, guttis sanguinis : ornatus violis, idest, liuoribus vulneris : vallatus liliis, idest, splendoribus glorificati corporis. Cant. 2. Flores apparuerunt in terra nostra.Charitas resurgentis,ibi.Crucifixum. Hæc enim vere fuit inextimabilis dilectio charitatis,quam nullus hominum capere potuit.Ephe. 3. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. &c. Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis &c. Voluit autem mori morte crucis maxime propter tria. Primo, ut se mortuum vere fuisse,& per hoc vere resurrexisse manifeste omnibus demonstraret. Omnibus enim patuit quòd fuit vere mortuus,cum crux in alto posita eum mortuum demonstraret.Actuum 10.Secundo,ut sicut arbor mortis fructū produxerat:sic arbor fructus vitæ suæ omnes viuificaret.Grego. Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti &c.Tertio,vt de diabolo, qui hominem per lignum vicerat, per lignum similiter triumpharet. Grego. Et qui in ligno vincebat, per lignum quoque vinceretur. Quartum, scilicet præsentis diei festiuitas, nótatur ibi. Resur-

Resurrexit. Resurrectio enim dominica fecit nobis hunc diem solemnitatis & lætitiæ. psalm. 116. Hæc dies quam fecit Dominus. Fecerunt autem illum diem solẽnem tria. Primo cælum, angelum transmittendo. Matth. 28. Angelus Domini descendit de cælo &c. Secundo, terra præ gaudio exultando. Matth. 28. Et ecce terræmotus factus est magnus. Tertio infernus, sanctos restituendo. Matth. 27. Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Ergo cælum, terra, infernus testimonium reddiderunt resurrectionis Iesu Christi. Quintum, scilicet mulierum charitas, notatur ibi. Quæritis. Docent autem nos istę sanctæ mulieres quærere Iesum exemplo suo, si volumus eum inuenire. Quæritur autem Iesus tripliciter. primo fide, secundo spe, tertio charitate. glo. super illud Matth. 6. Primum quærite regnum Dei dicit, quòd Christus est quærendus fide, spe, & charitate. Fide quærit eum rationalis, quæ quærit lucem suę veritatis: spe quęrit eum irascibilis, quæ quærit gloriam suæ maiestatis: charitate quærit eum concupiscibilis, quæ quærit dulcedinem suæ bonitatis. Istæ sunt tres Mariæ, de quibus dicitur in euangelio hodierno. Dominus Iesus faciat nos quærere & inuenire, Amen.

Hæc dies quam fecit Dominus. *Quære inter festiuos. Surrexit Dominus vere.*

Feria secunda post pascha ex euangelio.

DE Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta potẽs in opere & sermone &c. Luc. vlti. In istis uerbis tria dicunt de Domino Iesu Christo. Primo, magna ipsius bonitas, ibi. De Iesu Nazareno. Secundo, ipsius potentiá, ibi. Qui fuit potens in opere. Tertio, ipsius sapientia, ibi. Sermone. Secundum membrum prosequaris, circa quod notandum, quod quatuor sunt opera Christi, in qùibus apparuit potentia eius. Primum opus eius est opus creationis. psalm. 103. Omnia in sapientia fecisti, idest in filio. In isto opere apparuit potens tripliciter. Primo secundum materiam, quia de

nihilo fecit omnia. Gene. 1. In principio creauit Deus cælum & terram: creare est de nihilo aliquid facere. Secundo secundum modum, quia verbo fecit omnia. psal. 148. Dixit & facta sunt. Tertio secundum causam, quia magna fecit. psalm. 111. Magna opera Domini. Sap. 8. A magnitudine creaturæ cognoscitur creator cognoscibiliter &c. Secundũ opus eius fuit opus recreationis, in quo apparuit potens tripliciter. Primo, in passione: secundo, in resurrectione: tertio, in ascensione. In passione apparuit potens, quia potestates aereas debellauit. Col. 1. Expolians principatus, & potestates traduxit confitenter palam triumphans illos in semetipso. In resurrectione apparuit potens, quia propria uirtute de morte triumphauit. 1 Cor. 15. Absorta est mors in uictoria. In ascensione apparuit potens, quia propria uirtute ad cælos transuolauit. Luc. ultim. Eleuatis manibus suis benedixit eis: & factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. Tertium opus fuit opus admirationis, s. opus miraculorum, in quo apparuit potens tripliciter. Primo, quia fecit multa & magna miracula. Matth. 11. Cæci vident, claudi ambulant &c. Secundo, quia fecit sola uerbi potentia. Matth. 8. Qualis est hic, quia uenti & mare obediunt ei? Tertio, quia faciebat authoritate propria. Marc. 1. In potestate spiritibus immundis imperabat, & obediebant ei. Quartum opus eius erit opus retributionis. psalm. 110. Opera manuum eius ueritas & iudicium. In isto opere apparebit opus eius tripliciter. Primo, in omnium creaturarum commotione. Sap. 5. Armabit creaturã ad vltionem inimicorum. Secundo, in mortuorum resurrectione. 1. Cor. 15. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Tertio, in reproborum & dæmonum condemnatione. Matth. 25. Tunc dicet & his qui a sinistris eius erũt. Discedite a me. Patet ergo quod timendus est Dominus, qui tantam habet potentiam. Hiere. 5. Me ergo non timebitis, & a facie mea non dolebitis &c Tres sunt qui testimonium dant in cælo. 1. Io. 5. *Require inter festiuos in festo Trinitatis. &c.*

Dominica in octaua Paschæ ex epistola.

TRes sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, sanguis, & aqua. 1. Ioan. 5. Necesse est quod credamus Christum Deum uerũ, & verum hominem, & ideo voluit Christus multis testimoniis probare quod esset Deus & homo: vtrumque habemus hic. s. de testimonio diuinitatis eius dicit supra. Tres sunt qui testimonium dant in cælo. De testimonio humanitatis dicit hic. Tres sunt qui testimonium dant in terra. Circa primum notandum, quod duodecim testimonia habuit Christus quod esset verus Deus. Primo, testificatus est pater, secundo filius, tertio Spiritussanctus, quarto miraculorum operatio, quinto sancti, sexto angeli, septimo cęlum, octauo aer, nono aqua, decimo terra, vndecimo infernus, duodecimo ignis. *Quære omnia in dominica infra oct. Ascensionis.* Circa secundum notandum, quod triplex testimonium ponit hic beatus Ioannes de humanitate eius, in quibus maxime apparuit charitas eius ad nos. Primum, fuit sanguinis effusio, secundum aquæ emanatio, tertium spiritus emissio. De primis duobus. Io. 20. Et continuo exiuit sanguis & aqua. De tertio, Matth. 27. Et inclinato capite emisit spiritum. In sanguinis effusione quinque bona nobis fecit. *Quære in dominica de passione.* Circa secundum notandum, quod triplicem aquam dedit nobis Dominus Iesus. Primo, aquam baptismi ad peccatorum absolutionẽ. Ezec. 28. Effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris. Secundo, aquam sapientiæ ad sitis spiritualis extinctionem. Eccl. 15. Aqua sapientiæ salutaris potauit illum. Ioan. 4. Siquis biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam &c. Aug. dicit, Siquis biberit de aqua paradisi, de quo una gutta maior est quàm oceanus, restat ut in eo extinguatur sitis cupiditatis mundanæ. Tertio, aquam Spiritussancti ad refrigerationẽ. Ioan. 7. Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ: hoc autem dicebat de spiritu quem accepturi erant credentes in eum &c. Cir-

ca tertium notandum quod emisit spiritum ad tria. Primo, ut nos viuificaret. Io. 10. Ego animam meam pono pro ouibus meis. Secundo, vt sanctos de inferno liberaret. Spiritus enim Christi cum diuinitate descendit ad inferos, & eduxit sanctos, qui tunc erant ibi. Zach. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu &c. Tertio, vt emittendi spiritum nobis exemplum daret. Quicunque enim sequi Christum desiderat, oportet quod omnino relinquat spiritum suum. Luc. 9 Siquis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. 2. Cor. 5. Pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam nō sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est. Qui sic moritur, veniet ad vitam, vbi nullus moritur, Ad quam nos conducat Christus uita nostra, Amen.

De eadem ex euangelio.

PAx vobis. Ioan. 21. In isto euangelio inuenitur quod tripliciter obtulit Dominus pacem discipulis suis, ad demonstrandum quod tripliciter est nobis necessaria. Primo, cum Deo, de quo Io. 16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Secundo, pax in nobis, de qua Iob. 5. Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum. Ber. Pax vobis a vobis sit, & quiquid exterius minari videtur, non timebitis, quia non nocebit. Tertio, pax cum proximis est necessaria. Rom. 12. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Circa primam pacem notandum, quod tria sunt ei necessaria, qui vult habere pacem cum Deo. Primo vt Deum timeat. Eccle. 1. Corona sapientiæ timor Domini replens pacem & salutis fructum. Item in eodem. Timor Domini expellit peccatum. Secundo, vt in eodem spem suam habeat. Isa. 26. Facies pacem nobis, quia in te sperauimus. Tertio, vt mandatis eius obediat. Isa. 48. Vtinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua &c. Circa secundā pacē nota, quod tria sunt necessaria homini qui vult habere pacem secum. Primo, ut Deo se totum subiiciat. Iob. 22. Aquiescito ei, & habeto pacem.

cem. Secundo, ut bonam voluntaté semper custodiat. Luc. 3. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tertio, vt omnes motus animi & corporis secundum prudentiam spiritus regat. Ro. 8. Prudétia spiritus, uita & pax. Matth. 5. Beati pacifici quoniam filii Dei uocabuntur Glo. Pacifici sunt omnes qui motus animi componunt, & rationi subiiciunt, & in his non repugnant. Circa tertiam pacem nota, quod tria sunt homini necessaria, qui vult habere pacē cum proximis. Primo, vt quæ placita sunt Deo, faciat. Pro. 16. Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem. Secundo, ut nulli iniuriam faciant. 2. Cor. 6. Nemini dantes vllam offensionem. psal. 110. Pax multa diligentibus legem tuam. Lex Dei est, ut quæ nolumus fieri nobis, aliis ne faciamus: quæ autem nobis fieri volumus, similiter aliis faciamus. Tertio, ut omnibus benefaciat Ro. 2. Gloria, honor, pax omni homini operanti bonum. Sunt autem tria quæ maxime destruunt pacem. Primo, superbia. Iob. 9. Quis restitit ei, & pacē habuit? Secundo, iracundia. Eccl. 26. Homo iracundus incendit litem, & uir peccator turbat amicos, & in medio pacem habentium mittet inimicitias. Tertio, quęlibet iniquitas. Isa. 28. Non est pax impiis, dicit Dominus. Debet ergo ille ista tria remouere, qui vult pacem habere in præsenti cum Domino, secum, & cum proximo, & pacem æternitatis in futuro, Ad quam perducat nos Dominus &c.

Dominica prima post octauam Pascha ex epistola.

CHRISTVS passus est pro nobis vobis relinquens exēplum ut sequamini vestigia eius. 1. Pet. 2. In ista epistola quatuor notantur Primo, notatur Domini nostri innocentia, ibi. Qui peccatum non fecit. Secundo, maxima ipsius patientia, ibi. Cum pateretur, non cōminabatur. Tertio ineffabilis ipsius charitas, ibi. Qui peccata nostra ipse portauit in corpore suo sup lignū &c. Quarto, multiplex ex his trib. nostra utilitas, ibi. Cuius liuore sanati sumus. Circa primū notādū, ꝙ eius innocētia ostēditur in tribus. Primo, qa peccatū nō fecit. He.

7.Talis decebat ut esset nobis pontifex, sanctus, innocens segregatus a peccatoribus &c.Secundo,quia nullum decepit,ibi.Nec inuetus est dolus in ore eius.2.Cor.1.Dei enim filius Iesus Christus, qui in uobis per nos prædicatus. est, per me,& Siluanum,& Timotheum, non fuit in illo Est, & Non,sed Est in illo fuit &c.Tertio,quia nulli iniuriam intulit,ibi.Qui cum malediceretur,non maledicebat. Isa. 43.Quasi agnus coram tondente se obmutescet &c. Circa secundum notandum,quòd eius potentia ostenditur in tribus.Primo,quia passioni se sponte obtulit,ibi.Tradebat autẽ iudicanti se iniuste.Isa.53.Oblatus est quia ipse uoluit. Secundo,quia iniuste iudicatus patientissime sustinuit,ibi. Iudicanti se iniuste:hæc.n.est vera patientia, quandó quis iniuste iudicatus,hilariter sustinet.Io.10.Multa bona opera ostendi uobis,propter quod horum vultis me lapidare? 1.Pet.2.Hæc enim est gratia,si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias,patiens iniuste. Tertiò,quia nec crucifigentibus minas intulit,ibi.Cum pateretur, non comminabatur. Hiere.11.Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad uictimam.Pro eis orauit Isa.53.Et pro transgressoribus rogauit ut non perirent.Circa tertium similiter notandum,quod ostenditur charitatem eius magnam fuisse in tribus.Primo,quia peccata nostra ipse abstulit.Ioã.1. Ecce agnus Dei:ecce qui tollit peccata mundi.Secundo,in modo oblationis,quia in corpore suo pœnas peccatorum nostrorum ipse pertulit,ibi In corpore suo. Isa. 53. Ipse autẽ vulneratus est propter iniquitates nostras attritus est propter scelera nostra &c.Tertio,quia tam crudelem mortem pro peccatis nostris auferendis sustinuit,ibi. Super lignũ, idest,crucem.Phili.2.Christus factus est pro nobis obediẽs vsque ad mortem,mortem autem crucis. Circa quartũ ostẽdit,quòd triplicem vtilitatem contulit nobis mors Christi.Primo,quia nos liberauit a malo culpæ,ibi. Pro peccatis mortuus.Tit.2.Dedit semetipsum pro nobis,ut nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem,sectatorem bonorum operum &c Secũdo,quia restitut nobis bonum gratiæ,ibi.Iustitiæ uiuamus.Rom.5. Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt

multi, ita per unius obeditionem iusti constituentur multi &c. Ioan. 1. Et de plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Tertio, ostendit quod sanauit nos a corruptione, ibi. Cuius liuore sanati sumus. Isa. 53. Vere languores nostros ipse tulit. Ista sunt tria vestigia, in quibus debemus illum sequi. Primo, in innocētiæ puritate. Leuit. 11. Sācti estote, quia ego sanctus sum. Matth. 5. Beati mundo corde quoniam ipsi Deum uidebunt. 1. Pet. 1. Et ipsi sancti in omni conuersatione sitis, quoniam scriptum est. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Leu. 11. Sanctificamini, & estote sancti, quoniam sanctus sum ego, dicit Dominus. Secundo, in patientiæ firmitate. Luc. 21. In patientia uestra possidebitis animas vestras. Heb. 12. Recogitate eum qui talem aduersus semetipsum sustinuit contradictionem. Tertio, in charitate. Ioan. 15. Hoc est præceptum meum ut diligatis inuicem sicut dilexi uos &c. Iob. 30. Vestigia eius secutus est pes meus &c. Qui sequitur eum per ista vestigia, perueniet ad æternæ beatitudinis gaudia. Io. 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ, Ad quod nos perducat Christus lux & uita, Amen.

Christus passus est pro nobis &c. Duo notantur hic. Primo, magna Christi patientia, ibi. Christus passus est. Secundo, de passione ipsius vtilitas, ibi. Pro nobis. *De passione Christi. Quære in Dominica de ramis palmarum: de utilitate, in Dominica de passione &c.*

De eadem ex euangelio.

BONUS pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Ioan. 10. In istis uerbis tria notantur. Primo, magna Domini nostri Iesu Christi bonitas, ibi. Bonus pastor. Secundo, magna ipsius charitas, ibi. Animam suam dat. Tertio, electorum ipsius sanctitas, vel bonitas, ibi. Pro ouibus suis. Circa primum sciendū, quod Christus dicitur bonus pastor propter tria. Tria enim sunt officia boni pastoris. Primum est oues defendere: secundum est in bonis pascuis tenere & pascere: tertium est errantes requirere. Sic Dominus noster Iesus

Christus, primo oues suas defendit a leonibus, idest dæmonibus: a lupis, idest, tyrannis: ab ursis, idest hæreticis. Ezec. 24. Pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum: & post. Liberabo gregem meum. Io. 10. Non peribunt in æternum, & nō rapiet eas quisquam de manu mea &c. Secundo, oues sua in prato scripturæ gratiæ & gloriæ pascit. Ezec. 34. In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascuæ earum. Errantes sollicite requirit. Luc. 15. Quis ex vobis homo qui habet centum oues &c. Ezec. 34 Et ecce ego ipse requiram oues meas &c. Circa secundum notandum, quod tria nobis dedit Christus, in quibus apparuit magna eius charitas. Primo, corpus in cibum, Matth. 26. Accipite & manducate. Hoc est corpus meum. Secundo, sanguinem in potum. Ibidē 26. Accipite & bibite &c. Tertio, animam in pretium 1. Ioan. 3. In hoc cognouimus charitatem Dei, quia animam suam pro nobis posuit. Ioā. 10. Animam meam pono pro ouibus meis. Circa tertium notandum, quòd tres sunt actus bonitatis. Primus est nulli nocere. 2. Cor. 7. Nemini dantes vllam offensionem: Secundus est iniurias patienter ferre, Rom. 12. Nulli malum pro malo reddentes &c. Tertius est sua & se omnibus libēter tribuere. Dion. Bonum est suipsius diffusiuum. 1. Ioā. 3. Et nos debemus pro fratribus animas ponere. Propter hæc tria dicuntur sancti oues. Primo, quia oues nemini iniuriam faciunt: secundo, quia mansuete mala sufferunt: tertio, quia se, & sua ad vsum hominum tribuunt: qui sic sūt oues Christi, peruenient sine dubio ad ouile Christi, quod est cœleste regnum. Matth. 25. Statuet oues quidem a dextris &c. & post. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, Ad quod nos perducat. Amen.

Dominica secunda ex epistola.

OBSECRO uós tamquàm aduenas & peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam conuersationem autem vestram inter gentes habentes bonā &c. 1. Pet. 2

Pet.2.Quatuor notantur in verbis istis.Primo, indicitur carnalium vitiorum abstinentia,ibi.Abstinete vos a carnalibus desideriis.Secundo, ostenditur abstinentiæ necessitas,ibi.Quæ militant aduersus animam. Tertio, præcipitur conuersationis honestas,ibi.Conuersationem inter gẽtes habentes bonam.Quarto,subiungitur bonæ conuersationis vtilitas,ibi.Vt in eo quod detractant de vobis tamquàm de malefactoribus,ex bonis operibus vos considerantes,glorificent Dominum in die visitationis.Circa primum notandum,quod tria sunt genera desideriorũ, a quibus scriptura præcipit abstinere.Primo a desideriis sæcularibus:secundo a desideriis nociuis & inutilibus: tertio a desideriis carnalibus. Desideria sæcularia sunt, cum desiderantur honores sæculares. Tit. 2. Apparuit gratia Saluatoris nostri omnibus hominibus,erudiens nos ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc sæculo.Desideria nociua sunt, cum desiderantur diuitiæ temporales. 1.Tim.6.Qui uolunt diuites fieri,incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli & desideria multa inutilia, & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem &c. Desideria carnalia sunt cum desiderantur delectationes carnales.Rom.13. Carnis curam ne feceritis in desideriis. Circa secundum notandum,quod carnalia desideria tripliciter militant aduersus animam,& ideo habemus necesse abstinere ab eis. Primo,militant aduersus eam continue impugnando.Iob. 6.Militia est uita hominis super terram:tota vita hominis quasi pugna quædam est. Secundo, mortaliter per culpam vulnerando.Prouer.21. Desideria occidunt pigrum: noluerunt manus eius quicquam operari. Tertio, æternam perditionem & interitum infligendo.1. Tim.6. Desideria multa inutilia, quæ mergunt hominem in interitum. Desideria enim carnalia occidunt per culpam hic, & in futuro occidunt per mortem æternam. Circa tertium notandum, quod bona conuersatio consistit in tribus. Primo, in mentis puritate. 2. Corin. 1. Gloria nostra hæc est,testimonium conscientiæ nostræ,quod in simplicitate cordis,& synceritate Dei, & non in sapiẽtia car-

nali

nali, ſed in gratiâ Dei conuerſati ſumus in hoc mundo. Secundo, in morum honeſtate, ſiue ſanctitate. 2. Petr. 3. Cum igitur omnia diſſoluenda ſint, quales vos oportet eſſe in sâctis conuerſationibus & pietatibus expectantes & properantes in aduentum diei Domini &c. Tertio, in cæleſtium gaudiorum continua auiditate. Philip. 3. Noſtra conuerſatio in cęlis eſt. Circa quartum notandum, quòd tripliciter ponit vtilitatem de bona conuerſatione. Prima eſt detractorum confutatio, vel cohibitio, ibi. In eo quòd detractant de vobis. 1. Petri. 2. Hæc eſt voluntas Dei, vt benefacientes ob muteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam &c. Secundò, honorificatio, ibi. Ex bonis operibus uos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis. Matth. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus ut uideant opera veſtra bona, & glorificent patrem ueſtrum, qui in cælis eſt &c. Tertio, magna bene conuerſantium remuneratio, ibi. In die uiſitationis. gloſa, ibi. In die viſitationis, ideſt, in tempore retributionis. Quanta ſit gloria donanda nobis, ſolus Deus cognoſcit, Ad quam nos perducat Dominus Ieſus, Amen.

De eadem ex euangelio.

MVNDVS gaudebit, uos autem contriſtabimini: ſed triſtitia ueſtra vertetur in gaudium, Io. 16. Tria notantur in iſtis uerbis. Primo, mundanorum ſtultitia, ibi. Mundus gaudebit. Eccl. 2. Riſum reputaui errorẽ, & dixi gaudio, quid fruſtra deciperis? Secundo, ſanctorum ſapientia, ibi. Vos autem contriſtabimini. Ecclef. 7. Cor ſapientis ubi triſtitia, cor ſtultorum vbi lætitia. Tertio, futura ſanctorum lætitia, ibi. Triſtitia ueſtra vertetur in gaudium. Luc. 6. Beati qui lugetis, quoniam gaudebitis &c. Circa primum notandum, quòd tria oſtendunt lætitiam mundanorum eſſe ſtultam. Primo tempus, quia modo non eſt tempus gaudendi, ſed flendi. Eccl. 3. Tempus flendi, & tempus ridendi. Præmittit tempus flendi, ſubiungit tempus ridendi, ut oſtenderet, quòd tempus flendi eſt præſens, & futurum erit ridendi: unde quidam.

quidam. Nunc eſt tempus flendi, nunc tempus peccata lugendi. Secundo locus, quia mundus iſte locus eſt triſtitiæ, & non lætitiæ. pſal. 83. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Iudicum. 2. Angelus Domini aſcendit de Galgala ad locum flentium. Tertio cauſa, quia gaudent de malis. Prou. 2. Lętantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Satis ergo patet quòd ſtultum eſt gaudium mundanorum, cum gaudeant in tempore triſtitiæ, in loco miſeriæ, in perpetratione malitiæ. Aug. Quid eſt ſæculi gaudium, breuiter dicam. Impudicitia, nequitia, in ſpectaculis nugari, turpitudinem facere, ebrioſitate ingurgitari. Circa ſecundum notandum, quòd eſt ſapientiæ triſtari propter tria. Primo, quia per triſtitiam corripitur hominis malitia. Eccleſ. 7. Per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Secundo, quia per momentaneam triſtitiam euadit homo æterna ſupplicia. Greg. Sancti præſentem uitam lucrum putant, quia per hãc æternã euadere non ignorant. Naum. 1. Afflixi te, & non affligam te amplius. Tertio, quia per modicam triſtitiam acquirunt æterna gaudia. 2. Cor. 4. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ uidentur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ non videntur, æterna. Circa tertium notandum, quod futura ſanctorum lætitia dicitur eſſe in tribus. Primo, in diuinæ præſentiæ conſolatione, ibi. Iterum auté videbo uos. Aug. in libro de ciuitate Dei. Primum erit ipſe Deus, qui erit omnia in omnibus, qui erit nobis ſalus, honor, & gloria, pax & gaudium, & omnia bona. Gen. 14. Ego merces tua magna nimis. Secundo, in ſumma cordis exultatione, ibi. Et gaudebit cor veſtrum. Iſa. 35. Gaudium & lætitiam obtinebunt. Tertio, in æternitatis aſſecutione, ibi. Gaudiũ ueſtrum nemo tollet a uobis. Iſa. 15. Veniẽt in Sion cũ laude & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, Ad quam lætitiam perducat nos Chriſtus, Amen.

Domi-

Dominica tertia ex epistola.

SIT omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum & tardus ad iram. Iaco. 1. Apostolus Iacobus monet nos in istis uerbis, vt proniores simus ad audiendum quam ad loquendum, & debent nos ad hoc mouere tria. Primo, naturæ documentum: secundo, nocumentum: tertio, emolumentum. Natura tripliciter docet nos vt plus audiamus quam loquamur. Primo, quia natura dedit homini duplex instrumentum audiendi, & tantum vnum loquendi, vt hoc ipso ostendatur quod in duplo homo debet audire quàm loqui. Secundo, quia natura dedit pluribus animalibus auditum, loquelam non dedit nisi homini animali rationali, vt ex hoc ostenderetur quod locutio debet esse rationalis. Colum. 4. Sermo vester semper sit sale conditus. Tertio, quia natura dedit instrumenta audiendi semper aperta, sed instrumentum loquendi clausit sub duobus claustris, vel muris. Homo enim semper habet aures apertas, sed linguam clausam sub labiis & dentibus: est enim lingua quasi mala monacha, & ideo reclusit illam Deus sub pluribus claustris. Michææ. 8. Custodi claustra oris tui. Circa secundum sciendum, quod triplex nocumentum prouenit ex multa locutione. Primo, malum culpæ, Prouer. 10. In multiloquio non deerit peccatum. Secundo, malum pœnæ. Eccles. 20. Qui multis vtitur verbis, affligit animam suam. Tertio, malum infamiæ. Prouer. 18. Qui respondet antequàm audiat, stultum se esse demonstrat, & dignum confusione. De his tribus Iac. 3. Lingua enim est vniuersitas iniquitatis, ecce primum: lingua est inquietum malum plena veneno mortifero, ecce secũdum lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, ecce tertium. Circa tertium notandũ, quòd triplex vtilitas prouenit homini qui multum audit & parum loquitur. Primo, bona gratiæ. Eccle. 32. Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Secundo, bona sapientiæ. Eccle. 6. Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam &c. Tertio, iucunditas mentis & trãquillitas. Pro.

31. Qui

31. Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam &c.

Dominica quarta ex epistola.

SI QVIS putat se religiosum esse, non refrenãs linguã suã sed reducens cor suũ, huius uana est religio &c. Iac. 1. In istis uerbis monet beatus Iacobus ad refrenationẽ linguæ. Sunt autem tria quæ debent mouere ad refrenandã linguam. Primo, quia qui non refrenat linguã suam, cadit in multa peccata. Secundo, quia multa mala pœnæ incurrit. Tertio, quia qui refrenat linguam suã, multa bona acquirit. De primo Pro. 3. In multiloquio peccatum non deerit. De secundo, Eccl. 20. Qui multis utitur verbis, affligit animã suam. De tertio, Pro. 18. Qui respondet priusquã audiat, stultum se esse demonstrat. Circa primum notandum, quòd scriptura ponit multas linguas, per quas significantur diuersa peccata, quæ committuntur per linguam, & tales linguæ sunt refrenandæ. Prima est lingua dolosa, quæ est in duplicibus & proditoribus. psal. 119. Libera me a lingua dolosa. Hier. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pacẽ cũ amico suo loquitur, & in occulto ponit ei insidias. Secunda est lingua magniloqua, quæ est in superbis & arrogantibus. psal. 11. Disperdat Dominus uniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam. Tertia est lingua serpentina & uenenosa, quæ est in inuidis & detractoribus. ps. 139. Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorũ. Quarta est lingua mẽdax in periurantibus, mentiẽtibus, & falsis testibus. Prou. 16. Sex sũt quæ odit Dominus, oculos sublimes, & linguam mendacẽ &c. Quinta est lingua blanda, quæ est in mentiẽtibus. Pro. 6. Vt custodias te a muliere mala, & a blanda lingua extraneæ. Sexta est lingua tertia, quæ est in lenis, & lenonibus. Eccles. 28. Lingua tertia mulieres uiratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis. Prima lingua in opere luxuriæ est hominis diligentis mulierem. secunda mulieris dilectę: tertia est lingua nuntii, vel nuntiæ portantis uerba dilecti ad dilectam, & dilectæ ad dilectum. Septima est lin-

gua iniqua,quæ est in adulatoribus. Prou. 14. Malus obedit linguæ iniquæ. Lingua iniqua est quando facit malum adulatoribus prouocantibus. Octaua est lingua gladiosa, quæ est in iracundis & furiosis,qui conuitiis & opprobriis occidunt multos.psal,56.Filii hominum dentes eorum,arma & sagittæ,lingua eorum gladius acutus. Nona lingua fal ax,quæ est in malis mercatoribus & deceptoribus: qui fallunt simplicem, merces suas mendaciis præcommendando,vel falsis ponderibus,numeris,& mensuris decipiẽdo.Pro.26.Lingua fallax non amat veritatem, idest Christum,& os lubricum operatur ruinas.s.corporis & animæ, Prou, 21. Qui congregat thesauros lingua mendacii.s. in operatione,uanus & excors,idest sine corde & discretione, & impingitur ad laqueos mortis,scilicet velit nolit. Decima est lingua blasphema,quæ est in eis qui Deum & sanctos suos blasphemant.Vndecima est lingua acharis,idest, sine gratia,quæ est in histrionibus & derisoribus in eis qui verba otiosa libenter loquuntur.Eccles,20. Homo acharis quasi fabula vana. Circa secundum notandũ,quod multas pœnas incurrit,homo,qui nõ refrenat linguam suam. Primum est ruina,pro,12.propter labiorum peccata ruina proximat malo.Eccles 10. Labia stulti præcipitabunt eũ. Secundum est,quia nihil habere potest in uita ista prosperum.psal.139.Vir linguosus non dirigetur in terra. Tertium,labor. Quartum,dolor,psal.9. Sub lingua eorum labor & dolor.Quintum,ipsius peruersa destructio loquentis.Sextum,ipsius de vita æterna repulsio.psal.51.Dilexisti omnia verba præcipitatiõis lingua dolosa, propterea Deus destruet te in finem &c.Septimum, est ipsius malæ linguæ arefactio.Isa.41.Lingua eorum siti exaruit.Octauum, eius denique malæ linguæ in igne infernali cruciatio, Luc. 16, Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam meam &c. Nonum eiusdem linguæ commanducatio.Apoc.16.Commãducabunt linguas suas præ dolore,Decimum est mors æterna.prou.18. Mors & uita in manu linguæ,idest,in operatione, uel operibus linguæ.Qui refrenat linguam suam,habebit uitam æternam: qui non,habebit mortem æternam. Vndecimum, sentiet omne

omne malum. Prou.17. Qui vertit linguam suam, scilicet nigrum in candidum vertit ad libitum audientiæ, incidet in malum, scilicet gehennæ. Prou.15. Qui custodit os suũ, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala, scilicet æterna. Circa tertium notandum, quòd multa bona contingunt ex refrænatione linguæ. Primum est, vitæ perfectio. Iaco. 3. Siquis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Secundum est, mentis in Deum eleuatio. Tre. 3. Sedebit solitarius, & tacebit &c. Tertium est, vitæ æternæ acquisitio. psalm.33. Quis est homo qui vult vitam? diligit dies videre bonos? Cohibe linguam tuam a malo &c.

De eadem ex euangelio.

ARGVET mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio, Ioan.17 In istis verbis tria pouuntur, de quibus Spiritussanctus arguet mundanos. Primo, arguet de peccato, quod debent fugere: secundo, de iustitia quam debent facere: tertio, de iudicio quod debent expauescere. Primum, ibi, De peccato: secundum, ibi. De iustitia: tertium, ibi. De iudicio. Cica primũ notandum, quòd peccatum fugiendum est propter multa, sed maxime propter tria magna mala quæ facit homini. Primo, quia ponit hic peccatores in multa miseria. Prou. 14. Miseros facit populos peccatum. Secundo, quia priuat hominem æterna gloria. Isa. 27. Secundum aliam literam Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Tertio, quia ducit hominem ad æterna supplicia Matth.25. Ibunt hi in supplicium æternum. Circa secundum notandum, quòd iustitia est facienda maxime propter tria. Primo, quia ponit hic hominem in multa lætitia. psal.18. Iustitiæ Domini rectę lętificantes corda. Secundo, quia liberat hominẽ a morte perpetua, Prou.11. Iustitia. s. opera iustitiæ, liberabit a morte. s. æterna. Prou.25. Qui sequitur iustitiam &. misericordiam, inueniet vitam. Tertio, quia ducit hominem ad æterna gaudia. Matth.25. Iusti autem ibunt in vitam æternam. Circa tertium notandum, quòd futurum iudicium,

maxime est timendum propter tria. Primo, propter iudicis æquitatem. psal. 7. Deus iudex, iustus, fortis, & patiens. Secundo, propter iudicis seueritatem. Iudit. 6. In die Iudicii visitabit illos, & dabit ignes & vermes &c. Tertio, propter sententiæ irreuocabilitatem. Matth. 25. Discedite a me maledicti in ignem æternum. Æternum dicitur quod finē nō habet, A quo igne liberet nos Deus, Amen.

De eadem ex euangelio.

CVM venerit paraclitus, ille arguet mundū de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Io. 6. Dupliciter arguet Dominus peccatores in præsenti & in futuro: in præsenti tripliciter. Primo, per luminis Spiritus sancti infusionem, vt dicitur Ephes. 5. Omne quod arguitur, a lumine manifestatur. Secundo, per prædicationem. Iudæ. 2. Illos autem redarguite iudicatos. 1. Tim. 4. Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina &c. Tertio, per consciētiæ remorsionem Iob. 13. Verum tamen vias meas in conspectu eius arguam. & psal. 49. Arguam te, & statuam contra faciem tuam, idest, conscientiam tuam. In futuro tripliciter redarguentur peccatores. Primo, arguet eos sua malitia se ipsam manifestando. Hierem. 2. Arguet te malitia tua. Secundo, omnis creatura eos increpando. Sap. 5. Pugnabit cū illo orbis terrarum contra insensatos. Tertio, arguet eos Christus iustissime condemnando in canonica Iudæ. 2. Ecce venit Deus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt. Arguet autem tripliciter. Primo, in æquitate nullatenus a iustitia declinando, Isa. 11. Arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Secūdo, in furore sæuissime impios puniendo. psal. 6. Domine, ne in furore tuo arguas me. Tertio, arguet vniuersaliter nulli impio indulgendo, in Can. Iudę 2. Ecce venit Dominus cū sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguet omnes impios, A qua argutione liberet nos Deus, Amen.

De eodem

De eodem euangelio.

EXIVI a patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum,& vado ad patrem Ioan. 16. Quatuor ponit in verbis istis Primo, suum a patre exitum,ibi Exiui a patre. Exire suum a patre fuit se visibilem facere. Secundo, suum in mundum aduentum,ibi. Et veni in mundum. Tertio,suum a mundo discessum,ibi. Iterum relinquo mundũ. Quarto,suum ad patrem ascensum,ibi. Et vado ad patrem. Circa primum notãdum, quòd Christus exiuit a patre propter tria. Primo,vt eum mundo manifestaret. Ioã. 1. Deum nemo vidit vmquàm: vnigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarrauit &c. Secundo, vt eius voluntatem nobis declararet. Io. 15. Omnia quęcumque audiui a patre meo, nota feci vobis. Tertio, vt eius charitatem nobis manifestaret. 1. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum vt vnigenitum suum daret &c. Circa secundum notandum, quòd venit in mundum propter tria. Primo, vt ipsum illuminaret. Ioã 8. Ego sum lux mundi. Secundo, vt ipsum Deo patri reconciliaret. 2 Cor. 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Tertio, vt eum a potestate diaboli liberaret. Ioan. 12. Nunc iudicium est mundi, nũc princeps mundi huius eijcietur foras. Idem. 3. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Circa tertium notandum, quòd deseruit mundum Christus propter tria. Primo, propter ipsius malignitatem. 1. Ioan. 5. Totus mundus in maligno positus est. Secundo, propter ipsius ingratitudinis peruersitatem. Ioan. 5. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Quę potuit esse maior ingratitudo & peruersitas quàm odire eum, qui venerat saluare mundum? Tertio, vt relinquendi mundum nobis exemplum daret. Ioan. 20. Vos non estis de hoc mundo, sed ego elegi vos de mundo. 1 Io. 2. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Circa quartum sciendum, quòd Christus ascendit ad patrem propter tria. Primo, vt eum pro nobis rogaret. Ioan. 14. Ego rogabo patrem &c. Secundo, vt Spiri-

tum sanctum nobis destinaret. Ioan. 16. Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Tertio, vt nobis locum apud patrem pararet. Io. 19. Vado parare vobis locum, Ad quem locum nos conducat &c. Amen.

In rogationibus ex epistola.

MVLTVM valet deprecacio iusti assidua. Iac. 5. Sex modis potest ostendi quòd multum valet deprecatio iusti. Primo, in comparatione ad Dominum tripliciter. Primo, quia iram mitigat. Sapien. 18. Proferens seruitutis suæ scutum orationem &c. Secundo, quia quicquid ab eo petit, impetrat Matth. 21. Quæcumque in oratione petieritis credentes, accipietis. Tertio, quia inclinat eum ad hominis obedientiam. Iosue. 10. Nõ fuit antea tam longa dies, nec postea, obediente Domino voci hominis. Secundo, in comparatione ad angelos tripliciter. Primo, quia orantibus angeli assistunt. Dan. 9. Adhuc me in oratione loquente, ecce vir Gabriel &c. Secundo, quia orationes Deo offerunt. Tertio, quia exauditionẽ orationionis referunt. De his duobus, Tob. 12. Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino, & nunc misit me Dominus vt curarem te, & Saram vxorẽ filii tui a dæmonio liberarem. Tertio, in comparatione ad omnes tripliciter. Tria enim potest facere oratio iusti hominibus. Primo, a malis liberare. Secundo, veniam impetrare. De his duobus. Iac. 5. Oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis sit, dimittetur ei. Tertio, æternaliter saluare. Iac. 5. Orate pro inuicem vt saluemini. Quarto, in comparatione ad dæmones tripliciter. Primo, quia dæmones orationibus fugiunt. psalm. 6. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei: vnde de quodam dæmone dicitur in vitis patrum fugisse, quem emittebat Iulianus apostata. Secundo, quia orationes iustorum eos de corde expellunt. Matth. vlti. In nomine meo dæmonia eiicient. Tertio, quia orationibus iustorum obediunt. Matth. 21. Amen dico vobis, si habueritis fi-

dem,& non hæsitaueritis,dicetis huic monti,ideft diabolo. Tollere,& iacta te in mare,ita fiet.Quinto,in comparatione ad omnes creaturas,& hoc feptem modis. Primo, quia poteft oratio iufti folem fiftere.Iof.10.Tunc locutus eft Iofue Domino,dixitque.Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon.Steteruntque fol & luna.Secũdo,quia poteft ignem de cælo deponere.4.Reg.1. Si homo Dei fum,defcẽdat ignis de cælo, & deuoret te. Tertio,quia poteft cælum aereum claudere.Ia.5. Elias homo erat fimilis nobis, & oratione orauit vt non plueret annos tres, & menfes fex. Quarto, quia poteft aquas currentes immobiles facere 4.Re 2.Et dixit, vbi eft Deus Eliæ etiam nunc; & aquæ diuifæ funt huc atque illhuc, & tranfiuit Elifeus? Quinto,quia poteft fertilitatem terræ reddere.Iac.5.Et rurfum orauit,& cælum dedit pluuiam, & terra fructum fuũ. Sexto,quia poteft mortuos de purgatorio educere.Eccl.48. Quis poteft fimiliter gloriari tibi, qui fubftulifti mortuos ab inferis de forte mortis in verbo Domini Dei? Septimo, quia poteft beftias ferociffimas manfuetas facere. Dan.6. Adduxerunt Danielem,& miferunt eum in lacum leonũ, & conclufit ora leonum, & non nocuerunt mihi quia corã eo iuftitia inuenta eft in me. Vnde fancta Lucia dixit.Mihi fi feras promittis,audito Chrifti nomine manfuefcunt. Patet ergo quòd magna eft potentia orationis iufti, quæ potentiam habet in Deo, in angelis, in dæmonibus,in cælo, in igne, in aere, in aqua, in terra, in beftiis, & omnibus creaturis &c.

In rogationibus ex epiftola.

ESTOTE prudentes,& vigilate in orationibus. 1.Petri. 4. Beatus Petrus in ifta epiftola ad tria monet.Primo,ad orationem, ibi. Eftote prudentes, & vigilate in orationibus. Secundo, ad dilectionem, ibi. Ante omniam mutuam in vobis metipfis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Tertio,

 adre-

ad rectam intentionem, ibi. Siquis ministrat &c. Circa primum tria facit. Primo monet orare prudenter, idest fideliter, ibi. Estote prudentes &c. gl. Non deficientes a fide. Iaco. 1 Siquis indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluẽter & nõ improperat. Matth. 21. Et omnia quæcumque petieritis in oratione, credite, & accipietis. Secundo, monet orare at[tent]e, ibi. Et vigilate. glo. ne animus cogitet aliud præter id quod precatur: cum ad orandum stamus, omnis carnalis cogitatio abscedat, adsistat intẽtio cordis syncera, Deũ non sono vocis, sed sensus mentis oret. Tertio, monet orare frequenter, ibi. In orationibus. Pluraliter dicit, vt notet frequentiam orandi. Luc. 18. Oportet semper orare, & numquam deficere. Circa secundnm similiter tria facit. Primo, monet ad exhibendam dilectionẽ, q̃ est in affectu cordis, ibi, Ante oĩa mutuã in vobis metipsis charitatem habẽtes &c. 1. Tim. 4 Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Secundo, ad dilectionem, quæ est in affectu operis, ibi Hospitales inuicem sine murmuratione. Heb. 12. Hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis &c. Tertio, ad dilectionem quæ est ĩ affectu sermonis, ibi. Siquis loquitur quasi sermones Dei. Quilibet enim tenetur proximum corde diligere, & opere subuenire, & ore docere. Heb. 3. Videte, fratres, ne quando sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis recedendi a Deo viuo: sed adhortamini vosmetipsos p singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati &c. Circa tertium similiter tria facit. Primo, monet vt omnia bona a Deo nos habere cognoscamus, ibi. Siquis administrat, tamquàm ex virtute quã administrat Deus. glo. Eleemosynam, vel quodlibet bonum opus humiliter impẽdat motus a solo Deo. Isa. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Secundo, monet, vt omnia ad honorem Dei faciamus, ibi. Vt in omnibus honoretur Deus. Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Tertio, monet nos vt gratiam & gloriam Domino referamus. 1. Tim. 5. Deo in omnibus gratias

gratias agite, cui est honor, & gloria & imperium per sæcula. Amen.

De eodem ex epistola.

HOspitales sine murmuratione. 1. Pet. 4. Quatuor sunt quæ monent nos ad hospitalitatē faciendā. Primo, præceptum Domini. Secundo, sanctorum exemplum. Tertio, supplicium, si non fiat. Quarto, multiplex, si fiat, emolumētum. *Quære in secunda dominica post octauam Epiphaniæ.*

In die Pentecostes ex euangelio.

CVM venerit Paraclitus, quem mittam vobis a patre, ille testimonium perhibebit de me. Io. 15. In istis verbis tria notantur. Primo, personarum trinitas, ibi. Paraclitus. Secundo, trinitatis charitas, ibi. Mittam. Tertio, charitatis vtilitas, ibi. Testimonium perhibebit de me. Circa primum. Primo, ponitur spiritussanctus qui mittitur, ibi. Paraclitus: secundo, filius qui mittit, ibi. A patre. gl. Ecce tota trinitas. Spiritussanctus veniens, filius mittens a patre. *Quomodo appareat ista beata trinitas in creaturis, quære inter festiuos trinitatis.* Charitas trinitatis ad homines apparet in hoc, quia parata est paraclitum nobis mittere. Dedit autem nobis trinitas. Primo, consolatorem filium, eum hominem faciendo. Isa. 51. Spiritus Domini super me: & post, vt consolarer omnes lugentes &c. Secundo, dedit & dat spiritumsanctum, eum in corde sanctorum transfundēdo: ideo dicitur paraclitus, idest, consolator. Act. 9. Ecclesia quidem per totam Iudæā, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini &c. & post. Consolatione Spiritussancti replebatur. Tertio dabit nobis consolatorem Deus trinitas, se nobis largiendo in præmium. Isa. vltimo. Quomodo si mater blandiat, ita & ego consolabor vos &c. Item dabit nobis tres aduocatos. Primo, filium. 1. Io. 1. Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum &c. Secundo, spiritumsanctum. Ioan. 15. Paraclitus autem spi-

ritusſanctus &c.Paraclitus enim aduocatus interpretatur. Tertio,beatam Virginem,unde cantamus ei. Eia ergo aduocata noſtra &c. Circa tertium notandum, quòd teſtimonium de Chriſto,quòd eſſet uerus Deus,perhibuit primo pater,ſecundo filius,tertio ſpiritusſanctus.1.Ioa.5.Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo,pater,uerbum, & ſpiritusſanctus.Quarto,ſancti,ibi,Et uos teſtimonium perhibebitis de me Perhibuerunt autem ſancti teſtimonium de Chriſto tripliciter.Primo,uenturum prædicando. Ioan.5. Scrutamini ſcripturas,quia uos putatis in ipſis uitam æternam habere, & ipſæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.Secundo,præſentem demonſtrando.1. Io. 1. Hic uenit ut teſtimonium perhiberet de lumine.Tertio,ueniſſe prædicando.Actuum.2.Hunc Deus ſuſcitauit,cuius nos teſtes ſumus.Quinto,teſtimonium perhibuerunt de Chriſto miracula,quæ nullus poſſet facere niſi Deus. Ioan. 5. Opera quæ ego facio,ipſa teſtimonium perhibent de me. Sexto, perhibuerunt teſtimonium angeli.Primo,naſciturum nunciando.Luc.1.Miſſus eſt angelus Gabriel a Deo &c.Secũdo,natum prædicando . Luc.2. Ecce angelus Domini ſtetit iuxta illos &c.Tertio, reſurrexiſſe affirmando. Matth.28. Angelus Domini deſcendit de cælo.Quarto, eum uenturũ ad iudicium prænuntiando.Act.1.Ecce duo uiri aſtiterunt iuxta illos &c. Quinto, perhibuit teſtimonium creatura corporalis,& hoc ſeptem modis.Primo, cælum quadrupliciter.Primo,in natiuitate ſtellam emittendo.Matth.2. Vidimus ſtellam eius in oriente &c. Secundo , in aſcenſione eius,ipſum glorioſe ſuſcipiendo.Eph.4. Qui deſcendit,ipſe eſt qui aſcendit &c.Tertio,in baptiſmo ſe ſuper eum aperiẽdo.Matth.3.Cæli aperti ſunt ſuper eum. Quarto,in paſſione,ſolis lucem auferendo.Luc. 23. Et obſcuratus eſt ſol. Secundo,teſtimonium perhibuit aer.Tertio, aqua ei obediendo.Matth. 8. Qualis eſt hic,quia uenti & mare obediunt ei? Quarto,terra.Matth.28.Et terra mota eſt, & ecce terremotus factus eſt magnus &c. Quinto , infernus mortuos reſtituendo. Matth. 28. Multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt. Sexto,ignis ſuper diſcipulos apparendo. Act. 2. Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ

linguæ tamquã ignis &c. Cum ergo creator, & omnis creatura testimonium de Christi diuinitate perhibeant, credamus omnes, & imitando colamus ipsum Dominum super omnia benedictum in sæcula sæculorum, Amen.

De eodem ex euangelio.

PARACLITVS quem mittet pater in nomine meo ille uos docebit omnia &c. Ioan. 14. In istis uerbis prædicit Dominus se missurum Spiritũsanctum, quod fuit hodierna die completũ. Circa quam missionem tria notantur. Primo, mittentis charitas, ibi. Quem pater: secundo, missi benignitas, ibi. Paraclitus: tertio, missionis vtilitas, ibi. Ille uos docebit. Circa primum notandum, quòd tria misit nobis Deus pater, in quibus apparet magna charitas eius. Primo, filium ad nostram redemptionem. Rom. 8. Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum &c. Misit Deus spiritum filii sui in corda nostra clamantem, Abba pater. Secundo, spiritum sanctum ad nostram confirmationem Gala. 4. At ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. Tertio, mittit spiritus angelicos ad nos ad nostram protectionem. Heb. 1. Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministeriũ missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Circa secundum notandũ, quòd spiritussanctus dicitur paraclitus. i. cõsolator, q͠a cõsolat̃ nos in tribulationibus nr̃is. Cõsolatur autem nos tripliciter. Primo, cælestes consolationes largiendo. 1. Thess. 1. In tribulatione multa cum gaudio spiritus sancti. Secundo, dona charismatum nobis in tribulationibus augmentando. Rom. 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio uero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctũ qui datus est nobis. Tertio, quanta sint gaudia, quæ recipiemus pro istis mo

dicis tribulationibus demonstrando. Rom. 8. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filii Dei: si autem filii,& hæredes:hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi:& post. Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.Item.2 Cor.4.Id enim quod in præsenti est momētaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis non contemplantibus nobis quæ temporalia sunt, sed quæ æterna. Circa tertium notandum, quòd Spiritus sanctus docet nos tria valde vtilia. Primo, veritatem cognoscere. Ioan 15. Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnia &c. Secūdo, orare vtiliter. Ro 8. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, postulare facit & docet. Tertio, voluptates carnales despicere. Grego. Gustato spiritu, desipit omnis caro. Translati sumus de morte ad vitam. 1. Io 3. Quintuplex est translatio. Prima admirabilis: secunda est amabilis: tertia est detestabilis: quarta, formidabilis: quinta, desiderabilis. *Quære in translatione beati Dominici inter festiuos.*

Dominica prima post Pentecosten ex epistola.

DILIGAMVS Deum, quoniam ipse prior dilexit nos &c. Siquis dixerit quoniā diligo Deū, & fratrem suū odit, mendax est. 1. Io 4. In istis verbis tria facit Ioannes Apostolus. Primo, monet ad dilectionem, ibi. Diligamus Deum. Secundo, assignat causam dilectionis, ibi Quoniam ipse prior dilexit nos. Tertio, ad dilectionem proximi, ibi. Siquis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit mēdax est. Circa primum notandum, quòd tribus modis debemus diligere Deum. Primo, vt totum cor nostrum amore eius impleamus. Deute. 6. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Secundo, vt nihil nisi propter eum diligamus. Augustin. Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Tertio, vt nullis

nullis aduersis ab eius charitate auertamur. Rom. 8. Quis nos separabit a charitate Christi ? tribulatio, an angustia &c. . Circa secundum notandum, quòd propter tria maxime debemus diligere Deum. Primo, propter eius bonitatem. Ber. Causa diligendi Deum, Deus est. Tanta.n. bonitas est Dei, quòd si nihil boni homini fecisset, vel facturus esset, deberet tamen eum semper diligere. Secundo, propter eius charitatem, vt hic. Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Aug. Miser ego quantum diligere debeo Deum meum, qui me fecit cum non eram, redemit cũ perieram, qui in peccatis meis vẽditus eram: venit ille pro me, & tantum dilexit me, quòd pretium sanguinis sui dedit pro me. Tertio, debemus Deum diligere propter nostrã vtilitatem. Præparauit enim bona, quæ dici non possunt, his qui diligunt eum. 1. Cor. 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparauit Deus his qui diligunt illum. Circa tertium notandum, quòd debemus diligere proximũ propter tria. Primo, propter præceptum. Ioa. 15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. Secundo, propter naturæ documẽtum: videmus enim quòd omnia naturaliter diligunt similia. Eccle. 13. Omne animal diligit simile sibi: sic & omnis homo proximum sibi. Omnis caro ad simile sibi sociatur. Tertio, propter nocumentum quod consequitur qui non diligit proximum: quia incurrit mortem culpę & gehennę. 1. Io. 3. Qui nõ diligit, manet ĩ morte, A qua morte liberet nos &c. Am.

De eadem ex euangelio.

RECORDARE, fili, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Luc. 16. Quatuor notantur in verbis istis. Primo, reproborum in præsenti prosperitas, ibi. Recordare, quia recepisti bona in vita tua. Secundo, iustorum breuis in hoc mũdo aduersitas, ibi. Lazarus similiter mala. Tertio, ęterna iustorum felicitas, ibi. Nunc autem iste consolatur. Quarto, impiorum perpetua

perpetua calamitas, ibi. Tu vero cruciaris. Circa primum notandum, quòd temporalis prosperitas cõsistit in tribus, quæ habuit iste diues. Primo, in diuitiis temporalibus, ibi. Homo quidam erat diues. psal. 48. In multitudine diuitiarum suarum gloriantur. Secundo, in honoribus sæcularibus, ibi, Induebatur purpura & bysso. Iac. 4. Exultatis in superbiis vestris. Tertio, ĩ voluptatib⁹ carnalibus, ibi. Epulabatur quotidie splẽdide. Iob. 21. Ducũt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt. Dicitur Amos. 6. Væ qui comeditis agnum de grege, & vitulos de armenti medio &c. Circa secũdum notandum, quòd aduersitas sanctorùm in præsenti cõsistit in tribus, quæ habuit Lazarus. Primo, in rerum paupertate, ibi. Erat quidam mendicus. Tob. 2. Pauperem quidem vitam gerimus, sed habebimus multa bona, si timuerimus Deum, & recesserimus a peccato, & fecerimus bona &c. Secundo, in contemptus vilitate, ibi. Iacebat ad ianuam. 1. Cor. 4. Tamquàm purgamenta huius mũdi facti sumus, omnium peripsemá usque adhuc. Tertio, in tribulationum & afflictionum asperitate, ibi. Vlceribus plenus. Iudith. 4. Omnes qui placuerunt Domino, per multas tribulationes transierunt. Circa tertium notandum, in quibus consistit felicitas sanctorum in alio sæculo. Primo, in gloria & honore, ibi. Vt portaretur ab angelis. Aug. præclaras exequias purpurato illi diuiti turba exhibuit famulorum: sed multo præclariores in conspectu Dei ulceroso illi pauperi ministerium præbuit angelorum, qui eum extulerunt non in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ sinũ. ps. 20. Magna g ia eius in salutari tuo. Secundo, in cælestis regni possessione, ibi. In sinu Abrahæ, per quem intelligitur requies paradisi. Matth. 5. Beati pauperes spiritui, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Tertio, in æternarum delitiarum & consolationum perfruitione, ibi. Nunc autem iste cõsolatur. psal. 30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te &c. psal. 15. Delectationes in dextra tua usque in finem. Circa quartum notandum, quòd tria ponuntur hic, in quibus consistit futura malorum calamitas. Primum est, summa de omnibus bonis carentia: & hoc notatur in hoc,

quod

quòd non potuit habere guttam aquæ. Iob. 28. Apprehendet eum quasi aqua inopia. Secundo, pœnarum acerbitas & multiplicitas, ibi. Cum esset in tormentis. psa. 10. Ignis, sulphur, & spiritus porcellatum pars calicis eorum. Tertio, summa confusio & ignominia, ibi. Sepultus est in inferno, Quæ potest esse maior ignominia, quàm tali sepultura sepeliri? Hiere. 22. Sepultura asini sepelietur. Hiere. 20. Confundentur vehementer, quoniam non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nulla obliuione delebitur. Præsens igitur prosperitas est contemnenda: præsens aduersitas hilariter sustinenda, damnatorum calamitas fugienda; & sanctorum felicitas cum omni studio appetẽda, Ad quã perducat nos &c. Amen.

Dominica secunda ex epistola.

SI QVIS habuerit substantiam huius mũdi & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? 1. Ioan. 3. In istis uerbis monet nos. B. Ioannes Apostolus ad faciendam eleemosynam ꝓpter tria. Maxime enim tria bona acquirit qui facit eleemosynam. primo, bonum temporale: secundo, bonum spirituale: tertio, bonum æternale. Circa primum notandũ, quòd homo acquirit tripliciter bonũ temporale per dationem eleemosynæ. primo, diuitiarum augmentationem. Honora Dominum, idest, eius laudem quære, non tuam, non mundi: de tua substantia scilicet, quæ recte possides, non de rapinis, non de aliena: & de primitiis fructuum tuorum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate scilicet in futura satietate. Non esurient, neque sitient amplius: & uino torcularia redundabunt. Glos. Qui thesaurizant in cælis, ueras ibi delitias inuenient: quorum horrea implebuntur saturitate, quia satiabitur cum manifestabitur gloria eius, & torcularia redundabunt uino, quia interna suauitas æternorum corda fidelium

in laudes

in laudes conditoris accendit: & qui terrena subsidia pauperibus largitur, ditior dando cælesti remuneratione reddetur. Secundo, ab inimicis defensionem. Eccle. 17. Eleemosyna viri quasi sacculus cũ ipso: quia merces iustitiæ in æternum, & gratiam hominum & vitam æternam quasi pupillam cõseruabit. Item, Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum pugnabit, glo. Magis valet eleemosyna contra inimici iaculum quàm arma terrena. Tertio, vitæ præsentis prolõgationem. 1. Tim. 4. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. Circa secundum notandum, quòd triplex bonũ spirituale acquirit homo per eleemosynam. Primo, peccatorum remissionem. Dan. 5. Peccata tua eleemosynis redime. Pro. 6. Misericordia & veritate redimitur iniquitas, scilicet, omne peccatum. glo. Misericordia redimitur iniquitas peccatorum, cum dat & dimittit aliis. Veritate, idest, iustitia cum seipsum de iniquitate accusat, & pænitet. Secũdo, orationum exauditionẽ. Eccl. 29. Eleemosyna in sinu pauperum conclude, & ipsa pro te orabit, ab omni peccato scilicet remouendo. Glo. Bene monendo, bene consulendo in corde absconditur eleemosyna. Tertio, gratiæ conseruationem. Eccle. 17. Eleemosyna viri quasi sacculus cũ ipso &c. & gratiam hominis quasi pupillam oculi conseruabit, vt supra. Circa tertium similiter notandum, quòd triplex bonum æternale acquirit homo per eleemosynam. Primo, a morte æterna liberationem. Tob. 4. Eleemosyna ab omni peccato & a morte liberat &c. Secũdo, vitæ æternæ possessionem. 1. Tim. 4. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. Tertio, præmii æterni augmentationem. 2. Cor. 9. Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam, Ad quam nos perducat &c.

De eadem ex euangelio.

HOMO quidam fecit cœnam magnam, Luc. 13. Per cœnam istam, sicut dicunt sancti, intelligitur, beatitudo cælestis. Dicitur autem cœna ista magna propter tria. Primo,

Primo, propter celebrantium ipsam cœnam multiplicitatẽ: secundo, propter ferculorum quæ ibi dabuntur copiositatem: tertio, propter ipsius cœnæ æternitatem. Propter primum dicitur magna triplici ratione. Primo, ratione facientium. Facientes sunt pater, & filius, & spiritussanctus: immensus pater, immensus filius, immensus spiritussanctus, & ideo immensam faciunt cœnam. Isa. 25. Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Hest. 1. Tertio anno imperii sui rex Assuerus fecit cõuiuiũ cunctis pueris & principibus suis &c. Secundo, ratione ministrantium, qui sunt millia millium. Dan. 7. Millia millium ministrabant ei. Tertio, ratione conuiuantium, qui erunt decies centena millia. Dan. 7. Decies centena millia assistebant ei. Propter secundum dicitur magna cœna illa, quia erunt ibi millia millium ferculorum. Fercula in vita æterna sunt gaudia: & quia sunt ibi millia millium gaudiorum, erunt ibi millia millium ferculorum. Possumus autem hic assignare tria magna fercula. Primum ferculum erit gaudium de omnium malorum absentia. Secundum, de omnium bonorum præsentia. De his duobus. Deute. 8. Ibi absque vlla penuria bonorum omnium abundantia perfrueris. Isa. 35. Gaudium & lætitiam obtinebũt, & fugiet dolor, & gemitus. Tertium, continua de diuina laude lætitia. psal. 83 Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. De his tribus August. in libro de ciuitate Dei vlti. O quãta erit illa felicitas, vbi nullum malum erit, nullum latebit bonum, vacabitur internis laudibus, & Deus erit omnia in omnibus. Circa tertium notandum, quòd cœna ista dicitur æterna propter tria. Primo, quia numquàm terminabitur. Ioa. 16. Gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Cœnare enim est gaudere. Secundo, quia numquàm a cœnando cessabitur. Apoc. 4. Requiem non habebant die ac nocte dicentia. Dominus Deus omnipotens qui est, & qui erat, & qui venturus est: clamantia & dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus. Laudare enim ibi est idem quod cœnare. Tertio, dicitur æterna, quia tota simul manducabitur. Boetius. Dicitur æternitas uitæ

beatæ

beatæ possessio tota simul &c. Apoc. 19. Beati qui ad cœnam nuptiarum agni uocati sunt, Ad quam cœnam perducat nos Iesus Christus, Amen.

Dominica tertia ex epistola.

HVMILIAMINI sub potenti manu Dei, ut uos exaltet in tempore tribulationis. 1. Petri. 5. Tria facit in his uerbis beatus Petrus. Primo, hortatur ad humilitatem: secundo, ostendit humiliandi necessitatem: tertio, ponit humilitatis utilitatem. Primum, ibi. Humiliamini: secundum, ibi. Sub potenti manu Dei, qui potest humiliare inuitos: tertium, ibi. Vt uos exaltet in tempore tribulationis. Circa primum notandum, quòd triplex est humilitas. Prima, culpæ. Eccle. 19. Est qui nequiter se humiliat, cuius interiora plena sunt dolo. Secunda, pœnæ. psal. 105. Tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum. Tertia, gratiæ, Matth. 11. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Prima, est fugienda: secunda, sustinenda: tertia, appetenda.

Circa 2m notandum, quòd Deus ostendit potentiam suam superbis tripliciter. Primo, eis resistendo: secũdo, eos deiiciendo: tertio, æternaliter puniendo. De primo, Iaco. 4. Deus superbis resistit. De secundo, psal. 72. Deiecisti eos dũ alleuarentur. De tertio, Ioel. 2. Ascendet fœtor eius, & ascẽdet putredo eius, quia superbe egit. Baruc. 5. Constituit Dominus humiliare omnem mentem excelsam. Circa tertium notandum, quòd triplicem utilitatem acquirit homo de humilitate. Prima est bonum gratiæ: secunda, bonum scientiæ: tertia, bonum gloriæ. De prima, Iaco. 4. Humilibus dat gratiam. De secunda, Matth. 11. Abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. De tertia, Iob. 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.

Deca-

De eadem ex euangelio.

GAVDIVM est corã angelis Dei super uno peccatore pænitentiam agente, Luc. 15. Duo notantur in verbis istis. Primo, angelorũ dignitas, ibi. Angelis Dei. Secundo, eorum benignitas, ibi. Super vno peccatore pænitentiam agente. Magna est dignitas angelorum, quod sunt nuntii Dei:& magna benignitas, quod gaudent de conuersione vnius peccatoris. Circa primum notandum, quòd angeli dicuntur angeli Dei, sicut dicũtur hic:& angeli nostri, sicut dicitur Matthæi. 18. Angeli eorũ in cælis semper uident faciem patris mei qui in cælis est. Et per hoc notatur in eis duplex virtus: habent enim duplicem virtutem, assistendi, & ministrandi. Assistũt enim Deo & ministrant nobis. Deo assistunt tripliciter. Primo, contéplando, Matth. 18. Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei qui in cælis est &c. Secundo, amando. 1. Petri. 2. In quem desiderant angeli prospicere. Aug. Tanta est diuini plenitudo aspectus, ut numquàm possit uideri sine amore. Tertio, laudando. Damas. Opus enim angelorũ est hymnis Deum laudare. Nobis ministrant tripliciter. Primo, purgando: secundo, illuminando: tertio, proficiendo, sicut dicit Dionysius. Purgant enim a malis liberando. Isa. 6. Et volauit ad me unus de Seraphim, & in manu eius calculus &c. Illuminant docendo, Dan. 10. Et ecce Michael vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi iuxta regẽ Persarum. Veni aũt ut docerem te quæ uentura sunt populo tuo &c. Proficiunt ad bonum prouehendo. 3. Reg. 19. Et ecce angelus Domini tetigit eũ dicens, Surge, & comede grãdis enim adhuc tibi restat uia &c. Circa secundũ notandũ, quòd propter tria angeli gaudent de peccatorũ conuersione. Primo, propter sui ministerii impletionem; sunt. n. ministri, vt moneant nos ad pænitentiam. Heb. 1. Nonne omnes sunt ad ministratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? Secundo, propter dęmonum confusionem. Dæmones. n. confunduntur, quando aliquis ad pænitẽtiã conuertitur, quod est gaudiũ angelis. Apo. 12. Proiectus est

draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui uocatur diabolus & ſatanas, qui ſeducit uniuerſum orbem, proiectus eſt in terram, & angeli eius cum eo miſſi ſunt: & poſt. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Tertio, propter Dei honorem. Peccator.n.cum couuertitur, honorat Deũ, quod eſt gaudium angelis. Ioſu.7. Fili mi, da gloriam Deo, confi tere atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas &c.

De eodem.

VT erant appropinquantes ad Ieſum publicani, & peccatores ut audirent illum. Luc. 15. In iſto euangelio notantur tria principaliter. Primo, magna Domini noſtri Ieſu Chriſti benignitas. Secundo, magna pænitentiæ utilitas. Tertio, magna uere pænitentis ſanctitas. Circa primum notatur magna Chriſti benignitas in tribus. Primo, quia pro peccatoribus ſuſcepit humanæ naturæ infirmitatem, ibi. Nemo accendit lucernam. Grego. Lucernam accendit, qui humanam naturam luce ſuæ diuinitatis impleuit. 1. Tim. 1. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quoniam Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere &c. Secundo, quia peccatoribus oſtendit ſpecialem familiaritatem, ibi. Quia peccatores recipit, & manducat cum illis. Rom.5. Vbi abundabit delictũ, ſuperabundauit & gratia. Tertio, quia pro peccatoribus ſuſcepit crudelis mortis acerbitatem, ibi. Imponit humeris ſuis gaudens. 1. Petri. 2. Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. Circa ſecundum notandum, quòd triplex utilitas pænitentię notatur in iſto euangelio. Primo, quia Chriſtus lætatur in ea, ibi. Congratulamini mihi quia inueni ouem meam. Luc.15. Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus eſt. Secundo, quia in ea angeli lætantur, ibi. Gaudium eſt angelis Dei. Tertio, quia per eam homo a perditione liberatur, ibi. Vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam. Luc. 14. Niſi pænitentiam habueritis, omnse ſimul peribitis. Ezec. 18. Conuertimini, & agite pænitentiam

tiam

tiam ab omni iniquitate, & non erit uobis in ruinam iniquitas. Magna uero pœnitentis sanctitas notatur, ibi. Gaudium est angelis Dei. Magis enim gaudet Dominus super uno peccatore vere pœnitente, quam super multos iustos qui numquam peccauerunt: quia isti frequenter magis negligentes sunt, isti feruentiores, sicut exponit Gregorius. Sunt autem octo necessaria ei qui uult de pœnitentia sua magnum gaudium facere in cęlo. Primo, in amore Dei feruenter inardescere: secundo, in magnis virtutibus se exercere: tertio, cuncta difficilia sancti certaminis petere: quarto, omnia mundi relinquere: quinto, honores fugere: sexto, receptis contumeliis lætari: septimo, magno desiderio ad cœlestem patriam anhelare: octauo, damna præcedentia lucris sequentibus compensare. De his omnibus Gregorius. Plerunque ii, qui se oppressos nullis peccatorum molibus sciunt, pigri remanent: at econtrario omnes ii, qui se illicita aliqua egisse meminerunt, ipso suo dolore compuncti in amorem Dei inardescentes, se se in magnis uirtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiũt, acceptis contumeliis lætantur, ad cæleſtem patriam anhelant: & quia se errasse a Domino considerant, damna præcedentia lucris sequentibus compensant. Qui iustam pœnitentiam egerint, absque dubio peruenient ad regnum cęlorum. Matth. 3. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum, Ad quod &c. Amen.

Dominica quarta ex epistola.

EXPECTATIO creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat, Rom. 8. Apostolus in ista epistola intendit ostendere quod omnes creaturæ suo modo desiderant aduentum gloriæ sanctorũ. Sunt autẽ quatuor creaturæ quæ desiderant aduentum gloriæ sanctorũ. Primo, creatura angelica: secundo, creatura cęlestis: tertio, creatura terrestris: quarto, creatura humana, & iõ forte quater nominat creaturã in ista epistola. Circa primũ notandũ, ꝙ angeli desiderant propter tria. Pri-

mo,propter plenam de inimicis ſuis uictoriæ conſecutionem.Apoca. 12. Proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus,qui vocatur diabolus & ſatanas, qui ſeducit uniuerſum orbem,& proiectus eſt in terram,& angeli eius cũ illo miſſi ſunt.Et poſt.Lætamini cæli, & qui habitatis in eis.Secundo,propter miniſterii ſui completionem. 1. Cor. 15.Cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & uirtutem.Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius.Tertio, propter perfectã ciuitatis ſuæ reparationem.pſal.109.Iudicabit in nationibus,implebit ruinas.& Eph.1.In quo propoſuit reſtaurare vniuerſa ſiue quæ in cęlis ſunt,ſiue quæ in terra. Circa ſecundnm notandum,quòd creatura cęleſtis deſiderat propter tria. Primo, propter ſeruitii ſui indignis ſubtractionẽ Iſidorus.Sol & luna poſt iudicium non deſcendent ad occaſum,nec impiis ſub terra poſitis ſeruiet lux eorum. Secundo,propter amiſſæ pulchritudinis recuperationẽ. Iſa. 37.Erit lux lunæ ficut lux ſolis, & lux ſolis lucebit ſeptempliciter.Tertio,propter ſuam a motu repauſationem. Abacuc.3. (Secundum aliam translationem.) Sol & luna ſteterunt in ordine ſuo,ſol in oriente,luna in occidente,ſicut in creatione ordinati ſunt:hæc enim tria bona cõſequuntur corpora cæleſtia.Item,creatura terreſtris deſiderat propter tria.Primo,propter ſuam a peccatis impiorum emundationem. Modo enim impii contaminant terram iniquitatibus. pſalm. 105. Contaminata eſt terra in operibus eorum, ſed tunc purgabitur per ignem. 2. Petri. 3. Elementa uero calore ſoluentur: terra uero, & ea quę in eis ſunt,igne comburentur.Secundo, propter ſuam a corruptione liberationem:modo enim corrupitur vt fiat generatio,ſed tunc ceſſabit corruptio, quoniam non erit neceſſaria generatio. Rom. 8. Ipſa creatura liberabitur a ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Tertio,propter ſuam renouationem.Iſa. 64. Ecce ego creo cælum nouum,& terram nouam, & non erunt in memoria priora, ſed gaudebitis & exultabitis in eis, quæ ego creo vſque in ſempiternum.Homo ſimiliter deſiderat propter tria.Primo,propter ſuam a malo liberationem:ſecundo,

do, propter suam in omni bono repletioné : tertio, propter æternitatis conseruationem. Hæc tria consequetur homo in die iudicii, qui sic viuit hic ut ad illam mereatur peruenire. De his tribus Aug. in libro de ciuitate Dei. Vna erit igitur illius ciuitatis in omnibus & inseparabilis & singularis libera uoluntas liberata ab omni malo, repleta omni bono, quod bonum non deficiet in æternum, fruens indeficienter iucunditate æternorum gaudiorum, Quod nobis Christus concedat. Amen.

De eadem ex euangelio.

ESTOTE misericordes, sicut & pater vester misericors est, Luc. 6. Duo facit Dominus in uerbis istis. Primo, inducit ad misericordiam, ibi. Estote misericordes. Secundo, dat miserendi regulam, ibi. Sicut & pater uester. Circa primum notãdum, quod tria maxime debent nos mouere ad faciendam misericordiam. Primo, necessitas: secundo, utilitas: tertio, congruitas. Necessitas est, quia qui non facit misericordiam, non inueniet misericordiam. Iaco. 2. Iudicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam. Vtilitas est, quia qui facit misericordiam, inueniet misericordiam. Matth. 5. Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Congruitas est, quia cum misericordiam ab omnibus creaturis recipiamus, satis congruum est quòd aliis misericordiam faciamus. Sumus enim pleni miseria, & nisi creaturæ misererentur nostri dando se nobis & sua beneficia, subsistere non possemus. Si enim sol, uel ignis subtraheret lumẽ suum & calorem, & terra fructus suos, quid faceret miser homo? Satis ergo congruum est, cum homo indigeat misericordia, quod aliis faciat misericordiam. Prouer. 19. Homo indigens misericors est: & qui indiget misericordia, debet aliis facere misericordiam, uel aliorum misereri. vnde creaturæ arguunt quodammodo in misericordes. Circa secundum notandum, quod in tribus præcipue apparet misericordia Dei, Primo, in filii

sui donatione: magnum fuit donum, magna misericordia, de qua Luc. 1. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris &c. Secundo, in iustorum glorificatione. psal. 108. Suauis est misericordia eius. psal. 35. Domine, in cælo misericordia tua. Tertio, in peccatorum iustificatione. psal. 85. Misericordia tua, Domine, magna est super me. Propter primam misericordiam debemus illum laudare & amare: propter secundam debent secure, quantumcunque sint magni peccatores, ad Deum cōfugere. Isa. 45. Derelinquat impius uiam suam, & uir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Propter tertiam debemus ad Deum cum festinatione currere. Heb. 4. Festinemus ingredi in illam requiem &c.

Hypocrita, eiice primo trabem de oculo tuo, Luc. 6. Hic reprehendit Dominus peccatum hypocrisis, & frequenter in euangelio plus aliis reprehendit: unde satis patet quod multum displicet ei, & ideo debet quilibet ipsam fugere. Est autem fugienda ipsa hypocrisis propter multa mala quæ proueniunt ex ea. Primo, prouenit ex ea multiplex malum culpæ. Secundo, multiplex malum pœnæ. Tertio, multiplex malum damni. *Quære inter festiuos in festo sancti Hippoliti.*

Dominica quinta ex epistola.

DECLINET autem a malo, & faciat bonum, inquirat pacem, & persequatur eam. 1. Petri. 3. Duæ sunt partes iustitiæ, ad quas inuitat nos beatus Petrus in uerbis istis. Prima est fuga mali, ibi. Declinet a malo: secūda, delectatio boni, ibi. Et faciat bonum. Circa primum notandum, quod malum fugiendū est maxime propter tria. Primo, propter multam amaritudinem quam inducit: secundo, propter damnum quod adducit: tertio, propter pœnam ad quā conducit. De primo, Hiere. 2. Vide quam malum est & amarum dereliquisse dominum Deum tuum, & nō esse timoré mei apud te &c. Inducit autem multam amaritudinem peccatū propter tria.

Primo,

Primo, quia Dominus aduersatur peccato. Deut. 25. Auersatur omnem iniustitiã. Ibidẽ. 31. Inueneruntque eum omnia mala & afflictiões, ita ut dicat in illa die. Vere quia Dominus non est mecum, inuenerunt me hæc mala. Secundo, quia homo per peccatum ualde in se inordinatur. August. Iussisti Domine, & uere sic est, vt pœna sit sibi omnis inordinatus animus. Iob. 7. Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis &c. Tertio, quia omnis peccator ab omni creatura iusto Dei iudicio impugnatur. Sap. 17. Creatura tibi creatori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos. Circa secundum notandum, quòd triplex damnũ incurrit peccator per peccatum. Primum est, quia per ipsum peccatum multiplex bonum amittitur. Aug. in libro de ciuitate Dei. 12. Si naturæ bonæ non essent, eis vitia non nocerent: nunc autem quid eis faciunt nocendo, nisi sibi adimere integritatem, pulchritudinem, & salutem. Secundo, propter peccatum, bonum gratiæ amittitur. Sap. 1. In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Tertio, propter peccatum, bonum gloriæ perditur. Isa. 26. Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Circa tertium notandum, quod peccatum ducit homines ad multas pœnas: sed hic notantur tres pœnas. Prima erit continua in anima tristitia. Is. 13. Torsiones & dolores tenebũt eos, quasi parturiens dolebunt. Iob. 20. Cum satiatus fuerit, arctabitur, & omnis dolor irruet in eum &c. Secunda, continua in corde inedia. Matth. 13. Mittet eos in caminum ignis. Tertia, erit in utroque æternitas. Matth. 32. Discedite a me maledicti in ignem æternum &c. De his tribus, Isa. ult. Vermis eorũ non morietur, & ignis eorum non extinguetur &c. Vermis notat dolorem in anima: ignis dicit ardorem in corde: inextinguibilitas ignis notat æternitatem in utroque, A quo igne liberet nos Christus &c.

De eadem.

COERCEAT linguã suam a malo. 1. Petri. 3. Cohibenda est lingua propter tria. Primo, quia q nõ cohibet, multa peccata cõmittit: secũdo, quia

multas pœnas incurrit: tertio, quia qui cohibet, multa bona acquirit. *Quære in Dominica prima post octauas Ascensionis.*

De eadem.

INQVIRAT pacem, & sequatur eam. Triplicem pacem quilibet debet inquirere. Primo, pacē sui ad Deum: secundo, sui ad proximum: tertio, sui ad seipsum. *Quære in Dominica prima post trinitatem.*

De eadem ex euangelio.

SEDENS docebat de nauicula turbas, Luc. 5. Moraliter per nauiculam intelligitur sanctitas uitæ, in qua debet sedere qui alios vult docere. Significatur per nauiculam sanctitas uitæ tripliciter. Primo, ratione materiæ: secundo, formæ: tertio, finis. *Quære in Dominica tertia post octauas Epiphaniæ.*

De eodem.

RELICTIS omnibus sequuti sunt eū, Luc. 5. Duo sunt nobis necessaria ad sequendum. Primo, ut a bono commutabili auertamur, ipsum despiciendo. Secundo, ut ad bonum incōmutabile conuertamur, ipsum diligendo & imitando. Hæc notantur hic. Primum, ibi. Relictis omnibus: secundū, ibi. Sequuti sunt eum. Circa primum notādum, quod quatuor debemus relinquere, si uolumus sequi Christum. Primo, mundana, ipsa contemnendo. Luc. 14. Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non est me dignus. Secundo, cō sanguineos & parentes propter Deum relinquēdo. Matth. 10. Siquis uenit ad me, & non odit patrem suum & matrē suam, non est me dignus. Tertio, corpus suum, ipsum mortificando. Quarto, uoluntatem propriam, ipsam abnegando. De his duobus, Luc. 9. Siquis vult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur

tur me. Circa secundum notandū, quod in quatuor oportet nos imitari Christum. Primo, in humilitate. Matth. 11. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Secundo, in pietate, Luc. 6. Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est &c. Tertio, in charitate. Ioan. 15. Hoc est præceptum meum ut diligatis inuicē, sicut dilexi uos &c. Quarto, in tribulationum asperitate. 1. Petri. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini uestigia eius &c. Istæ sunt duæ uiæ rectæ, per quas currit homo ad regnum cælorum. Sap. 10. Iustū deduxit Dominus per uias rectas, & ostendit illi regnum Dei &c.

Dominica sexta ex epistola.

SI enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectiōis erimus, Ro. 6. Duo facit in istis uerbis Apostolus. Primo, ponit meritum quod habere debemus, ibi. Facti sumus similitudini mortis eius. Hoc est meritum nostrum, vt habeamus in nobis similitudinem mortis eius, scilicet Christi. Secūdo, ponit quod pro merito recipimus, ibi. Simul & resurrectionis erimus. Hoc enim est præmiū, ut habeamus similitudinem resurrectionis Christi.

Circa primum notandum, quod sex fuerunt in morte Christi, in quibus debemus eum sequi. Primo, humilitas: secundo, obedientia. De his duobus, Philip. 2. Humiliauit se metipsum, factus obediens usque ad mortem. Ad primum inuitat Dominus, Matth. 11. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Ad secundum, Io. 15. Si diligitis me, mandata mea seruate. Tertium fuit in morte Christi ineffabilis charitas. Ibidem. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis: & in hoc debemus assimilari sibi. Ibidem. Hoc est præceptum ut diligatis inuicem sicut dilexi uos &c. Quartum, patientia. 1. Petri. 2. Cum pateretur, non comminabatur: & in illo debemus habere similitudinem eius. Heb. 12. Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui pro-

posito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. Quintum, perseuerantia: quia qui in his omnibus usque ad mortem perseuerauerit, saluus erit. Philip. 2. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Debemus autem in perseuerantia habere similitudinem mortis eius. Matth. 10. Qui perseuerauit usque ad finem, hic saluus erit. Circa secundum notandum, quod in septem consistit gloria corporis nostri, cum configuratum erit corpori claritatis Christi. Primo, erit amabilis omnium membrorum congruentia. Aug. in li. 22. c. 19. de ciui. Dei. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incõgruentia partium, ubi & quæ parua sunt, corrigentur: & quod minus quàm decet, unde creator nouit, inde supplebitur: & quod plus est quàm decet, materiæ seruata integritate detrahetur. Secundo, erit mira coloris in toto suauitas. Aug. Coloris suauitas quanta erit, ubi iusti fulgebũt sicut sol in regno patris sui? In his duobus consistit omnis coloris pulchritudo Aug. Omnis corporis pulchritudo est congruentia partium cum quadam coloris suauitate: erit autẽ tunc in corporibus omnis pulchritudo. Philip. 3. Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Tertio, erit mouendi uelocitas. Augu. Vbi uoluerit spiritus, ibi erit protinus & corpus. Quarto, erit plena liberatio ab omni indigentia. Quinto, erit plena & summa felicitas. De his duobus. August. Omnia membra & uiscera incorruptibilis corporis, quæ nunc uidemus per usus necessitatis varios distributa, tunc sic non erunt: sed hæc necessitas, ipsa plena & certa securitas & sempiterna felicitas proficiet Dei laudibus. Sexto, erit impassibilitas, & immortalitas, & æternitas. August. Restituetur quicquid de corporibus uiuis, uel post mortem de cadaueribus periit, uel in sepulcro remansit, in spiritualis corporis nouitate ex animalis corporis uetustate mutatum, resurget in incorruptione atque immortalitate uestitum. Septimo, erit plena corporis & spiritus pax & concordia. Aug. Erit spiritui caro subdita spiritualis, sed ea tamen caro nõ spiritus. Quàm felices erunt ergo qui digni ista resurrectione habebunt? certe non nisi illi qui hic moriuntur cum

Christo.

Christo. 1. Col. 3. Mortui enim estis, & uita uestra abscondita est cum illo in gloria, Ad quam gloriam perducat nos Deus, Amen.

De eadem ex euangelio.

NISI abundauerit iustitia uestra plusquã Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum, Matth. 5. In isto euangelio quatuor facit Dominus. Primo, ostendit quid faciamus, ibi. Nisi abundauerit iustitia uestra: ostendit enim qđ debemus habere abundantem iustitiam. Secundo, ostendit quid appetamus, ibi. Regnum cælorum: ad hoc enim debẽmus facere iustitiam, ut per ipsam ad regnum perueniamus. De utroque, Matth. 6. Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius. Tertio, ostendit quid fugiamus, ibi. Non occides &c. Ostendit autem quòd debemus fugere triplex peccatum. Primo, peccatum operis, ibi. Non occides: per hoc prohibetur omne opus in quo læditur proximus. Isa. 55. Quiescite agere peruerse Leuit. 1. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Secundo, prohibet peccatum cordis, ibi. Omnis qui irascitur fratri suo. Exod. 12. Aufer iram a cordẽ tuo, & amoue malitiam de carne tua. Tertio, peccatum oris, ibi. Qui autem dixerit fratri suo, Fatue Eph. 4. Omnis sermo malus ex ore uestro non procedat. Quarto, ostendit quid timeamus, scilicet futurum iudicium, ibi. Reus erit iudicio. Ponit autem hic tria quæ debemus timere. Primo, iudicium, in quo omnes impii damnabuntur, ibi. Reus erit iudicio. Iudit. 16. Dominus omnipotens iudicabit illos in die iudicii, quando uisitabit illos. Secundo, angelorum & sanctorum concilium, in quo omnes impii examinabuntur, ibi. Qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio Isa. 3. Dominus ad iudicium ueniet cum senatoribus populi sui, & principibus suis. Mala. ult. Ne forte ueniam, & percutiam terram anathemate. Tertio, ignem infernalem, ibi. In quo omnes impii in ignem æternum cruciabuntur, ibi. Reus erit gehennæ ignis. Iud. 19. Dabit ignes & uer-

mes

mes in carnes eorum, vt urantur & ſentiant vſque in ſempiternum, A quo igne Chriſtus nos liberet.

De eodem.

OMNIS qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, Matth. 5. Duo facit Dominus i uerbis iſtis. Primo, monet nos vitare iram, ibi. Omnis qui iraſcitur fratri ſuo. Secundo, ponit irę pœnam, ibi. Reus erit iudicio. Circa primum notandum, quod ira lædit naturam tripliciter. Primo, lædit rationem per obſcurationem. Secundo, lædit memoriam per obliuionem. Tertio, lædit uoluntatem per malam affectionem. De his tribus pſal. 30. Conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. Oculus eſt ratio, anima uoluntas, venter memoria. Circa ſecundum notandum, quòd ira tripliciter contraria eſt gratiæ. Primo, quia facit hominem indignum de Dei miſericordia. Eccl. 23. Homo homini ſeruat iram, & a Deo quærit medelam? quaſi dicat, fruſtra quærit, quia non habebit eam. Secundo, quia non permittit hominem Dei iuſtitiam facere. Iaco. 1. Ira enim uiri iuſtitiam Dei non operatur. Tertio, quia aufert homini orandi fiduciam. 1. Timoth. 2. Volo viros orare in omni loco ſine ira & diſceptatione. Circa tertium notandum, quòd iracundus facile incurrit triplex homicidium. Primo, homicidium ſui. Iob. 4. Virum ſtultum interficit iracundia. Secundo, homicidium animæ proximi, quæ prouocat ad diſcordiam & odium. Prouerb. 15. Vir iracundus prouocat rixas: & qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas. Prouer. 22. Noli eſſe amicus homini iracundo, & ne ambules cum uiro furioſo, ne forte diſcas ſemitas eius. Tertio, homicidium corporis proximi. Eccle. 8. Cum iracundo non facias rixas, nec cum audace eas in deſertum: quoniã quaſi nihil ante illum eſt ſanguis, & ubi non eſt adiutorium, allidet te.

De eodem.

REVS erit iudicio. Nota tripliciter iudicabitur quilibet peccator in iudicio. Primo a seipso: secundo, ab omni creatura: tertio a Deo. Primo, a sua conscientia. Rom. 2. Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die cum iudicabit Dominus occulta hominum secundum euangelium meum per Iesum Christum. Secundo, a sua malitia. Hierem. 2. Arguet te malitia tua. Tertio a magna, quā in se ipsis habebunt, angustia. Apoc. 1. Tunc plangent se super se omnes tribus terræ. Creatura iudicabit & puniet eos tripliciter. Primo, eorum malitias reuelando. Iob. 20. Reuelabunt cæli iniquitatem eius. Secundo, expugnando. Sapien. 5. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam in ultionem inimicorum: & post. Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos &c. Tertio, eos cruciando. Sapien. 16. Creatura tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos, & leuior fit ad benefaciendum pro his qui confidunt. Iudex puniet eos tripliciter. Primo, arguendo. Iud. in can. Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios. Secundo, confundendo. psalm. 131. Inimicos eius induam confusione. Hierem. 17. Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur. Tertio, sæuissime condemnando. Matth. 25. Discedite a me maledicti in ignem æternum. Ab isto iudicio liberet nos Deus noster Iesus Christus. Amen.

Dominica septima ex epistola.

SICVT exhibuistis membra uestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Rom. 6. In ista epistola hortatur nos Apostolus ad duo. Primo, ad fugam mali, ibi. Sicut exhibuistis

buistis membra &c. Secundo, ad dilectionem boni, ibi. Ita nunc exhibete &c. Circa primum assignat Apostolus in epistola ista quatuor rationes, per quas peccatum fugiendum est. Prima ratio est, quia propter peccatum anima polluitur, ibi. Immunditiæ. Osee. 8. Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt Secunda est, quia per peccatum homo ignominiose seruituti subiicitur, ibi. Cum enim serui essetis peccati. Ioan. 8. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Tertia est, quia magna confusio per peccatum acquiritur, ibi. Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? Hierem. 18. Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur. Quarta, quia per peccatum homo ad mortem æternam deducitur, ibi. Stipendia peccati mors. psalm. 33. Mors peccatorum pessima.

Circa secundum notandum, quod similiter ponit ibi quatuor, quare bonum est eligendum. Quatuor enim bona acquirit homo ex electione boni. Primo, mentis puritatem, uel sanctificationem, idest mundificationem. Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt &c. Secundo, uoluntatis æquitatem, ibi. Iustitiæ. Iustitia enim est recta uoluntas. Anselmus. Iustitia est rectitudo uoluntatis conseruata propter se. Tertio, spiritus libertatem, ibi. Liberi fuistis iustitiæ. 2. Cor. 3. Vbi spiritus Domini, ibi. Libertas. Ioan. 8. Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Quarto, acquirit homo bene operando uitam æternã, ibi. Gratia autem Dei uita æterna. Ioan. 6. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ: qui uero mala egerunt in resurrectionem iudicii. Matth. 25. Ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in uitam æternam.

De eadem ex euangelio.

ACCIPIENS Iesus panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis ut apponerent, & apposuerunt turbæ: & habebant pisciculos paucos, & [illegible] illis, & iussit apponi. Matth. 8. [illegible] sanctos suos. Primo, panibus [illegible] educas panem de terra. Secundo

cundo, panibus spiritualibus. Prouerb. 20. Aperi oculos tuos, scilicet oculos cordis, ad uigilias sanctas: & satiare panibus, scilicet sacra doctrina, uel gaudiis cælestibus. Tertio, panibus æternalibus. psalm. 131. Pauperes eius saturabuntur. Per illos septem panes intelliguntur septem, quibus pascit Dominus fideles suos, ne deficiant in uia iustitiæ: sed in fortitudine eorum perueniant ad mensam cælestis gloriæ. Primus panis est dulcissima ex desiderio gloriæ lacrymarum effusio. psalm. 41. Fuerunt mihi lacrymæ meę panes die ac nocte &c. August. Fluebant mihi lacrymæ, & bene mihi erat cum illis. Secundus, ineffabilis in uerbis Dei consolatio. Matth. 4. Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Hierem. 15. Inuenti sunt sermones tui, & comedi eos, & factum est mihi uerbum tuum in gaudio & lætitia cordis mei: quoniam inuocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum. Tertius est ineffabilis de sumptione Eucharistiæ delectatio. Ioan. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita. Sapien. 16. Panem de cælo præstitisti illis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Quartus, admirabilis de præsentia Christi dulcedo. Ioan. 6. Ego sum panis uiuus, qui de cælo descendi. Constat enim Christum semper habitare in cordibus iusti. Quantum ergo gaudium habet qui semper Christum habet in corde? Ephes. 6. Vt det uobis secundum diuitias gloriæ suæ uirtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus &c. Quintus, æternæ beatitudinis prægustatio. psalm. 77. Panem angelorum manducauit homo. August. Introductus introrsus nescio ad quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid sit uita æterna nisi illa sit. Sextus, de omni uirtutum possessione gaudium: quale gaudium est, habere tot dona Spiritussancti? & illos duodecim fructus, quos memorat Apostolus ad Galat. 5. Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas: qui ideo dicuntur fructus, quia

animam

animam delectabiliter reficiunt ultra quàm dici possit. Prouer 9. Venite uos, & comedite panem meum. Septimus panis est de conscientiæ testimonio exultatio. Prouer. 15, Secura mens quasi iuge conuiuium. 2. Cor. 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ Isa. 22. Panis ei datus est, dicitur de uiro iusto. Pisciculi sunt gaudia quæ habent iusti de præsentia sanctorum, qui sunt abstracti iã de amarissimo mari huius sęculi, qui frequenter ueniunt, & consolantur iustos qui sunt in uia: qui quidem pisces assi sunt martyres, ut Laurentius, & alii qui ignibus & suppliciis diuersis afflicti ridebunt, & sic suo risu clamabunt infinitas se habere intrinsecus delitias, propter quas exteriora supplicia contemnebant. 2. Corinth. 12, Complaceo mihi, idest, uehementer (dicit interlinearis) in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo, De isto conuiuio iustorum dicitur Matth. 23. Ecce prandium meum paraui, tauri mei occisi sunt. In istis epulis sunt iusti tota die, quas nescit impius. psalm. 67, Exultent iusti, & epulentur in conspectu Dei: sic epulantur sancti in præsenti, Sed quid erit in futuro? Beatus qui manducabit panem in regno cælorũ, Ad quod nos perducat Christus Iesus. Amen.

Dominica octaua ex epistola.

SI secundum carnem uixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Rom. 8. Tria facit Apostolus in uerbis istis, Primo, monet nos ut mortificemus carnis uoluptatem ibi. Si spiritu facta carnis mortificaueritis. Secundo, ponit necessitatem mortificandi, ibi. Si secundum carnem uixeritis, moriemini. Tertio, ponit mortificationis utilitatem, ibi. Viuetis. Circa primum notandum, quod tripliciter debemus mortificare carnem. Primo, eius carnalia desideria & uitia destruendo. Colum. 3. Mortificate membra uestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ

est

est idolorum seruitus, propter quę venit ira Dei super filios incredulitatis, in quibus & vos ambulastis aliquando, cum viueretis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro: nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui innouatur in agnitionem secũdum imaginem eius qui creauit illum. Secundo, eam in ieiuniis & afflictionibus ad similitudinem passionis Christi macerando. 2. Cor. 4. Semper mortificationem Iesu Christi in corpore vestro circunferentes, vt vita Iesu in corporibus vestris manifestetur in carne vestra mortali. Tertio, eam in spiritualibus meditationibus affligendo. Eccle. vlt. Frequens meditatio carnis afflictio est. Eccle. 31. Vigilia honestatis in studio virtutum tabefaciet carnes. Interlinearis. s. carnales voluptates: cogitatus illius auferet sonum. s. pigritiæ tædium. In eodem. Cogitatus præscientiæ. s. qui præuidet præmia donorum, auertit sensum. s. ab omni concupiscentia mala. & infirmitas grauis. s. corporis, sobriam a delictis facit animam. Circa secundum notandum, quòd necesse habemus mortificare carnem, quia si secundum carnem vixerimus, moriemur: sequitur enim ex voluptate carnis triplex mors. Prima, mors culpæ: secunda, mors naturæ. Eccles. 37. Propter crapulam multi perierunt: tertia, mors gehennæ. Gal 6. Qui in carne sua seminat, de carne & metet corruptionem &c. psalm. 33. Mors peccatorum pessima. Circa tertium notandũ, quòd ex mortificatiõe carnis triplex vita acquiritur. Prima est ꝓlongatio vitæ naturæ. Eccl. 37. Qui abstinens est, abiiciet vitam Secũda, vita gratię. Ro. 8. Prudẽtia spiritus vita & pax. Tertia est prolongatio vitæ gloriæ. 2. Cor. 4. Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circunferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.

De eadem ex euangelio.

OMNIS arbor bona fructus bonos facit: & omnis arbor mala malos fructus facit, Matth. 7. Tria genera arborum, quæ sunt in infusą huius mũdi, po

hit Dominus in euangelio isto. Primo, ponit arborem facien tem fructus bonos, ibi. Omnis arbor bona. Secundo, facientē fructus malos, ibi. Et oīs arbor mala. Tertio, arborem facientem nullos, ibi. Omnis arbor quæ non facit fructus bonos. Primam arborem commēdat a tribus. Primo, a fructuū multiplicitate, ibi. Fructus. Pluraliter dicit, fructus, vt ostēdat quòd iustus, qui hic dicitur arbor bona, debet fructus multos producere. Debet enim producere duodecim fruct⁹. Primus fructus quem debet producere est charitas, secūdus fructus est gaudium, tertius pax, quartus patientia, quintus longanimitas, sextus bonitas, septimus benignitas, octauus mansuetudo, nonus fides, decimus modestia, vndecimus cōtinentia, duodecimus castitas. De his omnibus Gala. 5. Fructus autem spiritus, charitas, gaudium pax &c. Secundo cōmendat eam a fructuum pretiositate, ibi. Bonos. Patet autē bonitas istorum fructuum, quia talib⁹ fructibus acquiritur regnum Dei, & tales fructus faciunt arbores paradisi. Rom. 14. Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritussancto. Tertio, commendat eam a fructificandi assiduitate, ibi. Facit præsentis temporis est, in quo ostenditur quòd semper est in actu fructificandi. Hie. 18. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Domin⁹ fiducia eius: & erit quasi lignum quod trāsplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum venerit æstus. Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Ezec. 47. Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraq; parte omne lignum pomiferum: non defluet flos ex eo, & non deficiet fructus. De his tribus, Apoc. 22. Ex vtraque parte fluminis omne lignum vitæ, ecce fructuū pretiositas, qui enim comedunt fructus istos, viuunt in ęternum: afferens fructus duodecim, ecce fructuum multiplicitas: per menses isingulos reddens fructum suum, ecce fructificandi continuitas. Circa secundam arborem ponit, tria mala. Primo, malorum fructuum multiplicationem, ibi. Fructus: in hoc enim quòd pluraliter dicit, fructus, innuit quòd malus homo qui hic dicitur mala arbor, facit multos malos fruct⁹, idest, mala opera. Enumerat aūt Apostol⁹

decem

decem & septem fructus malæ arboris. Gal. 5. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditiæ, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectę, inuidiæ, homicidia, ebrietates commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut & prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Secundo, fructuum peruersitatem, ibi. Malos. Matth. 12. Malus homo de malo thesauro profert mala. Tertio, malefaciendi assiduitatem, ibi. Facit. Osee 4. Fornicati sunt, & non cessauerunt. Circa tertiam arborem notandum, quòd tria genera sunt arborum, quæ faciunt fructus nullos. Prima est quæ facit frondes sine floribus: ii sunt qui habent verba sine operibus. Matth. 21. Et videns Iesus ficulneam arborem vnam secus viam, venit ad illam, & nihil inuenit in ea nisi frondes, & ait illi. Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuo ficulnea &c. Secunda, quæ facit flores sine fructibus ii sunt qui faciunt in apparentia opera; sed non vere. 2. Tim. 3. Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Iob. 12. Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit: sic viæ hominum qui obliuiscuntur Dominum, & spes hypocritæ peribit. Tertia, quæ facit fructus, sed inutiles penitus. Sap. 4. Fructus eorum acerbi & inutiles ad manducandum. De talibus arboribus dicitur in Can. Iudæ. Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ. Sed vę talibus arboribus: nam excidentur securi diuini iudicii, & mittentur in ęternum ignem inferni. Matth. 3. Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quę non facit fructus bonos, excidetur, & in ignem mittetur, A quo igne liberet nos Dominus, Amen.

Dominica nona ex epistola.

NEQVE idolatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis &c. 1. Cor. 10. Duo facit hic Apostolus. Primo, monet vt caueamus ab idolatria spiritualiū, ibi. Neque idolatræ efficiamini. Loquebatur. n.

 fidelibus,

fidelibus, qui iam idola nulla habebant: vnde patet quòd monebat cauere ab idolatria, quæ consistit in vitiis. Secundo, compatat idolatriam spiritualem idolatriæ corporali, ibi. Sicut quidam ex ipsis, qui vitulum, & alia idola adorauerunt. Circa idolatriam corporalem nota, quòd triplex erat. Prima in astris. Secũda, in elementis. De his duabus, Sap. 13. Aut ignẽ, aut citatũ aerẽ, aut nimiã aquã, ecce idola tria in elemẽtis: aut gyrũ stellarũ, aut solẽ, aut lunã, rectores orbis terrarum Deos putauerũt, ecce in astris idolatria. Tertia, in animalibus. Rom. 1. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudine imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. &c. Idolatria in astris significat superbiam: vnde primus superbus dixit, Esa. 13. In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in loco testamenti, in lateribus aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo. Aug. Et putabant se exelsos cum syderibus & fulgidos, & ecce ruerunt in terram. Idolatria elementorum significat idolatriam auarorum. Col. 3. Auaritia quæ est idolorum seruitus. Idolatria animalibus est carnalis cõcupiscentia, quæ est in carnis voluptatibus in Can. Iudæ. Quicumque naturaliter tamquàm animalia norunt in his corrumpuntur. De his tribus Iacobi. 3. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena per auaritiam, animalis per luxuriam, diabolica per superbiam: De septem idolis quæ adorabant Gentiles, *Quære in sequenti Dominica.*

De eadem ex euangelio.

REDDE rationem villicationis tuæ, Luc. 16. Istud verbum dicetur cuilibet in morte, vel in iudicio. Oportet enim quòd omnes ueniant ante tribunal Christi cælestis iudicis, vt reddant ratione de omnibus factis suis. 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis sui prout gessit, siue bonum, siue malum. Et ideo debet quilibet homo cogitare quomodo tunc sciat rationem reddere. Debemus autem

tria

tria cogitare circa rationem illam. Primo, reddendi rationẽ difficultatem. Secundo, testium, qui accusabunt malam rationem reddentes, veritatem. Tertio, sententiæ quæ dabitur contra eos, qui malam rationem reddiderunt, seueritatem. Circa primum notandum, quia erit difficile tunc reddere rationem de omnibus cogitatis. psa. 75. Cogitatio hominis confitebitur tibi. Sap. 5. Et in cogitationibus impii erit interrogatio. Secundo, de dictis. Matth. 12. Dico autem vobis, quòd de omni otioso verbo, quod locuti fuerunt homines, reddent de eo rationẽ in die iudicii. Ex verbis enim tuis iustificaberis & ex verbis enim tuis cõdemnaberis &c. Tertio, de omnibus factis. Eccle. 12. Cuncta quæ fiunt, adducet Dominus in iudicio pro omni abscondito siue bonũ, siue malum. Circa secundum notandum, quòd tres testes veracissimi accusabunt impios in iudicio. Primus testis erit Deus. Mala. 3. Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. Ego enim Dominus, & non mutor &c. Secundus, erit conscientia. Rom. 2. Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Dominus occulta hominum secundum euangelium meum per Iesum Christum. Tertius, erit omnis creatura. Iob. 20. Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra aduersus eum consurget. Vnde quidam sanctus pater dixit. Redituri sumus rationem corã cælo, & terra, & tu rides? Circa tertium notandum, quòd in tribus apparebit seueritas sententiæ. Primo, quia omnibus bonis expoliabuntur. Augu. in lib. de ciuit. Dei. In extremo supplicio recte fit vt iniqui & impii naturalium bonorum damna in cruciatibus defleant, sentientes eorum ablatorem iustissimum Deum, quem contempserunt largitorem benignissimum. Iob. 20. Diuitias quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Secundo, quia ardentissimi ignis incẽdio cruciabuntur. Isa. vlti. Ignis eorum non extinguetur. Tertio, quia in æternum non liberabuntur. Matth. 25. Discedite a

me, sine quo nõ potest esse bonum, ecce primum: in ignem, ecce secundum: æternum, ecce tertium, A quo igne liberet nos Christus Iesus. Amen.

Dominica decima post festum Trinitatis ex epistola.

NEMO potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritusancto. 1. Cor. 12. In istis verbis ostenditur quanta sit virtus nominis Iesu, quem nullus potest in veritate nominare, nisi in Spiritusancto: & ideo istud nomen est semper in ore habendum, in corde custodiendum, in aure tenendum, in fronte scribendum in manu ferendum &c. *Quære inter festiuos in Circuncisione Domini.*

De eadem epistola.

SCITIS, quia cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes 1. Cor. 12. Septem simulacra adorabant gentiles ad honorem septem planetarum, quæ significant septẽ vitia, quæ adorant in mundo falsi Christiani. Primum erat simulacrum Saturni, & significat inuidiam propter tria. Primo, quia dicitur esse maleuolus, sic inuidus quia malũ proximi desiderat, & in eo lætatur: vnde bene inuidia sic describitur. Inuidia est dolor alienæ felicitatis. Philosophus. Vtinã inuidi in omni ciuitate haberẽt oculos, vt de bonis omniũ torquerentur. Secundo, quia frigidus, sic est inuidus per carentiam caloris charitatis. Matth. 24. Quia abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Tertio, quia siccus, sic inuidus est siccus ab omni humore gratiæ: nihil enim plus euacuat hominem gratia, quàm inuidia. Secundum simulacrum erat Iouis, qui significat gulam propter tria. Primo, quia vt dicebant, patrem de regno expulit, sic primum patrem humani generis expulit de regno, idest, de paradiso. Gen. 3. Qui comedit, & aperti sunt oculi amborum. & post. Emisit eos Dominus de paradiso voluptatis &c. Secũdo, quia adulteria multa commisit, sic gula causa est multorum adulteriorũ. Hiere. 5. *Saturaui* eos, & mæchati sunt, & in

& in domum meretricis luxuriabantur. Tertio, quia eſt pla neta humidus, & gulam generat & multiplicat humores, qui ſunt cauſa putrefactionis. Ioel. 1. Putruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Iumenta in ſtercore putreſcere, eſt carnales quoſque in carnis luxuria vitam finire. Tertium eſt ſimulacrũ Martis, quod ſignificat ira propter tria. Primo, quia dicitur dominari in prçliis, & ita diſcordiam & bella cõcitat. Prou. 15. Vir iracundus concitat rixas. Eccl. 28. Homo iracũdus incitat litem. Secundo, quia eſt planeta igneus propter nimium calorem, & ira procedit ex inflãmatione choleræ circa cor. Eccleſ. 28. Sicut ligna ſyluæ, ſic ignis exardeſcet, & ſecundum virtutem ſuam, ſic iracundia illius erit. Tertio, quia & ſiccando, & calefaciendo efficit hominem impetuoſum. Proue. 27. Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor &c. Quartum erat ſimulacrum Solis, quod ſignificat ſuperbiam propter tria. Primo, quia ſolus lucet: & ſuperbus ſe lucere exiſtimat, & appetit. Luc. 18. Non ſum ſicut cæteri hominum, vox eſt Phariſæi ſuperbi. Secũdo, propter ardorem ambitionis. Aug. Quid eſt ſuperbia, niſi peruerſus celſitudinis appetitus? Tertio, quia ſicut ſol obſcurat alia lumina, ſic ſuperbus vult omnes alios obfuſcare, vt ſolus appareat, ſicut apparet in Phariſæo ſuperbo. Luc. 18. Non ſum ſicut cæteri homines adulteri, raptores, iniuſti, velut etiam hic Publicanus. Quintũ erat ſimulacrum Veneris. Venus autem ſignificat luxuriam propter tria. Primo, quia eſt planeta calidus, ſecũdo quia humidus: & hæc duo maxime ſunt cauſa luxuriæ. De primo, Oſee. 7. Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus a coquẽte. De ſecundo, Hiero. Vẽter mero æſtuans, cito ſpumat in libidinẽ. Tertio, quia eſt pulcherrimus planetarũ: & pulchritudo eſt cauſa luxuriæ. Ezec. 16. Habens fiduciã in pulchritudine tua, fornicata es noĩe tuo, & expoſuiſti fornicationẽ tuã cũ tuã ſeũtibus. Poeta. Fçdera ſeruaſt', ſi vere forma fuiſſet. Sextũ erat ſimulacrum Mercurii, qui ſignificat auaritiam propter tria. Primo, quia erat Deus mercatorum, & auaritia maxime in mercatoribus exercetur. Prou. 17. Qui mittit lapidẽ in aceruum Mercurii. Glo. Mercurius eſt Deus mercatorum, & ſic turbatur computatio per miſſionem lapidis

qui mittitur.Eph.5.Auaritia quæ est idolorum seruitus.Secundo,quia est frigidus:& auarus est frigidus propter carẽtiam fraternæ dilectionis.Hier.6. Omnis calumnia in medio eius.Sicut frigidam facit cisterna aquam suam,sic frigidam fecit malitiam suam:& parum post. A minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student Tertio, quia est planeta maliuolus:& auaro quid nequius?Eccles.19. Nil iniquius quàm amare pecuniam . Septimum est simulacrum Lunæ,& significat accidiam propter tria. Primo, propter mutabilitatem.Eccle.37.Stultus vt luna mutatur. Item, in eodem.26. Homo sapiens in sapientia sua manet sicut sol, nam stultus vt luna mutatur. Interlinearis, quia instabilis & inconstans.Secundo,propter pigritiæ frigiditatem.Prouerb.20.Propter frigus piger arare noluit.

De eadem ex euangelio.

CIRCVNDABVNT te inimici tui vallo, & circundabunt te,& coangustabunt te vndique; & ad terram prosternent te &c.Luc.19.In illis verbis prædicit Dominus aduersitatem quæ se futura est vanam huius mundi prosperitatem , circa quam tria notantur.Primo,ipsius aduersitatis vniuersalitas , ibi. Circundabunt te.Secundo,pœnarum quæ in ipsa erit,multiplicitas,ibi.Et coangustabunt te vndique. Multitudo est causa coangustationis.Tertio, eiusdem aduersitatis æternitas,ibi.Ad terram prosternent te,idest,ita penitus destruẽt, quòd numquàm poteris liberari. Circa primum notandum,quòd ab octo partibus venient mala reprobis.Primo, a terra quæ eos deuorabit.psalm.105.Aperta est terra, & deglutiuit eos.Iob.20.Et terra consurget aduersus eos.Secundo,ab aqua quæ eos suffocabit. Sap.5.Excandescet in illos aqua maris , & flumina concurrent duriter. Tertio, ab aere qui eos fulgurabit. Sapient. 5. Ibunt directe emissiones fulgorum,& tamquàm a bene curuato arcu nubium exterminabuntur,& ad certum locum insilient . Quarto, ab igne qui eos consumet.psalm.66.Ignis ante ipsum præcedet,& inflammabit.Quinto,a sole,luna,& stellis quæ se

eis

cis obſcurabunt.Ioel.3 Sol & luna obtenebrati ſunt, & ſtel
læ rettaxerunt lumen ſuum. Matth. 24. Sol obſcurabitur,
& luna non dabit lumen ſuum. Sexto,a ſanctis quis eos cô
demnabunt.Matth.19. Sedebitis & vos ſuper ſedes duode-
cim iudicantes duodecim tribus Iſrael &c. Septimo,a Do-
mino Ieſu Chriſto qui eos iudicabit.Matth.25.Tunc dicet
rex his qui a ſiniſtris eius erunt. Diſcedite a me maledicti
in ignẽ æternũ.Octauo,ab Angelis, qui eos in infernũ por
tabunt.Matth.13.Exibunt angeli, & ſeparabunt malos de
medio iuſtorum,& mittent eos in caminũ ignis &c. Cir-
ca ſecundum notandum hic octo pœnas malorum,quæ val
de anguſtiabunt eos. Prima erit ſummæ ignorantiæ cæci-
tas ad tormentum rational s.Greg.In tormentis poſitis,ni-
hil præter tormenta ſcire licebit. Secunda erit cõtinua odii
& iræ anguſtia ad iraſcibilis tormentum.pſalm.111. Pecca
tor videbit,& iraſcetur.Tertia erit omnis ſuauitatis ad pę
nam concupiſcibilis carentia.Greg. Quæ poteſt eſſe maior
miſeria,quàm ſemper velle quod numquàm eſt, & ſemper
nolle quod ſemper erit?nil enim quod deſiderat habebit im
pius.pſal.111.Deſiderium peccatorum peribit.Quarta erit
continuus ſonitus flentium & vlulantium ad pęnam audi
tus.Iob.15.Semper ſonitus terroris in auditu eius eſt. Iac.
5.Agite nunc diuites,plorate, & vlulate.Quinta erit conti
nua ad pęnam oculorum effuſio lacrymarum corpora com
burentium. Luc.5. Væ vobis qui ridetis,quia flebitis. Iob.
20.Luet quæ fecit omnia,nec tamen conſumetur. In vitis
patrum.Oremus,filii ante quàm veniamus ad locum , vbi
lacrymæ vrent corpora noſtra. Sexta erit intolerabilis fœ-
tor ad olfactus ſupplicium.Iſa. 3. Erit pro ſuauitate odoris
fętor.Septima erit ad pœnam guſtus,cibus & potus amariſ
ſimus.Hier 16.Cibabo populũ abſynthio , & potum dabo
eis aquam fellis. Octaua erit ignis ardentiſſimi & perpetui
incendii.Iſa.vltimo.Vermis eorum non morietur , & ignis
eorum non extinguetur &c. Quantum ergo ſtulti ſunt,qui
ad tot mala perpetua obligant ſe pro momentaneis dele-
ctationibus?Grego.Momentaneum eſt quod delectat,æter
num quod cruciat.

Dominica undecima ex epistola.

NOTVM vobis facio euangelium quod prædicaui vobis &c.1. Cor. 15. In ista epistola tria facit Apostolus. Primo, commendat suam prędicationem, ibi. Notum vobis facio euangelium. Secundo, probat Christi resurrectionem, ibi. Tradidi enim vobis. Tertio, ponit gratiæ commendationem, ibi. Gratia Dei sum id quod sum. Circa primum tria facit. Primo, commendat suam prædicationem, ibi. Annũtio vobis. Euãgelium dicitur bona annuntiatio, quia annũciat bona æterna. Secundo, ab acceptione, ibi. Quod accepistis, idest, dignum acceptione iudicastis. Tertio, ab effectu. Ponit.n. duplicem effectum. Primum, quia per ipsum stãt in bonis meritoriis, ibi. In quo & statis. Secundum, quia per ipsum digni sunt æternæ salutis habere præmia, ibi. Per quòd & saluamini. Circa secundum notandum, quòd resurrectionem Christi probat sex modis. Ponit enim hic sex apparitiones, tres factæ fuerunt personis, & tres multitudini Prima Petro. Deinde visus est & Iacobo. Tertia, Paulo, ibi. Nouissime autem tamquam abortiuo visus est & mihi. Quarta, vndecim discipulis, ibi. Post hæc vndecim discipulis. Quinta, quingentis. Deinde quingentis fratribus. Deinde Apostolis omnibus. Circa tertium quatuor facit Apost. Primo, dicit quòd per gratiam apostolatũ accepit, ibi. Gratia Dei sum id quod sum. Secundo, quòd gratiam istam nõ in vacuum accepit, ibi. Et gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus laboraui.

De eadem epistola.

GRATIA Dei sum id quod sum, 1. Cor. 15. In istis verbis tria notantur. Primo, magna Dei liberalitas, ibi. Gratia Dei sum id quod sum. Secundo, gratiæ vtilitas, ibi. Et gratia eius in me vacua non fuit. Tertio, liberi arbitrii debilitas, ibi. Non autem

tem ego. Circa primum notandum, quòd in tribus apparet magna Dei bonitas ad peccatores, quæ apparuit in Paulo. Primo, in magnorum peccatorum vocatione, ibi. Quia persecutus sum Ecclesiam Dei. 1. Timoth. 1. Iesus Christus venit peccatores saluos facere, quorum primus, idest maximus, ego sum. Secundo, in abundatioris gratiæ collatione. Rom. 6. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Hæc notantur, ibi. Gratia Dei sum id quod sum, tam magnus Apostolus, talis, ac tantus. Tertio, in spiritualis familiaritatis exhibitione. Iob. 22. Si reuersus fueris ad omnipotentem, ædificabis, & elongabis iniquitatem a tabernaculo tuo: & post. Tunc super omnipotentem delitiis affiues, & eleuabis ad eum faciem tuam.

Circa secundum notandum hic multiplicem vtilitatem gratiæ. Prima est, quia mundat ab omni peccati macula. Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem ipsius. Secundo, quia ab omni miseria liberat. Rom. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum. Tertio, quia in bono corroborat. Heb. 10. Optimum est enim gratia stabilire cor. Quarto, mentem illuminat. Iob. 35. Super quem non fulgebit lumen illius? Quinto, mētem delectat, vnde sic describitur. Gratia est delectatio cordis. Sexto, possessorem suum lætificat. psal. 103. Vt exilaret faciem in oleo. Vnde glosa, ibi. Gratia est quidam nitor animæ ad conciliandum sanctum amorem Septimo, ducit hominem ad æternæ uitæ gloriam. Rom. 6. Gratia autem Dei vita æterna. Circa tertium notandum, quòd in tribus apparet debilitas liberi arbitrii. Primo, quia pronum est ad male faciendum Genes. 8. Sensus hominis & cogitatio humani cordis proni sunt in malum ab adolescentia sua. Secundo, quia non est potens per se ad surgendum cum ceciderit in mortale peccatum. psalm. 77. Homo est spiritus uadens, & non rediens. Tertio, quia non est potens ad aliquod bonum faciendum. 2. Cor. 3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. Est ergo semper fugiendum

giendum ad adiutricem gratiam, quæ vltro se offert omnibus, & per quam omnia possumus, Quam Dominus det nobis &c. Amen.

De eadem ex euangelio.

DVo homines ascenderunt in templum vt orarent, vnus publicanus & alter pharisæus Luc. 18. In isto euangelio tria possunt notari. Primo, magna Pharisæi superbia, ibi. Pharisæus stans, hæc apud se orabat. Gratias ago tibi, quia nõ sum sicut cæteri homines raptores, adulteri, iniusti &c. Secundo, vera Publicani humilitas, ibi. Publicanus a longe stans &c. Tertio, magna Dei iustitia in donum suum, ibi. Amen dico vobis, descendit hic iustificatus ab illo. Circa primum notãdum, quòd in tribus apparuit superbia Pharisæi. Primũ, quia simpliciter se iustum cogitabat, ibi Non sum sicut cęteri homines. Interlinearis. Quasi solus iustus sum. Secũdo, quia cæteros despiciebat, ibi. Raptores, iniusti. glosa. Despectis omnibus appetit singulariter videri habere quod non habet. Tertio, quia bona sua arroganter iactabat, ibi. Ieiuno bis in sabattho. glo. Qui ascendit orare, non orat, sed se laudat. Isti sunt tres actus superbiæ, sicut dicit glosa quę sic incipit, Quatuor sunt tumoris species &c. Circa secundum notandum, quòd in tribus apparuit humilitas Publicani. Primo, quia a longe tamquàm indignus ingredi templum Dei, stabat, ibi. A longe. Secundo, quia indignum se videre templum iudicabat, ibi. Nolebat nec oculos ad cælũ leuare &c. Tertio, quia se peccatorum iudicabat, & asserebat, ibi. Percutiebat pectus suum dicẽs, Deus propitius esto mihi peccatori. Isti sunt tres actus humilitatis. Glosa. Sicut ibi habemus, nõ audet humilis appropinquare, vt Deus appropinquet ei, ecce primum: non aspicit vt aspiciatur, ecce s**m**: agnoscit, vt ipse Deus ignoscat, ecce tertium. Circa tertium notandum, quòd in tribus apparet in isto euangelio iustitia Christi. Primo, ĩ humilis Publicani iustificatione. Secundo, in superbi Pharisæi cõdẽnatione. Tertio, in oĩ superborum condemnatione & humilium exaltatione. Primum,

mum,ibi. Descendit hic iustificatus: secundum, ibi. Ab illo. glo.i. præ illo, ad comparationem illius, vel plusquam ille. glos. Ante ruinam exaltatur cor, quod pertinet ad Pharisæum: & ante gratiam humiliatur, quod ad Publicanum. Tertium, ibi. Omnis qui se exaltat humiliabitur glos. Posita Publicani & Pharisæi controuersia, postea ponitur iudicis sententia, vt caueamus superbiam, teneamus humilitatem, quæ exaltat hominem in æterna gloria. Iob.22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, Ad quam nos &c.

De eodem.

DEVS propitius esto mihi peccatori, Luc.18. Ista, est oratio peccatoris quærentis misericordiam a Deo. Primo, ponit beneuolentiæ captationem a Domino, ibi. Deus. Secundo, format suam petitionem, ibi. Propitius esto. Tertio, subiūgit petitionis rationem, ibi. Mihi peccatori. Circa primum notandum, quòd propter tria possumus firmiter sperare quòd Deus det misericordiam omnibus patenti bus eum. Primo, quia habet multum de misericordia. Eph. 1. Deus qui diues est in misericordia. Secūdo, quia propriū est Dei misereri. Greg. Deus cui proprium est misereri semper & parcere. Isa 55. Derelinquat impius viam suam &c. Tertio, quia longam habet consuetudinem miserendi. Ab æterno enim & vsque in ęternū effundit misericordias suas super confugientes ad eum. psalm. 102. Misericordia Domini ab æterno & vsque in æternum super timentes eum. Circa secundum notandum, quòd oratio quam formauit est multum bona propter tria. Primo, propter breuitatem. Matth.6. Cum oratis, nolite multū loqui sicut Ethnici: putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Secundo, propter necessitatem: petitur enim hic venia quę est omnibus necessaria. 1 Ioan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Aug. Nil laudabile est in vita hominum, si remota misericordia discutias eum. Tertio, propter vtilitatem impetrandi peccatorum remissionem, & gratiæ infusionem: vnde sequitur, Descendit hic iustificatus ab illo. Circa tertium notandum,

tandum, quòd tria debet habere peccator qui vult sibi Deũ habere propitium, quæ habuit iste Publicanus. Primo, magnam cordis humilitatem & contritionem, ibi. A longe stans. psal. 50. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Secundo, peccatorum suorum cõfessionem, ibi. Hæc apud se orabat. Deus propitius esto mihi peccatori. Prou. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem cõfessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam cõsequetur &c. psal. 31. Dixi cõfitebor aduersum me iniustitiã meã, Domino & tu remisisti impietatem peccati mei. Tertio, punitionem, siue satisfactionem, ibi Percutiebat pectus suũ. Augu. Pœnas de se exigebat. Matth. 3. Facite fructus dignos pænitentiæ &c.

Omnis qui se exaltat, humiliabitur. *Quære in Dominica decimaoctaua post Pentecosten.*

Dominica duodecima ex epistola.

FIDVCIAM talem habemus per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus. cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed omnis nostra sufficientia ex Deo est 2. Cor. 3. Apost in ista epistola intendit commendare mysterium noui testamenti. Circa quod tria facit. Primo, agit de ministrandi vtilitate, ibi. Fiduciam talem habemus. Secundo, de ministrorum idoneitate, ibi. Qui & idoneos nos fecit ministros. Tertio, de rei ministrãdæ vtilitate, ibi. Quòd si ministratio. Circa primũ tria facit. Primo, fiduciam ministrandi non sibi attribuit, ibi Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum. Secundo, dicit quòd non est a se, ibi. Non quòd sufficientes simus. Tertio, ostendit quòd omnis sufficiẽtia & voluntas operis est a Deo, ibi. Sed sufficientia nostra ex Deo est. Circa secundum similiter tria facit. Primo, dicit quòd Deus fecit eos ministros noui testamenti, ibi. Qui idoneos nos fecit ministros. Secundo, ostendit dignitatem noui testamenti, quoniam non est in litera occidente, sed in spiritu viuificante, ibi. Non litera, sed spiritu. Tertio, ostendit quòd facit eos ipsos ministros noui testamenti. s. quia confert vitam,

tam,ibi. Litera occidit, ſpiritus aũt viuificat. Circa tertiũ ſimiliter tria facit: oſtendit.n. ꝙ res noui teſtamenti eſt dignior & vtilior propter tria. Primo, quia illa erat pars mortis, hæc eſt ſpei, ibi. Quòd ſi miniſtratio mortis deformata in lapidibus &c. Secũdo, quia illa damnationis, hęc iuſtitię, ibi. Nam ſi miniſtratio damnationis &c. Tertio, quia illa tranſiens, hæc permanens, ibi. Nam nec glorificatum eſt quod claruit in hac parte. Ecce propter excellentem gloriã. Si.n. quod euacuatur in gloria eſt, multo magis quod manet, in gloria eſt.

De eadem epiſtola.

FIDVCIAM talem habemus per Chriſtum ad Deũm, 2. Cor. 3. Apoſtolus tria facit in verbis iſtis. Primo, agit de fiducia ſanctorum, ibi. Fiduciam talem habemus. Secundo, oſtendit propter quod fit ei fiducia, ibi. Per Chriſtum. Tertio, oſtendit in quo ſancti habuerunt fiduciam, ibi. Ad Deum. Nota ꝙ duplex eſt fiducia. ſ. bona, & mala. Fiducia bona eſt ſanctorum, vel bonorum: fiducia vero mala eſt fiducia malorum, ſiue peccatorum. Fiducia bonorum, ſicut colligitur ex textu, conſiſtit in ſeptem. Primo, in Dei timore. Prou. 14. In timore Dñi fiducia fortitudinis, & filiis eius. ſ. timoris, erit ſpes. Secundo, in oratione. 2. Paral. 16. Inuenit fiduciam ſeruus tuus, ut oret te. 1. Ioan. 3. Chariſſimi, ſi cor noſtrum nõ reprehenderit nos, fiduciã habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quia quæ ſunt placita coram eo facimus. Tertio, in ſui ad Deum conſeruatione. Iob. 11. Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris a te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia, tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis: miſeriæ quoque obliuiſceris, & quaſi aquarum quæ pertranſierunt non recordaberis, & quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam, & cum te conſumptum putaueris, orieris ut lucifer, habebis fiduciam propoſita tibi ſpe, & defeſſus ſecurus dormies, requieſces & non erit qui te exterreat, & de-

precabuntur

precabuntur faciem tuam populi. Quarto, in eleemosynæ largitiones. Tob.4. Magna erit fiducia corā sūmo Deo eleemosyna. Quīto, in legis diuinæ obseruatione. Prou.23. Fili mi, inclina aurem tuam, & audi verba sapientium: appone autem cor ad doctrinam meam, quia pulchra erit cum seruaueris eam in corde tuo, & redūdabit in labiis tuis, vt sit in Domino fiducia tua, scilicet non in mūdo, vel in aliquo alio. Sexto, in sanguine Christi. Heb.10. Habentes, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, qui ini tiauit nobis uiam nouam. Octauo, in die iudicii. 1. Io.4. In hoc est perfecta charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicii, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Item fiducia malorum cōsistit in septem, sicut colligitur ex textu. Primo, in diuitiis. Hiere.49. Quid gloriaris in vallibus? defluxit vallis tua filia delicata, quæ confidebas in thesauris tuis. Secundo, in astutiis & malitiis. Isa.47. Et fiduciam habuisti in malitia, & dixisti. Non est qui videat me. Sapientia tua, & scientia tua hæc decepit te. Et dixisti in corde tuo. Ego sum & præter me non est altera. Tertio, in falsa potentium formidine. Isa.39. Vę filii desertores: & post. Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis & habentes fiduciam in vmbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia vmbræ Ægypti in ignominiam. Pharao, princeps sæcularis: vmbra Aegypti, potentia sæcularis. Bene autem Pharao erit vobis in confusionem, quia sæpe a quibus speratur auxilium, interuenit nocumentum. Vmbra quoque potentiæ sæcularis cedit in ignominiam. Iuxta quod Isa.43: Confundātur omnes qui confidunt in sculptilibus, idest, simulacro potentiæ, & potē ti. Quarto, in vana carnis pulchritudine. Eze.12. Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, exposuisti fornicationem tuam omni transeunti. Quinto, in turrium & murorum munitione. Deut.28. Donec disperdat & conterat in cunctis vrbibus tuis, & destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Sexto, in dæmonum inuocatione. Deu.22. Vbi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? Septimo, in exteriori & apparenti conuersatione. Iob.8. Et spes

hypocritæ

hypocritæ peribit. Non enim placebit Deo verecundia sua, & sicut tela aranearum fiducia sua, Ab illa fiducia liberet nos Christus.

De eadem ex euangelio.

ADDVCVNT ei surdum & mutum, & deprecabantur eum vt imponat illi manum, Mar. 7. Moraliter in isto euangelio tria notantur. Primo, quòd magna sit & multiplex cuiuslibet peccatoris infirmitas, ibi. Surdum & mutum. Secundo, quę sint ad eius curationem necessaria, ibi. Et deprecabantur eum. Tertio, quòd multiplex sequatur ex eius curatione utilitas, ibi. Apertæ sunt aures eius. Circa primum notandum, quod tres graues infirmitates incurrit quilibet peccator, quando peccat mortaliter. Primo, cęcitatem per mētis obtenebrationem. Sopho. 1. Ambulabunt vt cæci, quoniam Domino peccauerūt. Ephe. 4. Tenebris obcæcatum habentes intellectū, alienati sunt a via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operatione immunditiæ omnis in auaritiam. Secundo, surditatem per inobedientiæ rebellionem. Isa. 33. Quis cæcus nisi seruus meus, & surdus nisi ad quem nuntios misi? psal. 17. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas. Tertio, mutitatē per peccatorum suorum occultationem. Isa. 56. Vniuersi canes muti non valentes latrare. Iob. 20. Cum dulce fuerit in ore eius malum, abscōdit illud sub lingua. De his tribus, glosa istius euangelii. Genus humanum tamquam vnus homo varia peste absumptum in protoplausto cæcatur, dum videt cęcus fit, surdus dum audit, obmutescit dum loquitur. Circa secundum notandum, quòd duo concurrunt ad curationem istius infirmi, & significant tria quæ sunt necessaria ad curationem peccatoris. Primo, sanctorum & ecclesiæ oratio, ibi. Et deprecabantur. 1. Ioan. 5. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat pro eo, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Secundo, dono-

rum & gratiæ Spiritusſancti ſuſceptio, ibi. Miſit digitos in aures eius. Gloſa. Digitos in auriculam mittit, cum per Spiritumſanctum aures cordis ad intelligenda & ſuſcipienda verba ſalutis aperit. Rom. 3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Tertio, pænitentiæ operatio, quæ conſiſtit in tribus. Primo, in cordis dolore, ibi. Suſpiciens in cælum, ingemuit. Interlinearis. Gemere nos docuit pro noſtris, vel noſtrorum reatibus ſupplicantes, pſal. 6. Lauabo per ſingulas noctes lectũ meũ, lacrymis meis ſtratum meũ rigabo. Secundo, in oris confeſſione, ibi. Et ſolutum eſt vinculum linguæ eius. Vinculum linguæ ſoluitur peccatoris, cum peccatum confitetur. Iaco. 5. Confitemini alterutrum peccata veſtra. Tertio, in mandatorum Dei & ſacerdotis adimpletione, ibi. Et apertæ ſunt aures eius. Aures peccatoris aperiuntur cum præcepta Dei & ſacerdotis adimplendo & ſatisfaciendo obedit. Heb. 13. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.

Circa tertium notandum, quòd triplex vtilitas ſequitur ex conuerſione peccatoris. Prima eſt, quia ab omni infirmitate liberatur ſpirituali, ibi. Solutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Hiere. 3 Conuertimini filii reuertẽtes, & ſanabo auerſiones veſtras. Secunda eſt, quia Deus inde laudatur, ibi. Tanto magis plus prædicabant. pſal. 50. Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam. Tertia, quia Dei potentia & bonitas declaratur, ibi. Bene omnia fecit: ſurdos fecit audire &c.

Dominica decimatertia ex epiſtola.

ABRAHAE dictę ſunt promiſsiones, & ſemini eius, Gal. 3. In verbis iſtis oſtenditur quòd illis ſunt promiſsiones cæleſtes, qui Abraham ſtudent pro viribus imitari. Leguntur autem ſeptẽ de Abraham, in quibus debet eum Chriſtianus quilibet imitari. Primo, in fidei conſtantia. Ro. 4. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Heb. 11. Sine fide

impoſsibile

impoſsibile eſt placere Deo:credere enim oportet aſcedentem ad Deum,quia eſt, & quòd inquirentibus ſe,remunerator eſt.Secundo, in perfecta obedientia. Gen.33. poſsidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ. Deu.?.Numquid dominus Deus tuus requiret a te,niſi vt obedias ei ex toto corde tuo ? Tertio, in deſpectu patriæ. Quarto,in contemptu proſapiæ. De his duobus. Gen.12. Dixit Dominus ad Abraham. Egredere de terra, & de cognatione tua, & veni in terram quā mõſtrauero tibi.Quinto,in hoſpitalitate & miſericordia.Gen 18. Domine,ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum, ſed afferam puſillum aquæ,& lauentur pedes veſtri,& requieſcite ſub arbore:ponam buccellam panis, & confortate cor veſtrum,poſtea tranſibitis.Heb. 13. Hoſpitalitatem nolite obliuiſci, per hanc enim quidam placerunt Deo. Sexto, in humilitate.Gen.18. Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis, Verba Abrahæ ad Dominum. Matth. 11. Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde. Septimo, in Dei timore.Gene. 33. Non extendas manum tuam ſuper puerum,neque facias illi quicquàm : nũc cognoui quod timeas Dominum, & nõ pepercisti filio tuo vnigenito propter me. Et quid dominus Deus tuus requirit a te, niſi vt timeas Dominum ex toto corde tuo?Deuter.?.In his monet nos imitari Abraham,Ioan.8.Si filii Abrahæ eſtis,opera Abrahæ facite.His qui ſic in his imitantur Abraham facit Dominus ſeptem magnas promiſsiones, quas fecit Abrahæ.Primo,promiſsit ei quòd ſuam benedictionem ſibi daret.Secundo,quòd ipſum magnificaret. Tertio, quòd eius inimicos humiliaret. Quarto,quòd eum in omnibus gentibus honoraret.De his quatuor.Gen.12.Benedicã tibi,ecce primum:magnificabo nomen tuum,ecce ſecundum: maledicam maledicentibus tibi,ecce tertium:atque in te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ,ecce quartum.Quinto, quòd eum in omnibus protegeret. Sexto, quòd ſe ei in mercedem tribueret.De his duobus.Gen.15.Factus eſt ſermo Domini ad Abraham per viſionem dicens.Noli timere Abraham,ego protector tuus ſum,ecce primum & merces

tua magna, ecce secundum. Septimo, quòd ei terram fluentem melle & lacte daret. Gen. 13. dixit Dominus ad Abraham. Leua oculos tuos a loco in quo nunc es ad aquilonē, & meridiem, & ad orientem: omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum. Hæc septem bona facit Dominus his qui imitantur Abraham. Primo eos benedicit. Ephe. 1 Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo. Secundo, eos magnificat Rom. 7. Quos autem vocauit, illos & magnificauit. Tertio, inimicos eorum humiliat. psal. 37. Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam. Quarto, eos protegit. psal. 90. Quoniam in me sperauit, liberabo eū, protegam eum quoniam cognouit nomen meum. Quinto, honorat. psal. 138. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Sexto, se eis dat ipse Deus in præmiū, qui erit oīa ī omnibus, qui erit salus & vita, honor, gloria, pax, gaudiū, & omnia bona. Septimo, dat eis terram fluentem lacte & melle. i. regnum cælorum, gaudium humanitatis & diuinitatis lætificans. Mat. 25. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, Ad quod nos perducat, Amen.

De eadem ex euangelio.

HOMO quidam descendebat ab Hierusalem in Hierico, & incidit in latrones, qui etiam eū despoliauerunt, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto, Luc. 10. In ista parabola tria sunt. Primo, multiplex peccatorum miseria, ibi. Homo quidam, descendebat ab Hierusalem. Secundo, ostēditur multiplex Christi ad peccatorem misericordia, ibi. Samaritanus autē quidam iter faciens venit secus viam, & videns eum misericordia motus est, & appropians alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentū suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Tertio, datur nobis imitandi regula, ibi. Vade & tu fac similiter. Circa primum nota, quòd quatuor miserias incurrunt homines cum peccant. Primo, cælesti gloria priuantur, ibi. Descendebat ab

bat ab Hierusalem &c.glosa. Homo ille cælestis Hierusalē præuaricationis prolaptione ad miserias & defectum huius erumnosæ & mutabilis vitæ descendit. Isa.26. Secundū aliam literam tollatur impius ne videat gloriam Dei. Secūdo dæmonibus subiugantur, ibi. Incidit in latrones. gl. In potestate dæmoniorum. 2. Tim. 2. Ne quādo det illis Deus pænitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo captiui tenētur ad ipsius voluntatē. Tertio, bonis gratuitis expoliantur, ibi. Qui expoliauerunt eum. Glo. Indumēta gratiæ spiritualis aufert. Sap. 1. In maliuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Quarto, ī bonis naturalibus vulnerantur, ibi. Vulnerauerunt, vulnera inferunt, idest, peccata, quibus integritas humanæ naturæ violatur. Aug. Si naturæ bonæ non essent, eis vitia non nocerent: nunc autem eis quid faciunt nisi adimere integritatem, pulchritudinē, & virtutem, & salutem. Circa secundum notandum, quod quatuor misericordiæ Christi hic ponuntur, quas fecit peccatoribus. Prima, fuit humanæ naturæ susceptio, ibi. Samaritanus quidam iter faciens, venit secus eum, & videns eū, misericordia motus est. glosa. Samaritanus Christus est, qui propter nos homo factus, vitæ præsentis iter arripuit. Secūdo, sacramentorum ad salutem peccatorum institutio, ibi. Alligauit vulnera eius. glosa. In baptismo. psal. 146. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Tertio, gratiæ Spiritussancti infusio, ibi. Infudit oleum. glo. i. charisma Spiritussancti. Ioan. Paraclitus autem Spiritussanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia quæcumque dixero vobis. Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus gratiā pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Quarto, amaritudinem pro peccatoribus passionis tolerādo, ibi. Imponens eum in iumentum suum. glosa. Iumentum caro sua est, in qua ponit sauciatum, quia peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Circa tertium notandum, quòd quatuor misericordias debemus pænitentibus exhibere. Primo, supportationem. Gala. 6. Alter alterius onera portate. Secundo, oratione. 1. Ioan. 5.

Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Iacobi. 5. Orate pro inuicem vt ſaluemini. Tertio, in inſtructione. Gal. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis. Iacobi. 5. Fratres mei, ſiquis ex vobis errauerit a veritate, & conuerterit quis eum, ſcire debet quoniam qui cõuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ ſuæ, ſaluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum. Matth. 18. Si pecauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum &c. Quarto, veniæ donatione Matth. 18. Accedens Petrus ad Dominum dixit. Si peccauerit in me frater meus? quoties dimittam ei? vſque ſepties? dixit ei Ieſus, Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties. Eccl. 8. Non ſpernas hominem. Interlinearis. i. pœnitẽtem auertentem ſe a peccato, neque impropetes ei. Memento quoniam in corruptione omnes ſumus.

Dominica decimaquarta ex epiſtola.

SPIRITV ambulate, & deſideria carnis non perficietis, Gal. 5. Tria facit Apoſtolus in verbis iſtis. Primo, inuitat nos ad ambulandum, ibi. Ambulate. Secundo, oſtendit modum ambulandi, ibi. Spiritu. Tertio, oſtendit vtilitatem, ibi. Et deſideria carnis non perficietis. *Quære in ſecunda Dominica & in tertia Quadrageſimæ.*

De eadem epiſtola.

FRVCTVS autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia &c. Gal. 5. Duo facit Apoſtolus in iſta epiſtola. Primo, dicit quòd eſt fugiendum malum carnis, ibi. Deſideria carnis non proficietis: caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Secundo, dicit ꝙ eſt ſequenda via ſpiritus, ibi. Quod ſi ſpiritu ducimini. Circa primum tria facit. Primo, dicit quòd malum carnis

eſt

eſt fugiendum. Secundo, oſtendit quomodo eſt fugiendum, quia per viam ſpiritus, ibi. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Tertio, probat quòd qui ſequitur viam ſpiritus, fugit malum carnis, ibi. Si ſpiritu ducimini. Circa ſecundum ſimiliter tria facit, probat enim quòd ſequendus eſt ſpiritus propter tria. Primo, quia a lege liberat, ibi. Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. Secundo, quia ex carne ſequuntur multa mala: & ponit decem & ſeptem mala, ibi. Manifeſta ſunt opera carnis quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Tertio, quia ex ſpiritu ſequuntur multa bona, ponit duodecim bona, ibi. Fructus autem ſpiritus, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas: aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Circa iſtud vltimum notandum, quòd Dominus dat iuſtis ſuis virtutes, dona, beatitudines, & fruct' ſpiritus virtutes vt bene agant, dona vt agant expedite, beatitudines vt agant iucunde. Dicuntur aut iſta fructus, quia reficiunt hominem exterius & interius. Ad ſenſus pertinẽt tres, caſtitas ad tactum, continentia ad guſtum, modeſtia ad cæteros ſenſus. Ad concupiſcibilem, pertinent tres. Primo, charitas ad Deum: ſecundo, pax ad proximum: tertio, gaudium in ſeipſo. Ad iraſcibilem duo, patiẽtia, quæ facit aduerſa delectabiliter tolerare: & longanimitas, quæ facit in bono delectabiliter perſeuerase. Alii quatuor fructus ſunt in rationali. Conſideratur enim rationalis dupliciter prout eſt regitiua virium, & ſic tripliciter: vel prout regit ſeipſam, & ſic habet bonitatem, quæ eſt dulcedo mentis: vel prout regit concupiſcibilem ad proximum, & ſic habet benignitatem, quæ eſt largitas: vel prout regit iraſcibilem, & ſic habet manſuetudinem: vel prout eſt reductiua ad fidem, & ſic habet fidem.

De eadem.

FRVCTVS autem ſunt charitas, gaudiũ, pax, patientia &c. Gal.5. Quilibet homo debet habere iſtos fructus maxime propter tria. Primo, propter neceſſitatem. Mat.5. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Secundo, propter delectabilitatem, quia mentem ineffabili dulcedine reficiunt. Cant.2. Sub vmbra illius quem deſideraueră ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Tertio, propter vtilitatem, quia multas vtilitates conferũt. Primus fructꝰ habet tres mirabiles virtutes. Prima eſt, quia homo qui comedit ipſum, inexpugnabilis efficit Rom.8 Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti, tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum an perſecutio, an gladius? ſicut ſcriptum eſt, Quoniam propter te mortificamur tota die, exti mati ſumus ſicut oues occiſionis: ſed i his omnibus ſuperamus propter illum qui dilexit nos. Secundo, quia omnia bona & mala proſũt ei, qui iſto fructu reficit. Rom. 8. Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. gloſa, bona & mala. Tertio, quia qui comedit talem fructum, in æternum non morietur. 1. Corin.13. Charitas numquam excidit. Secũdus fructus habet ſimiliter tres magnas virtutes. Primo, quia eſus huius fructus fortes facit homines ad vincendum omnes dæmones. B. Antonius Vnica eſt ratio vincendi inimicum, lætitia ſpiritualis. Secundo, quia facit homines ſemper viuere. Eccle.30. Iucunditas cordis hæc eſt, vita hominis. Tertio, quia ducit comedentes ad gloriam cæleſtis regni. Rom.14. Regnum Dei nõn eſt eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spirituſancto: qui enim in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus. Tertius fructus ſimiliter habet tres magnas virtutes. Prima, quia hominem ab omnibus malis protegit. Philip.4. Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Secundo, quia filium Dei efficit. Mat.5. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Tertio, quia in lo-

in loco vbi eſt iſte fructus, Deus libenter inhabitat & quieſcit. pſal. 75. In pace factus eſt locus eius. Quartus fructus habet ſimiliter tres magnas virtutes. Prima eſt, quia eſus eius dat homini ſapientiam. Prou. 18. Qui patiens eſt, multa gubernatur prouidentia ſcilicet futurorum. Iſta dictio, multa, eſt accuſatiuus pluralis, vel ablatiuus ſingularis. Secundo, quia animam hominis conſeruat, Luc. 21. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Tertia eſt, quia facit amara dulcia, tanta eſt dulcedo eius. Iac. 1. Omne gaudiū exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, ſcientes quòd probatio fidei veſtræ patiētiam operatur: patientia autem opus perfectum habet.

De eadem ex euangelio.

OCCVRRERVNT ei decem viri leproſi, qui ſteterunt a longe, Luc. 17. Moraliter in iſto euangelio tria notantur. Primo, peccatorū multiplicitas, ibi. Ecce decem viri leproſi. Secundo, curationis remedia, ibi. Occurrerūt ei. Tertio, quæ ſint curatis a peccatis remedia neceſſaria, ibi. Vnus autē ex illis, vt uidit quia mundatus eſt. Circa primum notandum, quòd decem leproſi poſſunt ſignificare decem genera peccatorum. Primus leproſus eſt infidelis & hæreticus, qui a conſortio fidelium ſeparatur, & ſanctorum. Numeri. 5. Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicēs. Præcipe filiis Iſrael, vt eiiciant de caſtris omnem leproſum: & poſt. Fecerunt filii Iſrael & eiecerunt extra caſtra omnes, ſicut locut⁹ eſt Dn̄s Moyſi. Secūdus eſt blaſphemator & detractor. Numeri. 10. Locuta eſt Maria & Aaron cōtra Moyſen propter vxorem eius æthiopiſſam, & dixerunt. Numquid propter ſolum Moyſen locutus eſt? quod cum audiſſet Dominus, iratus eſt valde: & poſt dixit ad eos. Quare ergo nō timuiſti detrahere ſeruo meo Moyſi? & poſt. Ecce Maria apparuit candes lepra quaſi nix. Tertius guloſus, qui ſupra aerem fœtidis eructationibus ex repletionie nimia procedentibus inficit. Leui. 13. Quicumque maculatus fuerit lepra, habebit os veſte contectū,

contaminatum

contaminatum ac sordidum se clamabit. Quartus est auarus, qui immoderato habendi desiderio semper flat: hæc est lepra Giezi. 4. Reg. 5. Nunc ergo accepisti argentum, accepisti vestes, vt emas olIueta, oues & boues, seruos & ancillas &c. lepra Naamam adhærebit tibi. Quintus est superbus, qui per tumorem mentis contra Dominum & Christum se eleuat, & hæc est lepra Naamam regis Syriæ, qui erat diues valde, & fortis, sed leprosus. Sextus est ambitiosus, qui honores & dignitates desiderat: hæc est lepra Ezechiæ, qui ambiit honorem summi sacerdotii. Parali. 32. Eleuatũ est cor eius, ingressus est templum, voluit adolere incẽsum: & post. Et statim orta est lepra in frõte eius. Septimus est hypocrita, vel vanegloriosus, qui bona sua inaniter iactat. Hic est leprosus Simonis pharisæi. Mat. 26. Cum autẽ esset Iesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguẽti pretiosi, & effudit super caput eius recumbentis. Octauus leprosus est luxuriosus, qui fluxu immunditiæ suæ creaturas contaminat. Leu. 33. Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, vel patiens fluxum sanguinis, non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. Non' é homicida. Hæc est lepra Ioab, quã imprecatus est ei Dauid, quia occiderat Abner. 2. Regum. 3. Non deficiet de domo Ioab homo leprosus tenens fusum. Decimus est ostinatus & desperatus, qui finaliter peccat. Leu. 13. Lepra perseuerantis est in eodem, cũq; color albus fuerit incute, & capillorum mutauerit aspectum, ipsa quoque caro viua apparuerit lepra vetustissima iudicabitur. Hieronymus. Qui veniã de peccato desperat, plus se de desperatione quàm cõmisso scelere obligat. Desperatio auget peccatum, & est maior omni peccato. Qui ab istis lepris vult curari, currat ad piscinam sanguinis innocentis, quam fecit nobis ineffabili charitate Dominus Iesus Christus, qui mundauit nos in ea, & mundabit omnes confugientes ad se a lepris omnium peccatorum. Apoca. 1. Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

Dominica

Dominica decimaquinta ex epistola.

NON efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem inuidentes, inuicem prouocantes. Gal. 6. Duo facit Apostolus in ista epistola. Primo, monet vt malũ vitemus. ibi: Nõ efficiamur inanis gloriæ cupidi. Secundo, vt bonum operemur, ibi. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis. Circa primũ tria facit. Primo, monet vt declinemus a malo vanitatis, ibi. Nõ efficiamur inanis gloriæ cupidi. Secundo, vt vitemus iniuriam proximi in dictis & factis, ibi. Inuicem prouocantes. Circa secundum docet triplex facere bonum. Primo, docet d bono quod debet prælatus subditis, ibi. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto. Secundo, de bono quod debent subditi prælatis, ibi. Communicet autem his qui catechizatur verbo ei qui se catechizat in omnibus bonis. Tertio, de bono quod debent omnes ad inuicem, ibi. Bonũ autem facientes non deficiamus &c. Circa primum tria facit. Primo, monet vt prælati peccatores in mansuetudine instruant, ibi. Si præoccupatus fuerit homo &c. Secundo, vt supportent eorum onera, ibi. Alter alterius onera portate. Tertio, quare hoc facere debent, scilicet aliorum onera portare, ibi. Et sic adimplebitis legem Christi. Circa secũdum facit similiter tria. Primo, dicit quòd debent subditi prælatis ministrare temporalia, ibi. Communicet autem. Secundo, quòd non debent se excusare aliqua fallacia, ibi. Nolite errare, Deus non irridetur. Tertio, probatur quòd hoc facere debent, ibi. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Circa tertium similiter tria facit. Primo, dicit ꝙ debemus benefacere, ibi. Benefacientes autem non deficiamus. Secundo, probat quòd hoc debemus, ibi. Tempore.n. suo metemus non deficientes. Tertio, ostendit quòd bonum facere debemus, scilicet antequàm transeat tempus benefacendi, ibi. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.

De eadem epistola.

BONVM autem facientes non deficiamus, Gal. 6. Tria facit Apostolus in verbis istis. Primo, monet vt bonũ faciamus, ibi. Bonũ aũt facientes. Secũdo, vt a bono opere nõ deficiamus, ibi. Nõ deficientes. Tertio, ponit præmium, ibi. Tempore.n. suo metemus. Circa primum sciendum, ꝙ debemus bonũ facere maxime propter tria. Primo, quia oia naturaliter docẽt nos benefacere, & hoc tripliciter. Primo, quia omnia bona sunt. Gen. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Satis possunt erubescere peccatores in tanta multitudine creaturarum, quæ omnes bonæ sunt, & ipsi mali sunt. Secundo, quia omnia naturaliter bonũ faciunt: quælibet.n. creatura dat seipsam, quod est inditium bonitatis earũ & creatoris. Dionysius. Bonum est diffusiuum sui. Aug. Magnum est iudicium bonitatis diuinæ, ꝙ quælibet creatura cogitur dare seipsam Tertio, quia omnia naturaliter appetunt bonum, & ad bonum tendunt. Philosophus. Bonum est quod ab omnibus desideratur. Circa 2m docet ꝙ tria sunt quæ maxime faciunt hominem perseuerare in bono. Primo, assidua & deuota oratio, qua homo implorat Dei auxilium ne in tentationibus succumbat. Luc. 20. Vigilate & orate ne intretis in tentationẽ. Secundo, cõtinuus timor: statim.n. vt hõ securus fit, a bona operatione deficit. Eccl. 27. Si non timore Dñi tenueris te instanter, cito subuertet dom⁹ tua. Interlinearis. Timor Dñi custodia vitæ: cito.i. ex ĩprouiso: subuertet dom⁹ tua.s. terrenũ habitaculũ, vel spes terrenorũ. Tertio, venialiũ vitatio, quæ sunt occasio ad mortale, & frequenter subruunt ædificium bonorum operum. Aug. Vitasti grandia, caue ne obruaris arena. Eccl. 19. Qui minima negligit, paulatim defluit. Circa tertium notandũ, ꝙ tria facit Apostolus. Primo, ponit recipiendi præmiũ cõgruẽtiã, ibi. Tẽpore.n. suo. glo. hoc est tẽpore cõgruo, vel cõuenienti: tempus congruum erit dies iudicii, in quo recipiet vnusquisque quod gessit, vnde in psal. 74. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Secundo, ponit præmiĩ copiositatem, ibi. Metemus. In messione abundantia notatur. psal. 125. Venientes autem venient cum exultatione

 portantes

portantes manipulos suos.2.Cor.9.Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternã. Matth. 5.Merces vestra copiosa est in cælis. Tertio, ponit præmii æternitatem, ibi.Non deficientes.Ioan.15. Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.Mat.25.Ibunt hi in supplicium æternum:iusti autem in vitam æternam.

De eadem ex euangelio.

NEMO post duobus dominus seruire, Mat.6. Domin° Iesus Christus in verbis istis ostendit quòd soli Deo seruiendum est, & nõ alteri contraria Deo præcipienti, vel seruire Deo impedienti.Mat.4.Dominum Deum tuũ adorabis, & illi soli serui es. Debemus autẽ illi seruire propter quinque. Primo, propter congruitatem. Omnia enim seruiunt ei: vnde satis in congruũ est quòd homo non seruiat ei.ps.118.Quoniam omnia seruiũt tibi, ordinatione tua perseuerat dies. Seruiunt autem ei omnia tripliciter. Primo, præcepta sibi a creatore data adimplendo.ps.148.Statuit ea in æternũ, & in sæculũ sæculi:præceptũ posuit, & non præteribit Secundo, rebelles creatori puniendo. Tertio, amicis eius benefaciendo. De his duobus, Sap.16. Creatura tibi factori deseruiẽs exardescit in tormẽtum aduersus iniustos, & leuior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt. Secũdo, debemus soli Deo seruire, quia ipse solus habet in nobis veri dominii proprietatem.psa.115.Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Possidet autem in nobis dominium tri plici iure. Primo, iure creationis. psal.4. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos. secundo, emptionis. 1.petri.1.scientes quoniam non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra cõuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati & incontaminati Christi.1.Cor.6. Empti enim istis pretio magno, glorificate, & portate. Deũ in corpore vestro. Tertio, iure educationis.psal.135.Qui dat escã omni carni. Tertio, debemus soli Deo seuire propter seruiendi sibi dignitatem: confert enim triplicem magnam vtilitatem seruienti sibi. Primo, militiam triumphalem. 2. Tim. 2. Labora vt bonus miles Christi. Iob.25.

Numquid

Numquid est numerus militum eius? Secundo, dignitatem sacerdotalem. Tertio, maiestatem regalem. De his duobus Apo.5. Fecit nos Deo nostro regnum, & sacerdotes & ambulabimus super terram: ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen. 2. Pet. 2. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Nam seruire Deo regnare est. Quarto, debemus ei seruire propter necessitatem: imminet autem nobis triplex necessitas seruiēdi Deo. Primo, quia q noluerit seruire Deo, seruituti suorum hostium subiicietur. Secundo, bonorum omnium penuriam patietur. Tertio, quia sub multiplici miseria penitus conteretur. De his tribus, Deu. 28. Eo quòd non seruieris Domino tuo in gaudio cordisque lætitia propter rerum abundantiam, seruies inimico tuo quem immittet Dominus tibi, ecce primum: in fame & siti, & nuditate, & omnium penuria bonorum, ecce secundum: & imponet iugū ferreum super ceruicem tuam donec conterat, ecce tertiū. Quinto, propter vtilitatem debemus seruire Deo: consequitur enim multas vtilitates homo de seruitio Dei. Sed hic notantur tres. Prima est ab omnibus inimicis liberatio. 3. Regum. 7. Seruite illi soli, & liberabit vos de manibus inimicorum vestrorum. Secunda, ineffabilis cordis exultatio. psal. 99. Seruite Domino in lætitia. Tertia, æterna omnium delitiarum fruitio. Isa. 65. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis: ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ioan. 12. Volo pater vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. Fuit n. Iesus in dextris patris, hoc est, in potioribus bonis patris, & ibi ponet eos qui sibi seruiunt. Matth. 24. Beatus ille seruus, quē cū venerit Dns, inuenerit sic facientem, Amen dico vobis, super oia bona sua cōstituet eū. Matth. 25. Euge serue bone & fidelis, intra in gaudiū Dñi tui, Ad quod gaudium &c.

Dominica decimasexta ex epistola.

VT possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum, Eph. 4. In istis verbis notantur quatuor, quæ sunt nobis necessaria ad salutem. Primo, charitas, qua amicos & inimicos diligamus, ibi.

Quæ

Quæ sit latitudo. glo. ideſt quanta debet eſſe latitudo charitatis,quæ debet vſque ad inimicos extendi. Secundo perſeuerantia,vt in charitate finaliter perſiſtimus,ibi. Longitudo. gl. quæ ſit longitudo charitatis ſcilicet perſeuerandi longitudo. Tertio intentio recta,vt ſolum Dominum noſtrarum actionum præmium præponamus,ibi.Sublimitas: hæc eſt quę cor ſurſum erigit, vt Deus in præmium expectetur. Quarto humilitas, vt in his omnibus per ſuperbiā non euaneſcamus,ibi.Profundum:eſt enim humilitas quæ hominem ponit in imo, quo ad hominem, ſed in ſummo quo ad Deum. Luc.18. Qui ſe humiliat, exaltabitur.

Circa primum notandum, quòd propter tria maxime debemus diligere inimicos. Primo, propter præceptum.Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos,& orate pro perſequentibus & calumniantibus vos,vt ſitis filii patris veſtri qui in cęlis eſt.Secūdo,propter Dei exemplum.Rom.5.Commendat autē charitatem ſuam Deus in nobis,quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: & paulo poſt. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii eius, multo magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius. Tertio,propter commodum noſtrum.Facit.n. charitas inimicorum filios ſummi Dei.Matth.5.Orate pro perſequentibus vos &c. Circa ſecundum notandū, quòd propter tria debemus in bono perſeuerare. Primo,propter vitandum vituperium.Valde enim vituperabile eſt incipere,& non perſeuerare.Luc.13.Quis ex vobis volens ædificare turrim,non prius ſedens cōputat ſumptus qui neceſſarii ſunt ſi habeat ad perficiendum, ne poſtquàm poſuerit fundamentum,& non potuerit perficere,omnes qui vidēt incipiant illudere ei dicentes.Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Secundo, propter vitandum ſupplicium: maius enim ſupplicium meretur qui guſtauit quàm dulce eſt bene operari,& non perſeuerauit.2. Petr.2. Melius illis erat non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt cognitam retrorſum reuerti. Contingit enim illis illud verum prouerbium. Canis reuerſus ad uomitum: & ſus lota in voluptabro luti. Tertio, propter præmium acquirendū: ſola

ſola enim perſeuerantia meretur præmium. Matth. 10. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Circa tertium notandum, quòd debemus ſolum Deum expectare præmium propter tria. Primo, quia ipſe ſolus eſt verum præmium. Gen. 15. Protector tuus & merces tua magna nimis. Aug. Præmium erit omnia in omnibus, quia erit nobis vita & ſalus, virtus & copia, honor & gloria, pax & gaudium, & omnia bona. Tertio, quia erit præmium æternum. Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verũ Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Circa quartum notandum, quòd humilitas tribus modis conſeruat hominem in bono. Primo, ab inimicis defendendo. pſal. 14. Cuſtodiens paruulos Dominus, humiliatus ſum, & liberauit me. Secundo, augmenta gratiæ promerendo. Iaco. 4. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Tertio, vſq; ad æternam gloriam perducendo. Prou. 39. Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria, Ad quam nos perducat &c.

Dominica decimaſeptima ex epiſtola.

SOLLICITI ſeruare vnitatẽ ſpiritus in vinculo pacis, Eph. 5. Nota quòd tria facit hic Apoſtolus in uerbis iſtis. Primo, monet vt ſeruemus vnitatem, ibi. Seruare vnitatem. Secundo, ponit modum conſeruationis, ibi. In vinculo pacis. Tertio, monet ad ſollicitudinem habendam in vtroque, ibi. Sollicitі. Circa primum notandum, quòd triplex vnitas eſt nobis neceſſaria. Prima, vnitas intellectuum per fidei identitatem. Secunda, vnitas affectuum per rectam concordiæ voluntatem. De his duobus, Philip. 2. Idem ſapiatis, quantũ ad primum: eadem charitatem habentes, vnanimes, idipſum ſentientes, quantum ad ſecundum. Tertia, vnitas conuerſationis per vniformem morum honeſtatem. pſalm. 67. Deus qui in habitare facis vnanimes in domo. De his tribus. Actuum. 4. Multitudinis autem credentium erat cor vnum, quo ad vnitatem fidei: & anima vna, quo ad vnitatem voluntatis: & erant illis omnia communia, quo ad vnitatẽ morũ. Circa ſecundũ notandũ, ꝙ triplici vinculo debent

debent ligari sancti. Primo, vinculo sapientiæ. Eccles. 6. Subiice humerum tuum, idest actus tuos suppone magiste rio illius. s. sapientiæ, & porta illam, & ne accidieris in uinculis illius. s. tædiose & grauiter ferens. Secundo, uinculo dilectionis, Colo. 3. Super omnia autem habete charitatē, quod est vinculum perfectionis. Tertio, vinculo pacis, ut hic. In uinculo pacis. Circa tertium notandum, quod qui uolunt seruare unitatem, quinque debēt habere quæ Apostolus commemorat in epistola ista. Primo, humilitatem, ne alter alteri se præponat, quod est causa discordiæ. Prouerb. 32. Inter superbos semper iurgia sunt. s. dissensiones, ibi. Cum omni humilitate. Secundo, debent habere mansuetudinem, ne alicui iniuriam faciant, quod est similiter causa dissensionis. Tit. 3. Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Tertio, patientiam ut illatas iniurias patiēter sustineant, & per patientiam fratrem reuocent ad concordiam, ibi. Cum patientia. 1. Thess. 5. Patiētes estote ad omnes, uidete ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est sectamini adinuicem, & in omnes. Quarto, necesse est ut mores graues sociorum supportare sciant, ibi. Supportantes inuicem. Gal. 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Quinto, debent habere charitatem, per quam inuicem sibi seruiant: mutua. n. seruitia nutritiua sunt charitatis in charitate. Gal. 5. Per charitatem enim spiritus seruite inuicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur, Dilige proximum tuum sicut te ipsum, quod si inuicem mordetis & comeditis, videte ne inuicem consumamini.

De eadem ex euangelio.

HYDROPICUS quidam stabat ante illum, Luc. 14. Tria notantur moraliter circa miraculum de curatione istius hydropici. Primo, notatur magna peccatoris infirmitas, ibi. Hydropicus. Secundo, magna Dei clementia, ibi. Et sanauit eum. Tertio, magna ipsius sapientia, ibi. Cuius uestrū bos, aut asinus in foueam cadit, & non continuo extrahet

illum d e sabbathi?Et non poterant ad hæc respõdere illi. Sapienti.n.argumento confundit uersutiam Pharisæorũ.

Circa primum notandum,quòd per hydropisim significantur tria uitia,quæ sunt origines omniũ uitiorũ. Primo, quia hydropisis est morbus aquosus,qui significat luxuriã. Gen.4.Effusus es sicut aqua:non crescas, quia ascendisti cubile patris tui.Secundo,quia nascitur ex uitio uesicæ cũ inflatione turgente,& per hoc significat superbiam, quæ procedens ex uanitate cordis,facit hominem inflari inaniter.1.Cor.5.Et uos inflati estis.Tertio, quia facit hominẽ quanto plus bibit,tãto plus sitire,& per hoc significat auaritiam Eccle.5.Auarus nõ impletur pecunia.1.Ioan.3.Omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis,aut cõcupiscentia oculorum,aut superbia uitæ. Circa secundũ notandum,quòd Dominus sanauit istos tres languores, & sanat triplici remedio.Primo,morbum luxuriæ sanat remedio puritatis.Matth.5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.Secundo,morbum superbiæ remedio humilitatis.Matth.11.Discite a me,quia mitis sum, & humilis corde.Tertio,morbum auaritiæ sanat remedio uoluntariæ paupertatis.Luc.6.Beati pauperes spiritu,quoniam ipsorum est regnum cælorum. Circa tertiũ notandũ,quod in tribus apparuit sapientia Christi in isto euangelio. Primo,quia conuenienti argumento respondit,quod pertinet ad logicam,ibi.Cuius uestrum asinus.Secundo, quia mores naturales instruxit,quod pertinet ad ethicam,ibi.Cum inuitatus fueris ad nuptias,ne recumbans in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus.Tertio, quia bona opera pro regno cæli facere docuit,quod pertinet ad metaphysicã,siue theoricã.Dicebat autem & ei qui se inuitauerat. Cum facis prandiũ,aut cænã,noli uocare amicos tuos,nec fratres tuos,nec cognatos,nec uicinos diuites &c.

De eodem.

OMNIS qui se exaltat,humiliabitur: & qui se humiliat,exaltabitur.Quatuor facit Dominus in uerbis istis.Primo,hortatur ut superbię uitiũ caueamus,

caueamus,ibi.Omnis qui se exaltat.Secundo, subiungit pœnam superbientiū,ibi.Humiliabitur.Tertio, hortatur ad humilitatis meritū,ibi.Qui se humiliat. Circa primū notandū,ꝙ tribus modis exaltant se peruerse superbi. Primo,contra Deum se stulte erigendo.Iob.15.Currit aduersus dominum extento collo,& pingui ceruice armatus est, & operuit faciem eius crassitudo,& de lateribus eius a ruina descendit:& in eodem.Quid tumet contra Deum spiritus tuus,ut proferas de corde tuo huiuscemodi sermones? psalm.73.Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Secundo,inaniter sibi placendo.Aug.De ciuit.Dei.14. lib. c.13.Relicto itaque Deo esse in semetipso, hoc est sibi placere, non iam nihil esse est,sed nihilo propinquare: vnde superbi secundum scripturas sanctas alio nomine appellātur,sibi placentes.Tertio, arroganter se aliis præferendo. psalm.23.Dum superbit impius,incenditur pauper.Augu. Quid est superbia,nisi peruersus celsitudinis appetitus.De his tribus,Iob.15.Quid te eleuat cor tuum? te erigendo, ecce primum:& quasi magna cogitans, tibi placens? ecce secundum: attonitos habes oculos, ecce tertium. Circa secundum notandum,quod tripliciter superbi humiliabūtur.Primo,quia a superbia deiicientur.psalm.73.Superbia eorū qui te oderunt,ascendit semper. Secundo, quia corā omnibus creaturis confundentur.Osee. 4. Gloriā eorū in ignominiam commutabo.Idē.17.Domine, oēs qui te derelinquunt,confundentur.Hier.20.Confundētur uehemēter qui non intellexerūt opprobriū sempiternū, qđ nunquā delebitur.Et Osee.10.Cōfusio Effraim capiet, & confundetur Israel in uoluntate sua.Tertio, quia æternaliter punietur.Apo.18.Quātū glorificauit se,& in delitiis fuit, tantū date illi tormentū ꝑp glorificationē suā vanā & luctū.s. ꝑp delitias,quia in corde suo dicit. Sedeo regina, & uidua non sum,& luctū non uidebo: iō in una die uenīet plagæ eius,mors,luctus,& fames,& igne comburetur.Iob. 40.Disperge superbos in furore tuo,& respiciens oēm arrogantē humilia.In eodē.Respice cunctos superbos, & cōfunde eos,& cōtra impios in loco suo absconde eos in puluere simul,& facies eorum demerge in foueam.

L 2 Circa

Circa tertium notandũ,quia debemus tripliciter humiliari. Primo nosipsos,quod nihil sumus cognoscendo. Grego. Humilitas est sensus proprii uacuitas. Secundo, de contemptu,si quis humilis potest prædicari, si uilis reputari: siquidem facile est uelum ante oculos ponere uiles uestes habere,demisso capite incedere,sed uerum humilem patiẽtia probat iniuriæ. Tertio,debemus nos humiliare omnib. subiiciendo. 1. Pet, 3. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum,siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis ad uindictam malorum,ad laudem uero bonorum. Circa quartum notandũ, quod qui se humiliat,tripliciter Dominus eum exaltabit. Primo, cõferendo,ei iudiciariam potestatem. Matth. 19. Respondens Petrus dixit.s. Iesu. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te,quid ergo erit nobis? Iesus dixit. Amen dico uobis,quod uos qui secuti estis me.s.per uiam humilitatis & paupertatis,in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos iudicantes duodecim tribus Israel. Iob. 33. Qui humiliatus fuerit,erit in gloria:quia humilibus retribuet iudiciariam potestatem. Secundo,conferendo regiam dignitatem. 1. Re. 2. Suscitans de puluere egenum,& de stercore erigens pauperem, idest humilem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. & Iob. 36. Non auferet a iusto oculos suos:reges collocat in solio in perpetuum, & illic eriguntur qui humiliantur & deprimuntur. Tertio, conferendo gloriæ æternitatem. Prouerb. 19. Humilẽ spiritu suscipiet gloria. Iob. 5. Qui ponit humilem in sublimi, & mœrentes erigit sospitate &c.

Dominica decimaoctaua ex epistola.

GRATIAS ago Deo meo pro uobis in gratia Dei,quę data est nobis in Christo Iesu, quia in omnib. diuites facti estis in illo. 1. Cor. 1. Per hoc quod Apostolus agit gratias,quod illi diuites facti erant in illo,ostenditur quod quædam diuitiæ sunt quę sunt appetendæ. Per hoc vero quod Christus minatur diuitibus,

uitibus,uere ostenditur quod quædam diuitiæ sunt fugien dæ: unde notandum quod sunt diuitiæ temporales,& sunt diuitiæ spirituales,& sunt diuitiæ æternales. De primis,psſ. 61. Diuitiæ si affluant,noli te cor apponere. De secundis, Idem. Beatus uir qui timet Dominum: & post. Gloria & diuitiæ in domo eius. De tertiis, Prouer. 6. Mecum sunt diuitiæ.s.potiora bona,& gloria.s. ineffabilis, opes superbæ.s.excelsæ,& iustitiæ.s secundum meritum. Primæ diui tiæ.s.temporales,sunt contemnendæ maxime propter qua tuor. Primo,propter earum inutilitatem, Eccl. 5. Qui amat diuitias,fructum.s.uitæ æternæ,non capiet ex eis, sed florem in præsenti scilicet malorum Prouerb. 11. Non proderunt diuitiæ in die ultionis scilicet districtæ iræ, quasi dicat, Diuitiæ temporales non proderunt ad salutem homini in die iudicii,sed iustitia scilicet bona opera iustitiæ, liberabit a morte.s.æterna. Eccl. 5. Fili,noli attendere ad possessiones iniquas,& ne dixeris, Est mihi sufficiens uita: nihil enim proderunt in tempore uindictæ & obductionis. Nihil intulimus in hunc mundum,nihil inde auferemus. Secundo,relinquendi necessitatem,psalm. 75. Dormierunt somnum suum,& nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus suis. Iob. 20. Diuitias,quas deuorauit, euomet: & de uentre illius extrahet eas Deus. Tertio, quia ducent male possidentem ad perpetuam paupertatem Iob. 27. Nil secum auferet,aperiet oculos suos,& nihil inueniet,& apprehendet eum quasi aqua inopia. Quarto, quia contemptus earum deducet ad uitæ æternitatem, Matth. 19. Omnis qui reliquerit domum, uel fratrem, aut sororem, uel patrem,aut matrem,aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum,centuplum accipiet,& uitam æternam possidebit. Nota autem quod quatuor modis peccat homo in diuitiis. Primo,iniuste acquirendo. Pro. 28 Qui coaceruant diuitias usuris, & fœnore liberali, in pauperes congregat eas. Idem 33. Qui calumniatur pauperem, ut congreget diuitias suas,dabit ipsi ditiori scilicet mundo,& egebit. Secundo,auare possidendo. Eccl. 5. Diuitiæ seruatæ in malum,idest in periculo domini sui:pereunt enim in afflictione pessima. Tertio, male expendendo. Prouerb. 31.

Ne dederis mulieribus, ideſt corruptionibus uitiorum, ſubſtantiam ſuam,uel tuam,ſcilicet corpus & diuitias temporalium rerum:myſtice. Cumulum uirtutum ne contamines corruptionibus uitiorum. Luc.20. Adoleſcentior filius congregatis omnibus peregre profectus eſt in regionem longinquam,& ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam luxurioſe uiuendo. Quarto, in eis confidendo, & de ipſis ſuperbiendo.Prouerb.11.Qui confidit in diuitiis ſuis, corruet ſcilicet a uita æterna.glo. Qui præſentibus bonis inhians futura non cogitat,vel non attendit,in fine bonis æternis carebit. 1.Tim.1. Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere,nec ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo uiuo,qui præſtat omnia abunde ad fruendum, bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant uitam æternam, uel bonam. Diuitiæ ſpirituales ſunt ſcientiæ & uirtutes. Iſa. 33. Diuitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia, timor Domini ipſe theſaurus eius. Per timorem peccati eſt expulſio. Qui timent Deum, præparabunt corda ſua, & in cõſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas. Eccleſ. 1. Radix ſapientiæ timere Deum: nam qui ſine timore Dei eſt, non poterit iuſtificari. Ibidem. Timor Domini expellit peccatum. Per ſcientiam eſt in nobis diſcretio & honeſta conuerſatio:eſt enim ſcientia ſcire qualiter homo ſe debeat habere ad Deum,ad proximum,& ad ſeipſum. Hanc ſcientiam docet nos Deus ablactatos a lacte, auulſos ab uberibus uoluptatis & cupiditatis. Quærit Iſaias 28. per ſpiritum ſanctum Dominum dicens. Quem docebit ſcientiam,& intelligere faciet auditum? qui reſpondit. Ablactatos a lacte, auulſos ab uberibus. Mirum cum homo in his uberibus amaritudinem inueniat & ardorem, quare non ſeparatur ab eis,cum dicat Auguſt. Domine, delectationes meas reſperſiſti amaritudinibus,ut quærerem ſine amaritudine uiuere.O tu homo, ſi uis a Domino doceri,ſepara te ab iſtis uberibus, quia dicitur Sapient. 5. In maliuolam animam non introibit ſapientia: nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Per ſapientiam eſt in

nobis

nobis Dei dilectio: vnde Bernardus. Discat quantum vult, ego sapientem non dicam, dum non timebit, nec diliget Deum. Istæ diuitiæ sunt appetendæ propter tria. Primo, propter immensitatem. Sapientiæ. 7. Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. In eodem. Neminem diligit Deus, nisi qui cum sapientia inhabitat. Prouerb. 3. Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Glo. Non tantum terrenis, sed etiam cælestibus diuitiis, immo & ipsis angelorum cõspectibus charitas præfertur. Vnde non metuat de inopia quisquis opes acquisiuit sapientiæ. Secundo, propter utilitatem. Prouer. 13. Redemptio animæ uiri diuitiæ suæ: qui autem pauper est, increpationem sustinet. Matth. 26. Ite in ignem æternum: uel non sustinet. Glo. Qui uult animam suam redimere a futura ira, congreget diuitias bonorum operum: quia qui eis carebit, increpationem districti iudicis sustinere non ualebit. Pauperes ibi non increpantur, sed benedictionem hæreditatis participant. Tertio, propter dignitatem. Prouer. 14. Corona, æterna, pro uirtutibus sapientum. Diuitiæ eorum uere non est terrenum emolumẽtum, fatuitas stultorum imprudentia. Glo. Sapientes & si terrenum aliquod emolumentum pro diuitiis habent, coronã tamen tamquàm pro uirtutib. in futuro participant. Sed stultorum fatuitas maxima hæc est, quod pro inuidia æternorũ de præsentib. cõmodis gaudent. Imprudentia. n. ẽt improuidentia dicitur. Diuitiæ æternales sunt appetendæ. Primo, pp eorũ ueritatẽ; sunt. n. illæ ueræ diuitiæ. Ber. Si uere, fratres, diuites esse cupitis, ueras diuitias amate. Secundo, pp iucunditatẽ. ps. 149. Exultabunt sancti in gloria, & lætabuntur in cubilib' suis. Isa. 3. Regem in decore suo uidebunt. Tertio, pp æternitatem. Sap. 5. Iusti autem in perpetuum uiuent. Luc. 1. Et regni eius non erit finis. Matth. 6. Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. Per has tres species æruginem, tineam, & fures ostendit Dominus nihil tutum esse in terra in possessionibus diuitiarum. Quædã enim sunt quæ ærugo deuorat,

 sicut

ſicut aurum,& argentum,& cætera metalla. Alia ſunt quę nec ærugo,ſed tinea corrodit & comedit, ut ueſtes ſericas & pretioſas. Alia uero quæ nec ærugo, nec tinea comedũt, ſed fures furantur,& effodiunt,ut gemmas & lapides pretioſos:proinde incerta eſt omnis uitæ noſtræ ſubſtantia,& omnium rerum poſſeſſio. Suadet nos Dominus in cælum theſaurizare dicens. Theſaurizate uobis theſauros in cælo,ubi nec ærugo,nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt,nec furantur. Quomodo autem quis in cælo theſaurizare poſſit, niſi diuitias ante ſæculares faciendo, pręmittat? Poſſumus per æruginem, tineam, & fures,ſpirituales nequitias intelligere. Ærugo enim ſuperbiam demonſtrat. Superbia enim mentes quas inuaſerit, a ſtatu ſuæ rectitudinis deperire facit. Ærugo enim ſemper in aperto ſe demonſtrat: ſic & ſuperbia ſemper expandit ramos ad humanam laudem. Per tineam inuidia deſignatur: ſemper enim ſicut tinea quæ inuaſerit corrumpit,& ab omni integritate dirumpit. Per fures maligni ſpiritus intelliguntur,qui ad hoc uigilant,ut theſauros animæ effodiãt, & furentur. In cælo enim ærugo non eſt,quia in cælo ſuperbia locum non habet, quia diabolus cum ſuis ſequacibus iam inde deiectus eſt. Ibi tinea non eſt,ideſt inuidia, quia nullus inuidebit alterius beatitudini: ibi non ſunt fures, ideſt dæmones, quia cum capite inde corruerunt. Chryſ. Vnus ſolus fur eſt qui furatur theſaurum poſitum in cælis.ſ.inanis gloria.

De eadem ex euangelio.

DIXIT Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Matth.22. In iſtis uerbis tria notantur. Primo, Domini noſtri Ieſu Chriſti diuinitas,ibi. Dixit Dominus Domino meo. Dicere.n. Dei fuit generare ſibi filium coæqualem, non ſecundum quod de Dauid natus fuit,ſed ſecundum quod de patre ſemper fuit. Secundo,magna ipſius ſecundum humanam naturã dignitas,ibi. Sede a dextris meis.i.regna in potiorib. bonis meis.

meis. Tertio, Dei potentia & iustitia, ibi. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Hoc enim pertinet ad iustitiam & potentiam Dei, ut puniat omnes inimicos Christi. Nota autem quod septem faciet Dominus cōtra inimicos: vnde stulti sunt qui uolunt esse inimici eius, & qui sunt, qui non reconciliantur ei. Primo, contra eos cum toto mundo pugnabit. psalm. 109. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. glo. Donec subiiciā uolentes, & nolentes. Tertio, suum furorem eis demonstrabit. Naum. 1. Vltiones Domini in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis. Quarto, eos sæuissime iudicabit. Deute. 33. Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. Quinto, tenebris infernalibus excæcabit eos. Naum. 5. Inimicos eius persequentur tenebræ. Sexto, æternum eis supplicium dabit. psalm. 77. Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternū dedit illis. Septimo, eos æternæ morti destinabit. Philip. 3. Nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus. Luc. 19. Veruntamē illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. Sunt autem inimici Christi omnes qui nolunt parere eius imperiis. August. in lib. de ciuit. Dei. 12. Dicuntur autem inimici Dei qui non natura, sed uitiis aduersantur eius imperiis, nihil ualentes ei nocere: sed sibi inimici sunt resistendi uoluntate, non potentia lædendi: quanquam qui sit inimicus, potest fieri amicus eius, si confugiat ad sanguinem Christi. Rom. 5. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius, multo magis reconciliati salui erimus in uita ipsius, Ad quam nos perducat &c.

Dominica decimanona ex epistola.

NOLITE locū dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti, Ephe. 4 Nota quod

Apoſtolus in iſta epiſtola tria facit. Primo, monet fideles ne in corde ſuo locum diabolo faciant, ibi. Nolite locum dare diabolo. Secundo, monet nos cauere ab illis qui locum diabolo præparant, ibi. Qui furabatur, iam non furetur. Tertio, monet eos facere propter quod diabolus fugiat, ibi. Magis autem laboret &c. Circa primum nota, quòd propter quatuor non debemus facere locum diabolo. Primo, quia ſerpens eſt uolens animam, quæ eum ſuſcipit, ueneno malitiæ, uenenare. Apocal. 12. Proiectus eſt draco iſte magnus antiquus ſerpens, qui uocatur diabolus, & ſatanas qui ſeducit uniuerſum orbem proiectus in terram, & angeli eius miſſi ſunt in terram. Secundo, quia eſt leo quærens animas deuorare. 1.Pet.5. Fratres, ſobrii eſtote, & uigilate, quia aduerſarius ueſter diabolus tamquàm leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Tertio, quia eſt inuidus malum ſuo hoſpiti ordinando. Eccleſ.3. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum: imitantur illam qui ſunt ex parte eius. Quarto, quia eſt accuſator, ſemper ſuos hoſpites accuſando. Apocal.12. Proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte. Quintò, quia eſt fur, omnia bona gratiæ ſuo hoſpiti furando. Luc.8. Inde uenit diabolus, & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant. Sexto, quia eſt homicida, hoſpites ſuos morte perpetua iugulando. Ioan.8. Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris ueſtri uultis facere: ille homicida erat ab initio, & in ueritate non ſtetit, quia non eſt in eo ueritas. Septimo, quia qui facit huiuſmodi locum diabolo, locum habebit cum diabolo in inferno. Matth. 25. Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Patet ergo quòd in multis plus ſtulti ſunt, qui locum diabolo faciunt in corde ſuo, quam qui reciperent ſerpentem, leonem, furem, homicidam in domo ſua. Circa ſecundum nota, quòd a ſeptem peccatis præcipit nos Apoſtolus abſtinere in iſta epiſtola, quæ in corde hominis locum diabolo faciunt. Primo a furto, ibi. Qui furabatur, iam non furetur.

Secundo,

Secundo, a ſermone malo, ibi. Omnis ſermo malus ex ore ueſtro non procedat. Tertio a triſtitia, ibi. Omnis amaritudo. Quarto ab ira, ibi. Et ira. Quinto, ab indignatione, ibi. Et indignatio. Sexto, a contentione, ibi. Et clamor. Septimo, a blaſphemia. Auguſt. Blaſphemia eſt per quam de Deo falſa dicuntur: & ideo peius eſt blaſphemia quàm peccare periurando, quia periurando falſarie adhibetur teſtis: blaſphemando falſa dicuntur de ipſo Deo. Et ab omni malitia, ibi. Blaſphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Circa tertium notandum, quòd ſimiliter ad ſeptem hortatur nos Apoſtolus in iſta epiſtola, quæ diabolum ab anima fugant. Primo, ad mentis renouationem, ibi. Renouamini ſpiritu mentis ueſtræ. Debemus autem quinque modis renouari. Primo, ſicut aquila roſtrum malæ linguæ deponendo: vnde ibidem. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra. pſalm. 102. Renouabitur ut aquilæ iuuentus tua. Secundo, ſicut ceruus cornua ſuperbiæ deponendo. pſalm. 41. Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, dicit ibi gloſ. Ceruus eſt grauatus excellentibus pilis atque cornibus, ſerpentem naribus attrahit, ſiue haurit, quo hauſto ueneno æſtuat, vnde fontem ardentiſſime deſiderat, quo hauſto cornua & pilos deponit. Iſa. 55. Omnes ſitientes uenite ad aquas. Tertio, ſicut accipiter plumas uirtutum per gratiam Sancti ſpiritus aſſumendo. Iob. 38. Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandit alas ſuas ad auſtrum? Quarto, ſicut ſerpens corium ueſtuſtæ conuerſationis exuendo. Col. 3. Expoliantes uos veterem hominem cum actibus ſuis, & induite nouum eum qui renouatur in agnitionem Dei ſecundum imaginem eius qui creauit eum. Quinto, ſicut aurum, uel argentum rubiginem mali amoris auferendo. Iob. 23. Ipſe uero ſcit viam meam, & probabit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit. Secundo, monet ad honeſtum laborem, ibi. Magis autem laboret. Tertio, ad eleemoſynarum elargitionem, ibi. Vt habeat vnde tribuat neceſſitatem

patienti.

patienti. Quarto, monet loqui quæ sunt ad ædificationem fidei, ibi. Vt det gratiam audientibus. Quinto, ad benignitatis ostensionem, ibi. Estote autem inuicem benigni. Sexto, ad misericordiæ exhibitionem, ibi. Misericordes. Septimo, ad mutuam iniuriarum dimissionem, ibi. Donantes inuicem, sicut & Christus donauit uobis.

De eadem ex euangelio.

ASCENDENS Iesus in nauiculam transfretauit, & uenit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum in lecto, & uidens Iesus fidem illorum, dixit paralytico. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua &c. Matth. 9. Allegorice ciuitas ista est ciuitas cælestis. psalm. 86. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Ad hanc ciuitatem uenit, qui ascendit nauiculam, idest sanctam uitam, & trans mare huius mundi. Ascēdens Iesus in nauiculam transfretauit, & uenit in ciuitatem suam, Matth. 9. Moraliter nauicula ista significat uitæ sanctitatem propter tria. Primo, ratione materiæ: secundo, ratione formæ: tertio, ratione finis. Quære in tertia Dominica post octauas Epiphaniæ. Debet autem quilibet ad istā ciuitatem festinare. Primo, propter securitatem: secundo, propter amœnitatem: tertio, propter copiositatem. Circa primum nota, quod est securitas in ciuitate cælesti propter tria. Primo, quia cælis solidissimis tamquàm firmissimis cō lumnis communitur. psalm. 50. Benedictus Deus, quia mirificauit misericordiam suam in ciuitate munita. Secundo, quia ibi nullus malus qui securitatem & pacem eius perturbet, inuenitur. psalm. 72. Domine, in uirtute tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Tertio, quia æternitate stabilitur. psalm. 47. Sicut audiuimus, sic uidimus in ciuitate Domini uirtutum, in ciuitate Dei nostri, Deus fundauit eam in æternum. Heb. 11. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus.

Circa secundum notandum, quod amœnitas ciuitatis consurgit ex tribus. Primo, quia pulcherrimis mœniis decoratur. Prouerb. 9. Misit ancillas suas scilicet infirmos prædi-

prædicatores, & despicabiles elegit ut uocarent qui suo uerbo & exemplo fideles populos ad arcem suam & ad mœnia ciuitatis ad superna cęlestis patriæ ædificia colligerent, Secundo, quia continuo lumine illustratur. Apocal. 21. Et ciuitas non eget sole, neque luna ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus, & ambulabunt gentes in lumine eius. Tertio, quia mirabilis temperies sine æstu & frigore semper continuatur, Apoca. 4. Non cadet super eos sol, nec ullus æstus, quoniam agnus qui in medio eorum est, reget illos, & adducet illos ad uitæ fontes, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. psalm. 65. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

Circa tertium notandum, quod ibi erit copiositas omnium bonorum, idest omnium gaudiorum. Isa. 33. Oculi tui uidebunt Hierusalem ciuitatem habitationem opulentam. Consurgent autem in gaudia ex tribus. Primo, ex diuinæ speciositatis uisione. Isa. 33. Regem in decore suo uidebunt. Secundo, ex pulchritudine & bonitate angelicæ societatis, qui sunt ciues eius. Hebr. 12. Accessistis ad montem. Sion, & ciuitatem Dei uiuentis Hierusalem cælestem, & ad multorum millium angelorum frequentiam, & ad ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cælis, & ad iudicem omnium Deum, & spiritum iustorum perfectorum. Tertio, ex continuatione æternæ solemnitatis. Isa. 33. Respice Sion ciuitatem solemnitatis uestræ. Celebrant enim qui sunt in ista ciuitate continuum festum, qui nihil aliud faciunt nisi quiescere, uidere, amare, laudare, cantare, quæ conueniunt festo. Augu. in libro de ciuitate Dei. Si quæratur quod est opus illius ciuitatis, dicimus, quod ibi uacabimus, & uidebimus, & amabimus, & laudabimus, & cantabimus. Nam quis alius erit noster finis nisi uenire ad regnum, cuius non erit finis? Ad quod nos perducat Dominus omnipotens.

Dominica

Dominica vigesima ex epistola.

VIDETE quomodo caute ambuletis, Ephes. 5. Apostolus in ista epistola admonet nos ad cautelam ambulandi, & ponit tria circa ipsam cautelam. Primo, ut ambulemus discrete, ibi. Non quasi insipientes. Secundo expedite, ibi. Nolite inebriari uino. Tertio humiliter, ibi. Gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini Iesu Christi. Circa primum ostendit discretionem ambulandi in tribus. Primo, in electione operandorum, ibi. Sed ut sapientes. Secundo, in comparatione electorum, ibi. Redimentes tempus, Tertio, in inclinatione ad debitum finem, ibi. Intelligentes quæ sit uoluntas Dei. Circa secundum ostendit expeditionem ambulationis esse in duobus. Primo, in timore impedimenti, ibi. Nolite inebriari uino. Secundo, in habitatione ad melius, ibi. Sed adimpleamini Spiritusancto. Circa tertium ostendit humilitatem ambulationis spiritualis esse in duobus. Primo, in comparatione ad Deum, ibi. Gratias agentes. Secundo, in comparatione ad proximum, ibi. Subiecti inuicem in timore Christi. Videte quomodo caute ambuletis. Monet Apostolus in uerbis istis, scilicet ut caute ambulemus in uia iustitiæ propter quatuor. Primo, quia ambulamus in medio laqueorum. Eccles. 9. Ingredieris, & super dolentiũ arma ambulabis. Secundo, quia ambulamus in medio latronum. Osee. 6. Quasi fauces uirorum latronum particeps sacerdotum in uia interficientium pergentes de Sichẽ. Iob. 19. Simul uenerunt latrones eius, & fecerunt sibi uiam per me. Tertio, quia ambulamus in medio fouearum. Gen. 19. Vallis syluestris habebat puteos multos bituminis. Isa. 24. Formido, & fouea, & laqueus super te qui habitator es terræ: & erit, qui fugerit a facie formidinis, cadet in foueam: & qui se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo. Circa primum nota, quod ambulamus in medio trium laqueorũ. Primus laqueus est superborum iniquitas. psalm. 139. In uia hac quam ambulabam, absconderunt superbi laqueũ mihi.

mihi. Secundus auarorum cupiditas. 2. ad Tim. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueũ d : boli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix omnium malorum est cupiditas. Tertius est detractorum peruersitas. Eccles. 51. Liberasti corpus meum a perditione, & a laqueo linguæ iniquæ, & a labiis operantium iniquitatem. Circa secundum nota, quod similiter ambulamus in medio trium latronum. Primus est diabolus: vnde Ioan. 10. Fur non uenit nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Secundus est adulator. Osee. 7. Fur ingressus est spolians, latrunculus foris: fures intrinseci sunt adulatores extranei. Tertius est uana gloria. Grego. Quasi quidam latrunculus adiungit se in uia fauor humanus, & incautos quos reperit, spoliat. Igitur expoliari desiderat, qui thesaurum publice in uia portat. Idem. Quasi latrunculus quippe est appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere iungitur, ut ex occultis educto gladio gradientium uita trucidetur. Chrys. Vnus solus fur est qui furatur thesaurum positũ in cęlis, uana gloria. Dæmones furantur animas, adulatores puritatem cõscientiæ, uana gloria mercedem æternæ gloriæ. Circa tertium nota, quòd ambulamus similiter in medio triũ fouearum. Prima est mulier, uel luxuria. Prou. 23. Fouea, idest, peccatum luxuriæ, profunda inferi, os alienæ, uerba & oscula meretricis, cui iratus est Dominus incidet in eam, scilicet iræ filius. Glos. Qui uerba, vel oscula meretricis amplectitur, quasi ianuam abyssi pulsat, & nisi pedes retrahat, membra cohibens, in foueam pænalem cadet, in qua nullus nisi filius iræ illabitur. Secunda gula & ebriositas. Prou. 23. Cui. s. instant foueæ? scilicet uitiorum, cui sine causa. s. ferri vulnera? cui suffussio oculorũ. i. amissio luminis? Nonne his qui cõmorantur in uino, & student calicibus epotandis? Tertia hypocritarũ, & maleficorũ dolositas. Isa. 34. Foueam habuit ericius, qui significat duplices, qui abscondunt intentiones sub spinis duplicitatis. Matth. 8. Vulpes foueas habent &c. Propter periculum laqueorum debemus ambulare caute semper ad Domi-

num:

numquoniam ipse euellet de laqueo pedes meos, August. Resisto seductionibus, ut non implicentur pedes mei, quibus ingredior uiam tuam: & erigo ad te inuisibiles oculos, ut tu euellas de laqueo pedes meos. Proinde tu euellas eos nam si illaqueantur, tu non cessas euellere, ego autem curro ubique sparsis insidiis. Propter periculum latronum debemus ambulare caute spiritualibus armati armis gradiendo. Eph. 6. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo. Propter periculum fouearum debemus ambulare caute, semper cum grauitate & luce gratiae incedendo. Ro. 13. Sicut in die honeste ambulemus.

De eadem ex euangelio.

MISSIS exercitibus suis perdidit homicidas illos, Matth. 22. In istis uerbis parabolice loquitur Deus de perditione impiorum, quae futura est in iudicio. Et nota hic tria. Primo, magna Dei potentia, ibi. Missis exercitibus. Secundo, seuera ipsius iustitia, ibi. Perdidit homicidas. Tertio, peruersa reproborum malitia, ibi. Homicidas illos. Circa primum nota, quòd magnos exercitus mittet Deus in die iudicii ad perdendum malos. Primus exercitus angelorum. Matth. 13. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Secundus erit exercitus sanctorum, Isa. 3. Deus ad iudicium ueniet cum senioribus populi sui, & principibus eius. Tertius erit exercitus omnium creaturarum. Sapien. 5. Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Circa secundum nota quòd Deus perdet malos tripliciter. Primo uelociter, quia subita erit eorum perditio. Deut. 38. Mittet Deus super te famem, & esuriem, & increpationem in omnia opera tua, quae facies donec conterat te, & perdat uelociter propter adinuentiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me. 1. Thess. 5. Cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus

eritis & non effugient. Secundo, perdet vniuersaliter, quia nullus malus euadet. psal. 72. Perdes omnes qui fornicantur abs te. Luc. 17. Et dabantur ad nuptias vsque in diem qua intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. Similiter sicut factū est in diebus Lot, edebant & bibebāt emebāt & vendebāt plantabant & ædificabāt: qua die autem Lot exiit a Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit: secūdum hoc erit in die qua filius hominis reuelabitur. Tertio, perdet æternaliter. Matth. 10. Eū timere qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Circa tertium nota, quòd Deus perdet malos Matth. 21. Malos male perdet. Item, perdet mendaces. psal. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Item, perdet homicidas, vt hic. Perdidit homicidas illos. Propterea hic tria notātur peccata. s. peccatum cordis in malitia, peccatum oris in mendacio, peccatum operis in homicidio: omnes. n. qui peccant corde, vel ore, vel opere, nisi pæniteant, perdunt a Domino in æternum, & ad diem furoris adducētur, A qua nos liberet Dominus omnipotens, Amen.

Dominica vigesimaprima ex epistola.

ACcipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare, Eph. 6. Tria facit Apostol⁹ in verbis istis. Primo, monet vt armis spiritualibus nos armemus, ibi. Accipite armaturam Dei. Secundo, probat quòd indigemus, ibi. Vt possitis resistere in die malo. Tertio ponit, Et in omnibus perfecti stare. Circa primum nota, quòd quinque arma debemus accipere, quæ ponit Apostolus in ista epistola. Primum, debemus accipere baltheum cōscientię, ibi. State succincti lumbos vestros. Iob. 40. Accinge sicut vir lumbos tuos. Secundo, debemus indui loricam iustitiæ, ibi. Loricam iustitiæ. Isa. 59. Indutus est iustitia, vt lorica. Tertio, debemus assumere scutum fidei. psal. 90. Scuto circundabit te veritas eius, non timebis a timore nocturno. 2. Petri. 5 Aduersarius vester diabolus tanquàm leo rugiens cir

cuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fidem. Quarto, galeam spei, ibi. Galeam salutis assumite. 1. Thessal. 5. Induti loricam fidei & charitatis, & galeam spē salutis, quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis. Quinto, glaudium uerbi Dei, ibi. Gladium spiritus, quod est uerbum Dei, Heb.4. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabili, est omni gladio ancipiti. Circa secundum nota, quòd quinque sunt dies mali, a quibus defendunt nos arma illa. Prima dies mala est ipiquitas. Eccles.7. In die bona, scilicet in præsenti, qua mereri potes vitam æternam, fruere bonis, scilicet operibus virtutum: & malam diem præcaue, scilicet futuram, in qua nulla datur boni operis facultas. Secunda, temporalis prosperitas. Hiere. 1. Ecce ego non sum turbatus te pastorem sequens: & diem hominis non desiderauit, tu scis. Quod egressum est de labiis meis rectum fuit in conspectu tuo. psal. 40. In die mala liberabit eum Dominus. Tertia, temporalis aduersitas Matth. 6. Sufficit diei malitia sua. Quarta, est tentatio diabolica. psalm.48. Cur timebo in die mala, idest, in die tentationis? Quinta, est dies iudicii. Amos, 6. Qui separati estis in diem malam, & appropinquatis solio iniquitatis. Erit autem dies illa mala malis propter undecim, quæ tangit Sophonias. cap. 1. in vna authoritate. Primo, dies illa dies iræ, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas, & super angulos excelsos, & tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt: effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora. Circa tertium nota, quòd in tribus debemus perfecti stare. Primo, in cordis & corporis munditia. 2. Corinth. 6. Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei. Secundo, in mandatorum Dei obseruatione. Iac. 2. Si tamen legem perficitis recta secundum scripturam, Diliges proximum sicut te ipsum, benefacitis:

benefacitis: si autem personas accipitis, peccatum operamini redarguti a lege quasi transgressores. Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit & Non occides, quod si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis. Tertio, in linguæ reformatione. Iaco. 3. Si quis in uerbo non offendit, hic perfectus est vir. Quarto, in Dei & proximi dilectione. 1. Io. 4 Perfecta charitas foras mittit timorem. Matth. 5. Ego autem dico vobis. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt uos, & orate pro persequentibus & calumniantibus uos, vt sitis filii patris vestri qui in cælis est: & post. Estote ergo & vos perfecti, sicut pater vester perfectus est. Quinto in laude Dei, & gratiarum actione. psalm. 8. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, Ad quam laudem nos perducat qui est benedictus in sæcula, Amen.

De eadem ex euangelio.

HERI hora septima reliquit eum febris, Ioan. 5. Moraliter duo notantur in verbis istis. Primo, peccatoris infirmitas, scilicet febris, ibi. Febris. Secundo, quot sint ad curationem ipsius necessaria, ibi. Hora septima reliquit eum febris. Circa primum nota, quòd peccatores laborant septem febribus. Prima, est continua, quæ est luxuria. Osee. 4. Fornicati sunt, & non cessauerunt, quoniam Deũ dereliquerunt in non custodiendo. Secunda, quotidiana, quæ est gula in qua quotidie peccatur. Isa. 56. Comedamus & bibamus, & erit sicut in die, sic & cras multo amplius. Tertia, laborat tertiana, quæ significat iracundiam ex accessione caloris. Ecclesi. 38. Secundum enim ligna sylue, sic exardescet ignis, secundum virtutem suam exaltabit iram suam. Quarta, febris quartana, quæ significat accidiam quæ prouenit ex melencholia. Prouer. 25. Sicut tinea

vestiméto & vermis ligno:ita tristitia viri nocet cordi. Deuter.28.Percutiat te Domin^e egestate,febri & frigore,ardore, æstu,& aere corrupto,ac rubigine. Quinta ethica,quæ est auaritia,quæ difficile,vel numquam curatur.Hieron.Cum cætera vitia senescant in homine, sola auaritia iuuenescit. Sexta ephimera,quæ est superbia,quia cito deficit.psal. 72. Deiecisti eos dum alleuarentur.Iob.24.Eleuati sunt ad modicum,& non subsistent,& humiliabuntur sicut omnia, & auferentur,& sicut summitates spicarum conterentur. Septima putrida,quæ est inuidia.Prou.14. Vita carnis,sanitas cordis: putredo ossium inuidia. Circa secundum nota q̄ septem sunt, quæ sanant hominem ab istis septem febrib^9, sicut ex textu colligitur.Prima est deuota Dei auditio.psa. 106.Misit verbum suũ,& sanauit eos Sap.16.Etenim nec herba,nec malagma sanauit illos, sed sermo tuus Domine omnipotens,qui sanat omnia,tu ex qui vitæ & mortis habes potestatem,& deducis ad portas mortis & reducis.Secũda est peccati contritio.psal.50.Quoniam iniquitatẽ meam ego congnosco.Tertia,deuota ad Deum exclamatio. ps.29. Deus meus clamaui ad te,& sanasti me. Quarta est fidei infusio. Luc.7. Dixit autem Dominus ad mulierem. Fides tua te saluam fecit,vade in pace. Quinta est misericordiæ exhibitio. Isa.58.Cum videris nudum,operi eũ, & carnem tuam ne despexeris.Et tunc erũpet quasi mane lumen tuum,& sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Dei colliget te.Sexta peccati desertio. Isa.26.Si reuertamini &quiescatis,salui eritis.Septima perfecta cordis cõtritio, & plena hominis ad Deum cõuersio. psal.146.Qui sanat contritos cordes.Hiere.3. Conuertimini filii reuertentes & sanabo auersiones vestras. Idem in eodem.Vere in domino Deo nostro salus Israel. Hæc est septima hora, in qua febris omnino derelinquit peccatorem.Hæc autem omnia nullam habent efficaciam, nisi sumant effectum ab illa sancta medicina,quæ sanat omnes lãgores nostros,idest,a passione Christi Dei nostri.1. Petri.2. Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, cuius liuore sanati sumus.

Dominica uigesimasecunda ex epistola.

VT sitis synceri,& sine offensa in die Christi, Philip.1.Ad tria hortatur nos Apostolus in ista epistola.Primo,ad mali vitationem,ibi.Vt sitis sinceri.Secundo,ad omnem dilectionem, ibi. Repleti fructu iustitiæ. Tertio, ad rectam intentionem, ibi. In laudem & gloriam Dei. Circa primum tria facit. Primo,monet ad acquirendam mentis munditiam,ibi.Vt sitis synceri.Matth.5.Beati mundo corde. Secundo,ad vitãdam proximi iniuriam,ibi.Sine offensa.2. Cor.6. Nemini dantes ullam offensionem.Tertio,ad habendum in vtroq; perseuerantiam,ibi.In die Christi, idest, vsque post mortem: quia tunc finitur dies hominis,& incipit dies Christi.Mat.10.Qui perseuerauerit usque in finem,hic saluus erit.Hoc tangit glosa in verbo,syncere,idest,sine operibus corruptionis quo ad nos, & quantum ad proximos sine offensa, & hic perseuerauerit vsque ad diem Christi. Circa secundũ similiter tria facit. Primo, monet ad mentis rectificationẽ, ibi.Iustitiæ.Anselmus Iustitia est rectitudo voluntatis seruata propter se.Secundo, ad habendam in bono delectationẽm,ibi.Fructus autem spiritus sunt pax,gaudium, longanimitas,bonitas,benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia,castitas. Tertio, ad habendam in bono perfectionem,ibi. Repleti. Matth. 5. Estote ergo vos perfecti,sicut pater vester cælestis perfectus est. Circa tertium similiter tria facit. Tripliciter enim debemus in qualibet actione dirigere oculum intentionis ad Deum. Primo,vt omnia bona tamquàm a fonte omnis boni venire ab eo credamus per Iesum Christum Ioan.1.Et de plenitudine eius nos omnes accepimus,gratiam pro gratia:quia lex per Moysen data est,gratia & veritas per Iesum Christum facta est.Ioã.15. Sine me nihil potestis facere. Secundo, vt Deum in nostra actione laudari & honorari faciamus, ibi. In laudem Dei Matth.5.Sic luceat lux uestra coram hominibus, vt videãt opera uestra bona,& glorificent patrem vestrum qui in cælis est Tertio, vt æternam gloriam in præmium nobis dari pro opere appetamus,ibi.Per gloriam Dei.Matth.6. Nolite

thesaurizare uobis thesauros in terra, ubi erugo & tinea demolitur, & fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autẽ uobis thesauros in cælis, ubi nec tinea, nec ærugo demolitur, nec fures effodiunt, nec furantur.

De eadem ex euangelio.

SIMILE est regnum cælorum homini qui voluit rationem ponere cum seruis suis, Matth. 20. Hęc ratio fiet in die iudicii circa quam debet homo tria cogitare quotidie. Primo, reddendi rationẽ difficultatem. Secundo, testium qui adducentur, veritatem. Tertio, sententiæ contra eos, qui malam rationem reddiderunt, seueritatem. *Quære supra in Dominica decima.*

De eodem.

IRATVS Dominus eius tradidit eum tortoribus, quousque redderet vniuersum debitum, Matth. 18. Moraliter per seruum istum intelligitur peccator quilibet, cui irascetur Deus in iudicio, & tradet eum æternis tormentis. Vnde nota tria in uerbis istis. Primo, iusta Dei contra reprobos indignatio, ibi. Iratus Deus. Secundo, dura peccatorum damnatio, ibi. Tradidit eum tortoribus. Tertio, eiusdem damnationis duratio, ibi. Quousque redderet vniuersum debitum. Circa primum nota, quòd quatuor sunt genera hominum, quibus irascetur Deus in iudicio. Primo, contra eos qui legem Dei spernunt. Isa. 5. Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israel blasphemauerunt: ideo iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eos, & turbati sunt montes, & facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum. Secundo irascetur contra eos, qui in peccatis vsque in finem perdurant, vel persistunt. Isa. 64 Ecce tu iratus es, & peccauimus, & in ipsis fuimus semper, & saluabimur. Tertio, contra

eos

eos qui temporalibus diuitiis abutuntur. Zach. 1. Ego irascar super gentes opulentas. Quarto, contra eos qui proximis non compatiuntur. Iac 2. Iudicium sine misericordia fiet illi, qui noluit facere misericordiam: superexaltat autem misericordia iudicium. Hoc potest intelligi in isto seruo, qui noluit misereri conserui sui. Circa secundum nota quòd peccator a quatuor tortoribus torquebitur. Primo, a Deo. Mat. 8. Et cum venisset transfretũ in regionẽ Gerasenorum, occurreruut ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam, & ecce clamauerunt dicentes. Quid nobis & tibi fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascentium. Secundo, a conscientia. Augustinus. Iussisti Domine, & ita est, vt pœna sua sit sibi omnis inordinatus animus. Tertio, a morte æterna. Sapien. 3. Non tanget illos tormentum mortis, & dicitur de sanctis. Luc. 16. Rogo te pater vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis ne ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Quarto, ab omni creatura. Sapien. 16. Creatura tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos, & leuior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt. Circa tertũ nota, ꝙ debent reddere quadruplex debitum, ſm quatuor quæ dedit nobis. Primo, dedit nobis mũdũ cum creaturis. psalm. 8. Oia subiecisti sub pedibus eius. Secũdo, corpus cum sensibus. Tertio, animã cũ viribus. De his duobus, Gene. 2. Formauit Deus hominem de limo terræ, quo ad corpus: & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, quo ad animam. Quarto, gratiam cum virtutibus. Heb. 13 Iam regnum immobile suscipiẽtes, habemus gratiam, per quam saluamur placentes Deo cum metu & reuerentia. Etenim Deus noster ignis consumens est. De mundo debemus ei reddere eleemosynam, pauperibus subueniendo. Ecclesiast. 4. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacifice in mãsuetudine. Idem, Fili, eleemosynã pauperibus ne fraudes, & oculos tuos ne transuertas a paupere

animam esurientem ne despexeris,& ne exasperes pauperẽ in inopia sua. Idem. Cor inopis ne afflixeris , & ne protrahas datum angustianti . Idem . Ab inope ne auertas oculos propter iram:& ne relinquas quærentibus tibi retro maledicere.Maledicentis enim in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius:exaudiet autem eum qui fecit illum. Idem.Congregationi pauperum affabilem te facito,& presbytero humilia animam tuam . Glo. In his autem commendatur mansuetudo & humilitas,quia mansuetudo neminem spernit:humilitas omnibus se subiicit . Docet autẽ christianum æqualibus & inferioribus affabilem se facere & humilem . psalm. 130. Domine , non est exaltatum cor meum. De corpore debemus ei reddere , ipsum immaculatum restituendo.Sapien.10 Repetitur animæ debitum quam habebat . Gratiam debemus ei reddere, cum ipsa ad honorem eius vtiliter laborando. 2. Cor.6. Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis . Qui ista debita non reddiderit , hic numquàm poterit ei reddere in æternum : & idcirco in loco tormentorum tormenta patietur in sæcula sæculorum , A quibus nos liberet Dominus.

Dominica vigesimatertia ex epistola.

NOSTRA autem conuersatio in cælis est , Philp. 3.Apostolus in verbis istis docet quòd conuersatio iustorum est in cælis: & propter hoc si volumus esse similes eius , non debemus conuersari in istis miseriis,sed in cælis. Conuersantur autem sancti in cælis propter tria. Primo,propter securitatem: qui enim cõuersatur in cælis , est securus a periculis huius erumnosæ vitæ. Iob. 7. Libera me , & pone me iuxta te , & cuius uis manus pugnet contra me . Augustinus . Qui intrat in gaudium Domini sui , & securus est , & habebit se optime , & in optimo. Secundo , propter iucunditatem. Qui cõuersabitur in cælis,habebit quasi continuũ gaudium & lætitiam. Sap.8. Non enim habet amaritudinẽ conuersatio

conuersatio illius, neque tædium conuictus illius, sed læti tiam & gaudium. Seneca. Animus sapientis est quasi mundus supra lunã: semper enim in serenitate est. Tertio, propter mundanorum omnium transeuntium necessitatem: sciunt sancti omnia mundana hic cito transitura. 2. Pet. 3. Adueniet autem dies Domini vt fur, in quo cęli magno impetu transibunt, elementa calore soluentur, & terra & omnia quæ in ipsa sunt, exurentur. Cum hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet nos esse in sanctis cõuersationibus, expectantes & properantes in aduentum Dei, propter quẽ cæli soluentur, & eleementa ignis ardore tabescent? Nouos vero cælos, & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia inhabitat. Conuersantur autẽ sancti in cælo tripliciter. Primo, semper de bonis cæli cogitãdo. Secundo, in cælo semper debent esse desiderãdo. De his duobus. Iste sanctus digne in memoriam vertitur hominũ, qui ad gaudia transit angelorum: quoniam in hac peregrinatione solo corpore constitutus, in illa cælesti patria conuersatus est. Tertio, conuersantur sancti in cælo, secundum mores cæli viuendo. Glo. ibi. Nostra cõuersatio in cælis est: & si viuimus in terris, est in cælis conuersatio nostra, quia ibi est spes nostra: quia viuendo & intelligẽdo sumus similes angelis. Est autem in tribus conuersatio sanctorum similis conuersationi angelorum. Primo, in puritate: secundo, in simplicitate sine dolo: tertio, in charitate. Hæc tria maxime sunt in angelis, simplicitas in essentia, puritas in natura, charitas in gratia. In tribus est conuersatio sanctorum. 2. Cor. 1. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: quia in simplicitate & synceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo &c.

De eadem ex euangelio.

MAGISTER, scimus quia verax es, & viã Dei in veritate doces &c. Matth. 22. In tribus commẽdatur Dominus Iesus Christus in verbis istis.

Primo,

Primo, a magisterii dignitate, ibi. Magister. Secundò, a doctrinæ vtilitate, ibi. Et viam Dei. Tertio, a docendi æquitate, ibi. Non enim accipis personas hominum. Circa primũ nota, quòd propter quatuor conuenit ei dignitas magisterii. Primo, quia veritas apud eum solum semper consistit. Io. 13. Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Secundo, propter docendi potestatem. Marci. 13. Sabbathis ĩgressus Iesus ĩ synagogas docebat eos, & stupebãt super doctrina eius: erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut scribæ & pharisæi. Tertio, quia solus potest docere de omnibus. 1. Io. 2. Vnctio eius docet nos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Nullus est enim magister, qui possit docere de omnibus, nisi dominus Iesus Christus. Eccl. 1. Omnis sapientia a domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum. Quarto, quia solus potest docere interius. Matth. 23. Non vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus. glo. idest, quia solus dat intellectum. Circa secundũ nota, quòd quatuor vias valde vtiles docuit nos dominus Iesus Christus. Primo, viam pænitentiæ. Matth. 6. Intrate per angustam portã, quia lata porta, & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Matth. 4. Cœpit Iesus prædicare. Agite pænitentiam, appropinquabit enim regnum cælorum. Secundo, viam sapientiæ. Prou. 4. Viam sapientiæ monstrabo ibi, ducam te per semitas æquitatis, idest, consilia, quas cũ ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens nõ habebis offendiculum. Tene disciplinam, ne dimittas eam. Interlinearis, vt mali qui medio cursu offendũt. Glo. Actiones æquitatis cum inchoantur, arctæ videntur, sed cũ profectum capiunt, iam ex consuetudine spatiosæ videntur: & quia in praua actione desudant, offendiculum in medio cursu reperiunt, quia ex templo dum non præuident, rapiũtur ad pœnam. Tertio, uiam obedientiæ. psal. 37. Viam iustificationum instrue me. Quarto, viam charitatis mutuæ. Io. 13. Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. In hoc cognoscent, quia mei estis discipuli, si

dilectionem

dilectionem habueritis ad inuicem. 1. Cor. 13. Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem nō habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. De istis quatuor viis, Isa. 2. Docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Circa tertium nota, quòd in quatuor nō est acceptio personarum apud Christum. Primo, in iustificando. Act. 10. Aperiens autem Petrus os suum dixit. In veritate comperio, quia non est acceptor personarum Deus, sed in omni gēte qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Secundo, in docendo, vt hic. Viam Dei in veritate doces. Tertio, in puniendo, Ro. 2. Non est personarum acceptio apud Deum. Quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Nō enim auditores legis iustificabūtur. Quarto, in remunerando. Eph. 6. Scientes quoniam vnusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino siue seruus, siue liber: & personarum acceptio non est apud Deum.

Dominica uigesimaquarta ex epistola.

GRatias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnū filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorū per Iesum Christum Dominum nostrum. Col. 1. Apostolus in istis verbis docet, vt gratias agamus Deo patri de tribus magnis beneficiis, quæ contulit nobis per Iesum Christum. Primum beneficium fuit nostra iustificatio, ibi. In partem sortis sanctorum in lumine. Secundum, a potestate diaboli liberatio. ibi. Eripuit nos de potestate tenebrarum diaboli. Tertium, regni æterni collatio, ibi. Et transtulit in regnum filii dilectionis suæ. Circa primum nota, quòd triplex est sors sanctorum, quam Deus tribuit sanctis suis. Prima est æterna prædistinatio. Ephe. 1 In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædistinati secundum propositum eius, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, vt simus

in laudẽ gloriæ ipſius, qui ante ſperauimus in Chriſto. Secunda ipſorum iuſtificatio. Sap. 3. Dabit illi donum electũ, & ſors in Eccleſia Dei acceptiſſima. Et ſimiliter hic. Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine. Tertia æterna glorificatio. Sapien. 5. Ecce quomodo inter filios Dei computati ſunt, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Circa ſecundum nota, quòd Deus eripuit nos de poteſtate diaboli tripliciter. Primo, a diaboli ſeruitute nos liberãdo. Hebr. 2. Vt per mortẽ deſtrueret eum qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolũ, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſeruituti. Diabolus eſt princeps tenebrarum. Ephe. 6. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinẽ, ſed aduerſus principes & poteſtates aduerſus rectores tenebrarum harum. Secundo, tenebras noſtræ ignorantiæ luce ſuæ doctrinæ illuminando. Iſa. 9. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. 1. Pet. 3. Qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumẽ ſuũ: qui aliqñ nõ populus, nũc ãt populus Dei: qui nõ conſecuti miſericordiam, nunc aũt miſericordiam conſecuti. Tertio, tenebras peccatorum noſtrorum luce virtutũ fugando. Ephe. 6. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filii lucis ambulate. Circa tertium nota, quòd tripliciter trãſlationem facit Dominus de ſanctis ſuis. Primo, transfert eos de tenebris exilij ad lumen viſionis ſuæ claritatis. Eccl. 20. Henoch trãſlatus eſt in paradiſum. Paradiſus enim dicitur quaſi parans uiſum: quia parat viſum, qui eſt beatitudo ſanctorũ & angelorũ. Io. 17. Hæc eſt uita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ. Secundo, transfert eos de morte ad vitæ æternitatem. 1. Io. 3. Nos ſcimus quia translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Tertio, transfert eos de ſæculo nequam ad regni cæleſtis hæreditatem, vt dicitur hic, Et tranſtulit in regnum dilectionis filii ſui &c.

De eadem ex euangelio.

ECCE mulier quę sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius, Matth. 9. Moraliter in miraculo isto notantur tria. Primo, peccantis animæ miseria, ibi. Ecce mulier quæ fluxum patiebatur. Secundo, peccantis humilitas, ibi. Et accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Tertio, vtilitas pænitētis, ibi. Et conuersus Iesus videns eam, dixit ei. Confide filia, fides tua te saluam fecit. Circa primum nota, quòd peccator patitur fluxum sanguinis tribus modis. Primo, per nimium amorē cōsanguineorū. Mic. 3 Audite hoc principes domus Israel, qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Hierusalem in iniquitate. Principes eius in muneribus iudicabant & sacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius, in pecunia diuinabant, & super Dominum requiescebant dicentes. Nūquid non Dominus in medio nostrum? Propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Hierusalē quasi aceruus lapidum erit. Sion propter fluxum carnalium delectationum. psal. 50. Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ. Tertio, propter operationem quorumlibet peccatorū, Osee 4. Auditeverbū Domini filii Israel, quia iudicium Domini cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictū, & mendacium, & homicidium, & furtum inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit, idest, peccatum. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea. Circa secundum nota, quòd pænitentia, quæ est effectus contritionis, in tribus consistit. Primo, in fide, ibi. Fides tua te saluam fecit. Act. 2. Fide purificans corda eorum. ps. 50. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Secundo, in humilitate, quæ est confectrix confessionis, ibi. Retro. Bern. Nonus gradus humilitatis est confiteri peccata sua ei, cui debet. Iaco. 5. Confitemini alterutrum peccata uestra, & orate pro inuicem vt saluemini. Tertio, in labore satisfactionis, ibi. Tetigit fimbriam. Matth. 3. Facite ergo dignum

fructum pænitentiæ. In eodem, Omnis ergo arbor quę non facit bonū fructum, excidetur, & in ignē mittetur. Grego. Quilibet ad cor redeat, & tanto maiora lucra sibi acquirat per pænitentiam, quanto maiora damna sibi intulit per culpam. Circa tertium nota, quòd triplex vtilitas notatur hic, quæ prouenit ex pænitentia. Prima, quia Deus ad peccatorem, qui erat auersus & iratus, conuertitur, ibi. Conuersus Iesus. Zach. 1. Hæc dicit Dominus exercituum. Conuertimini ad me, & conuertatur ad vos, ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores dicentes. Hæc dicit Dominus exercituum, Conuertimini ad me de viis vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis: & nō audierūt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus. Patres vestri vbi sunt? & prophetæ numquid in sempiternum viuent? Secunda est, quòd gratia Dei ei infunditur: vnde respexit Iesus Petrum, & fleuit amare, quem a crimine negationis liberauit, & ab apostolatus culmine non permisit cadere. Matth. 26. Et recordatus est Petrus verbi Iesu quod dixerat. Priusquàm gallus cantet, ter me negabis: & egressus foras, fleuit amare. Est enim Dominus sicut sol, qui respiciens segetē, viuere eam & fructificare facit. psal. 24. Respice in me, & miserere mei. Tertia est, quòd per pænitentiam salus acquiritur, ibi. Et saluata est mulier. Isa. 45. Conuertimini ad me, & salui eritis.

Dominica uigesimaquinta ex epistola.

ECCE dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra, Hiere. 3 In istis verbis prædicitur aduentus Domini nostri Iesu Christi. Circa quòd tria notanda. Primo, aduenièdi congruitas, ibi. Ecce dies veniunt: cōgruū n. erat vt aduentum Domini præcederent multi dies, in quibus præpararent se homines ad susceptionem eius. Secūdo, uenientis dignitas, ibi. Suscitabo Dauid germē iustū, & regnabit rex, & sapiens erit Tertio, aduentus utilitas, ibi. Faciet iudicium & iustitiam in terra. Circa primum nota, ꝙ quinque

quinque dies spirituales venerunt ante aduentum Christi. Prima dies fuit æterna patris præordinatio. Mich.6. Egressus ab initio a diebus æternitatitis. Secũda, patris facta promissio. Luc.1. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis. Tertia, in lege ipsius præfiguratio Io.5. Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et ibidem. Si enim crederitis Moysi, crederetis forsitan & mihi. Quarta, ipsius a prophetis prædicatio. Luc.1. Visitauit & fecit redemptionem plebis suæ: sicut locutus est per os sanctorum. Quinta, ipsa Christi incarnatio. Iohel.3. In illa die stillabunt mõtes dulcedinem, & colles fluẽt lac. De istis quinque potest intelligi illud Iudith. 6. In diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israel. Circa secundum nota, quòd ibi quinque tangit propheta quo ad dignitatem Christi. Primo, commendat eum a speciositate. Secundo, a fortitudinis potestate. Hic duo notantur, ibi. Dauid, qui interpretatur uisu desiderabilis, & fortis manu. Christus fuit visu desiderabilis propter suam admirabilem pulchritudinem. psal.44. Speciosus forma præ filiis hominum. 1. Pet.1. In quem desiderant angeli prospicere. Fuit & manu fortis Christus propter admirabilem fortitudinẽ. Augustinus. Manu inermi & affixa cruci debellauit aereas potestates. Iob.9. Si fortitudo quæritur, robustissimus est. Tertio, commendat ab innata sanctitate, ibi. Germen iustum, idest, in conceptione, quia solus sine peccato, Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Luc.1. Quarto, a regali dignitate, ibi, Regnabit rex. Apocal.5. Rex regum Dominus dominantium. Quinto, a sapientiæ claritate, ibi. Et sapiens erit. Col.3. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Circa tertium nota, quòd Christus venit in mundum vt nos iudicaret, & remuneraret: hæc duo notantur hic. Et faciet iudicium, & iustitiam in terra. Iudicium incredulos reprobando. i. condemnando: iustitiam credentes iustificando, & saluando. De primo, Io.3. Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filii Dei. De secundo, ibidem. Sic Deus dilexit mundnm, vt filiũ suũ vnigenitum

daret,

daret,vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum,vt iudicet mundum , sed vt saluetur mundus per ipsum:qui credit in eum,non iudicatur. Debemus ergo in eũ credere per fidem , quæ perducit & operatur vt saluemur. Debemus & malum fugere,ne damnemur.Matth.vlt.Qui crediderit , & baptizatus fuerit , saluus erit : qui vero non crediderit , condemnabitur , A qua condemnatione liberet nos &c.

De eadem ex euangelio.

ILli homines cum vidissent quod fecerat signum , dicebant: quia hic est vere Propheta,qui venturus est in mũdum,Io.6.In istis verbis quatuor notanda.Primo,Christi potentia, ibi. Cum vidissent quod fecerat signum Iesus. Miraculum enim istud quod fecerat, actus fuit infinitæ potentiæ. Dionysius. Miraculum est actus manifestus potentiæ Dei ad optimum . Secundo , magna Christi sapientia, ibi. Hic est vere Propheta . Prophetia est actus infinitæ sapientiæ. Deu.18. Prophetam de gente tua , & de fratribus tuis,sicut me,suscitabit tibi Deus tuus,ipsum audies. Tertio magna iustitia,ibi.Qui venturus est in mundum.Venturus est enim Christus in mundum iudicare ipsum in iustitia. psalm.9. Iudicabit orbem terrarum in iustitia .

Circa primum,notanda quatuor signa Christi.Primum signum fuit incarnatio Christi, quæ fuit signũ infinitæ bonitatis. Isa. 7. Propter hos Deus dabit vobis signum . Ecce Virgo concipiet,& pariet filium.Secundum, miraculorum operatio,quod fuit signum infinitæ potentiæ.Io.20. Multa quidem , & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum,quæ nõ sunt scripta in libro hoc:hæc autem scripta sunt , vt credatis quia Iesus est Christus filius Dei, & vt credẽtes,vitam habeatis in nomine eius . Tertiũ signum est passio.Matth.12.Responderunt quidam de Scribis,& Pharisæis dicentes.Magister volumus a te signum videre.Qui rñdens ait illis.Generatio mala & adultera signũ q̃rit,& signũ nõ dabit ei nisi signũ Ionæ prophetæ.Sicut.n. fuit

fuit Ionas in ventres ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita erit & filius hominis &c. Quartum, aduentus eius ad iudicium. Isa. 18. Habitatores terræ, qui moramini in terra, cum eleuatum fuerit signum in montibus, & videbitis, & clangorem audietis &c. Circa secundum, nota quod in quatuor apparet magna sapientia Christi. Primo, in doctrina sua, idest, in veritate. Mat. 22. Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Secundo, in profunditate. Prouer. 18. Aqua profunda, idest, doctrina spiritualis: verba ex ore viri, idest, Christi: & torrens redundans, quia tanta est abundantia in verbo doctrinæ præsentis vitæ, fons sapientiæ. Mystice aqua profunda ad vetus testamentum, torrens redundans ad nouum testamentum refertur: & vtriusque testamenti sacramentum Deus Christus, & Apostoli eius referant. Item, verba sapientum lauãt mentes & rigant, ne peccatorum sorde deformes remaneant, vel ariditate deficiant. Et quia quædam mystice latent, quædam aperta sunt, recte hic aquam profundam, & torrentem redundantem esse dicit. Tertio, in vnitate. Ioan. 5. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Quarto, in æternitate. Luc. 27. Cælum & terram transibunt, verba autem mea non transibunt. Circa tertium nota, quòd Christus venturus est in mundum ad quatuor. Primo, malos condemnaturus. In can. Iudæ. Ecce veniet Dominus in sanctis milibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios. Secundo, bonos remuneraturus. Apoca. vltim. Ecce venio cito, & merces mea mecum reddere vnicuique iuxta opera sua. Tertio, mundum per ignem consumpturus, & renouaturus. psalm. 49. Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit: ignis in conspectu eius exardescet. Quarto, solus ipse in perpetuum regnaturus: cessabit enim omne regnum. Solum regnum Christi manebit in perpetuum. Dan 7. Aspiciebam ego in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit eis potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient.

Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnũ eius quod non corrumpetur &c.

De eodem.

ET cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, Io. 6. Sicut dicit glo. Chriſtus egit gratias, & docet nos agere gratias pro tribus beneficiis. Primo, pro beneficiis corporalibus: ſecundo, pro ſpiritualibus: tertio, pro æternalibus. Pro corporalibus tripliciter. Primum, quia creauit eſſe naturæ conferendo. Eph. 5. Gratias agens ſemper pro omnibus in nomine domini Ieſu Chriſti, Deo & patri. Deus dicitur pater noſter per creationem. Secũdo, quia conſeruat eſſe naturæ mala remouẽdo. Sap. 18. Et qui ante læſi erant, quia non lædebãtur gratias agebant tibi: & vt eſſet differentia te Deum petebant, propter quod ignis ardẽtem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ. Tertio, quia nutrit cibo corporali reficiendo. 1. Tim. 4. Spiritus manifeſte dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam; prohibentium nubere, & abſtinere a cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendũ quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Pro ſpiritualibus beneficiis debemus ſimiliter gratias agere Deo propter tria. Primo, quia nos ſanctificat gratiam conferendo. Col. 1. Gratias agentes Deo patri qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit nos in regnum filii dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem peccatorum. Secundo, quia inſtruit verba ſua docendo. 1. Theſ. 2. Nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione: quoniam cum accepiſſetis verbũ auditus Dei, accepiſti non vt uerbum hominum, ſed (ſicut eſt vere) verbũ Dei, qui operatur in vobis qui crediditis. Tertio, quia reficit animam cibum Euchariſtiæ tribuendo. Luc. 23. Et accepto pa-

pro pane gratias egit, & fregi & dedit eis dicens. Accipite,& manducate,quia hoc est corpus meum. In hoc enim quòd Christus dedit corpus suum,cum gratiarum actione debemus istum cibum ineffabilem suscipere. Item,pro beneficiis æternalibus debemus gratias agere similiter tripliciter. Primo,pro iustorum ab æterna morte liberatione. Coloss.1. Gratias Deo patri: & post. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum &c. Secundo,pro iusta reproborum damnatione. Tertio,pro summa & digna sanctorum glorificatione. De his duobus,Apoc. 11. Viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas,& adorauerunt Deum dicentes. Gratias agimus tibi Domine Deus,pater omnipotens,qui es,& qui eras,& qui venturus es:quia accepisti virtutem tuam magnam,& regnasti,& iratæ sunt gentes,& aduenit ira tua,& tempus mortuorum, iudicari & reddere mercedem seruis tuis,& prophetis,& sanctis. Amen.

Expliciunt sermones de tempore.

INCIPIVNT SERMONES FESTIVI TOTIVS ANNI.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

OPORTET præuenire solem ad benedictionem tuam,& ad ortum lucis te adorare, Sap. 16. Cras celebraturi sumus ortum solis æterni:ideo monemur in istis verbis præparari ad ortum eius. Et notantur hic duo. Primo,nasciturus commẽdatur. Secundo,quid sit nobis faciendũ demonstratur. Christus cõmendatur in duobus. Primo,quia sol:secundo,quia lux. Duo etiam nobis facienda indicuntur. Primum præuenire,secundum adorare. Primum,ibi. Solem: secundum, ibi. Ad ortum lucis:tertium, ibi. Præuenire:quartum, ibi. Adorare. Præuenire hodie adorare cras. Circa primũ sciendum,quòd Christus dicitur sol. Malach.3. Vobis timentibus Deum orietur sol iustitiæ. In hoc autem quòd dicitur

 sol,

2. Ordinauit in me charitatem. Ornauit, Ecclesiast. 48. Ornauit tempora vsque ad consumationem vitæ. Iob. 25. Spiritus Domini ornauit cælos, scilicet domini nostri Iesu Christi. Se ipsum effudit pro nobis moriendo. Gal. 3. Tradidit semetipsum pro me. s. Christus. Cum multis ergo bonis natus est nobis sol iste, & lux ista. Dignum est ergo præuenire ortum eius, & ad natiuitatẽ adorare. Præuenire autem debemus septẽ modis. Primo, ab omni nos peccati sorde abluendo. Secundo, omnem amorem terrenum excludẽdo. Tertio, in amore ipsius firmiter persistendo. De his tribus, Numeri. 11. Sãctificamini hodie, & cras comedetis carnes. Sanctus enim idem est quod mundus, sine terra, & firmus. Quarto, diuinis laudibus insistendo. psal. 94. Præoccupemus faciem eius in confessione, Quinto, perseueranter, vt digni simus participes natiuitatis eius fieri orando. psa. 87. Mane oratio mea præueniet te. Idem. Præueni in matu ritate & clamaui. Sexto, quanta beneficia largitus sit nobis diligenter meditando. psal. 118. Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Septimo, de tãto Deo gratias referendo. Hoc est quod dicitur præuenire ad benedictionem. Adorare debemus ad ortum lucis. i. natiuitatem Christi quinque modis. Primo, corde credendo. Secundo, ore confitendo. Tertio, opere quodam sacrificium eius deuote & digne sumendo. Quarto, largas eleemosynas faciendo. Quinto, noctes & dies in eius laudibus expendẽdo. De primis duobus, Ro. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. De tertio, Ro. 12. Obsecro vos fratres per misericordiam Dei vt exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam uiuentem Deo placentem &c. De quarto, Isa. 28. Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium. De quinto, docent angeli qui hanc diẽ tam solemniter cantarunt. Luc. 2. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum & dicentium. Gloria in altissimis Deo &c.

In Natiuitate Domini ex epistola.

PARVVLVS natus est nobis, Isa. 9. In istis verbis tria notantur circa natiuitatem Domini. Primo, natus describitur. Secũdo, ipsa natiuitas subditur.

Tertiò, natiuitatis utilitas sequitur. Primum, ibi. Paruulus secundum, ibi. Natus est: tertium, ibi. Nobis. Natus est ergò paruul⁹: sed cuiusmodi paruul⁹? admirabilis, amabilis, ineffabilis, formidabilis, uenerabilis, desiderabilis. De his hoc est quod postea sequitur, Et vocabitur nomen eius admirabilis, ecce primum: & amabilis, quia est consiliarius: ineffabilis, quia Deus: formidabilis, quia fortis: uenerabilis, quia pater futuri sęculi: desiderabilis, quia princeps pacis. Admirabilem istum cęli enarrant, angeli clamant, magi nuntiāt, pastores prædicant. Cæli stellam emittendo, angeli laudando, magi adorando, pastores quæ viderant enarrando. De primo, Matth. 2. Vidimus stellam eius in oriente &c. De secundo, Luc. 2. Et facta est cum angelo multitudo &c. De tertio. Matth. 2. Et procidentes adorauerunt eum &c. De quarto, Luc. 2. Et reuersi sunt pastores glorificantes &c. Est admirabilis tripliciter, quia creator creatura efficitur, virginitas in sui partu non perditur, hoc ab homine rationali creditur. Hæc tria miracula fecit hodie Dominus. Primū, quòd Deus factus est homo: secundum, quòd Virgo peperit: tertium, quòd cor humanum credidit. Est ergo admirabilis propter maiestatem, sed est amabilis propter bonitatē quæ apparet in tribus. Primo, ex sui effusione, seipsum hodie effundendo. Diony. Bonum est diffusiuum sui. Io. 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis &c. Secundo, ex benignitatis suæ ostensione. Vnde cantamus in epistola ad Titū. 3. Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei omnibus hominibus erudiens nos &c. Tertio, ex optimorum adductione. Diony. Optimi est optima adducere. Adduxit aūt nobis tria optima, s. optimū sciētiæ, gratiæ, & gloriæ. De his in Euangelio tertiæ Missæ. Vidimus gloriam eius, quo ad optimum gloriæ: plenum gratiæ, quo ad optimum gratiæ: & veritatis, quo ad optimum scientiæ. est ergo amabilis. Est & ineffabilis propter tria. Primo, propter æternitatem: secundo, propter eandem cum patre æqualitatem: tertio, propter diuinitatem. De his tribus Io. 1. In principio erat verbum, ecce æternitas: & verbū erat apud Deū, ecce æqualitas: & Deus erat verbum, ecce deitas. est ergo ineffabilis. Est & venerabilis, quia omni creator, omni gubernator,

bernator, & omni recreator. Ista tria habentur in epistola. Per quem fecit & sæcula, ecce creator: portans omnia verbo virtutis suæ ecce gubernator: purgationem peccatorum faciens, ecce recreator. est ergo venerabilis. Est etiam desiderabilis propter speciositatem, quæ speciositas est quidam partium situs cum quadam coloris suauitate. Omnis enim pulchritudo in duobus consistit. In luminibus, & characteribus, siue figuris & coloribus. Ista duo habentur in epistola, ibi. Qui cum sit splendor gloriæ, quo ad pulchritudinẽ coloris: & figura substantiæ eius, quo ad pulchritudinem figuræ. psal. 44. Speciosus forma præ filiis hominum. Quo ad pulchritudinem coloris. Cant. 5. Dilectus meus cādidus & rubicundus. est ergo desiderabilis. Sed est & formidabilis propter tria. Primo quia lux, vt omnia videat: secundo potens, vt omnia valeat: tertio iustus, vt de omnibus iustitiam faciat. De primo, Ioa. 1. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non cōprehenderunt &c. De secundo, Heb. 1. Sedet ad dextram maiestatis in excelsis. De tertio ibidem, Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem &c. Debemus ergo eum admirari, vt obstupescamus: amare, vt inardescamus: ineffabilem cogitare, vt humiliemur: formidabilẽ, vt timeamus: venerabilẽ, vt laudemus: desiderabilem, vt ad eũ festinemus. Circa natiuitatem sciẽdum hic ꝙ triplex est eius natiuitas. Æternalis ex patre, temporalis ex matre, spiritualis ex corde, hoc significant tres Missæ in die natiuitatis. Circa vtilitatẽ breuiter sciendũ, ꝙ duplicẽ vtilitatẽ cõsecutus est homo de eius natiuitate. s. malorũ omniũ remotionẽ, & bonorũ omniũ acquisitionẽ: hoc dixerũt angeli, Luc. 2. Annuntio vobis gaudiũ magnũ, quo ad bono adeptionem: quia natus est vobis Saluator, quo ad malorũ remotionẽ. s. q nos saluabit ab oĩ malo opere. Ipse paruulus hodie nat⁹ faciat nos tāti gaudii participes, q. viuit & regnat in sæcula, Amẽ.

De eadem ex euangelio.

VITA erat lux hominum, Io. 1. In hoc euangelio puer ille qui natus est, vocatur verbum, lux, & vita. Primum, ibi. In principio erat verbum: secundum & tertium, ibi.

ibi, Vita erat lux hominum. Et notatur per hoc multiplex vtilitas, quam in eius natiuitate consecutus est homo. Fuit enim verbum hominem docendo, lux illuminando, vita ad æternitatem perducendo. De primo, Matth. 4. Circuibat Iesus docens. Docuit autem nos tria, scilicet rerũ qualitatem, scripturæ veritatem, vitæ sanctitatem. Rerũ qualitatem, quia docuit mundum fallacem, diabolum mendacẽ, Deum veracem, & huiusmodi. De secundo, Lucæ vltimo. Aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. De tertio, Matth. 5. Beati mites, beati pacifici &c. per totum. Et sic, in primo docuit physicam, quæ inquirit naturas rerum: in secundo logicam, quæ probat verum: in tertio ethicam, quæ docet honestatem morum. Io. 13. Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis; sum etenim. Item, lux illuminãdo: illuminat autem tripliciter, noctem culpæ expellendo, diem gratiæ inducendo, luminaria magna, idest sanctos, per mundum diffundendo. De primis duobus, Ro. 13. Nox præcessit, dies autẽ appropinquauit. De tertio, Phil. 2. Inter quos luceris sicut luminaria in mundo. Item, fuit vita, vitam nostram reparando, vitam gratiæ largiendo, vitam gloriæ tribuendo. De primo. Et vitam resurgendo reparauit. De secundo, Ioan. 11. Ego sum resurrectio & vita De tertio, Ioan. 10. Ego vitam æternam do eis, Ad quam perducat nos qui est benedictus in sæcula, Amen.

In festo sancti Stephani ex epistola.

STEPHANVS autem plenus gratia &c. Act. 6. Stephanus interpretatur coronatus, & dignus fuit vt tali vocaretur nomine, qui primo meruit corona martyrii coronari. Ideo dicitur protomartyr. i. primus martyr. Est aũt ipse coronatus, & coronantˀ oẽs sancti quadruplici corona, argẽtea, stellea, aurea, & gemmea. De prima, Zach. 6. Sume argẽtum, & facies coronam. De secunda, Apoc. 12. Et in capite eius corona stellarum duodecim. De tertia, Eccl. 45. Corona aurea super caput eius. De quarta, psalm. 20. Posuisti super caput eius coronam de lapide pretioso. Argentea corona est cor-

dis

dis claritas, quæ corpus mirabiliter decorabit. Isa. 61. Sicut sponsum decoratum corona. Stellea corona est perfecta de omnibus scientia. Eccl. 6. Corona gratulationis super te, dicitur de sapientia. Aurea corona est ipsa de diuinitate iucũditas. Isa. 38. In illa die erit tibi Dominus corona gloriæ. Gemmea corona est æternitas. 1. Petri. 5. Percipietis immarcessibilem æternæ gloriæ coronam. Sunt autem octo pro quibus Dominus electos suos debet coronare. Primum, Dei miseratio. psal. 102. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus. Secundum, puritatis conseruatio. Sapien. 2. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate: & post subditur. Coronata triumphat. Tertium, carnis mortificatio. Isa. 61. Dabo coronam pro cinere &c. Quartum, iustitiæ labor. 2. Timo. 4. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Quintum, tentationum superatio. Iaco. 1. Beatus vir qui suffert tentationem quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ &c. Sextum, populorum conuersio. 1. Thess. 2. Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nõne vos ante Dominum nostrũ Iesum Christum estis in aduentum eius? Vos. n. estis gloria nostra, & gaudium. Septimum, bene administrata prælatio. Prou. 27. Agnosce vultum pecoris tui &c. Octauum, tolerata pro Christo passio. Apoc. 2. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Coronantur & mali aliis coronis. Coronantur enim corona florea, frondea, aurichalca, spinea. Florea in carnis voluptatibus. Sap. 2. Coronemus nos rosis. Frondea, in mũdi vanitatibus. 2. Mach. 6. Coronati hedera. Libero circuire cogebantur. Isa. 13. Vę coronæ superbiæ. Aurichalca, in diuitiis sæcularibus, quæ videntur diuitiæ, sicut aurichalcum videtur aurum, sed non sunt. Apoc. 9. Habebat coronam similẽ aurichalco. Spinea in pœnis æternalibus. psal. 33. Coronans coronabit te tribulatione. Sunt ergo illæ coronæ cauendæ, ille appetendę &c.

In festo Sancti Ioannis.

NVNQVID ad pręceptum tuum eleuabitur aquila? Iob. 39. Ista verba satis bene conueniunt hodiernæ festiuitati, in qua transitus beati Ioannis de mor-

de morte ad vitam recolitur, circa quam tria in istis verbis notantur, modus transeundi, vtilitas trãsitus, dignitas trãseuntis. Primum, ibi. Numquid ad præceptum tuum? secundum, ibi. Eleuabitur: tertium, ibi. Aquila. Circa primũ sciendum quòd quatuor præcepta fecit ei Dominus. Primum, vt nuptias desereret: secundũ, vt post eum iret: tertium, vt statum vtriusque ecclesiæ scriberet: quartum, vt relicta præsentis vitæ miseria ad paradisum trãsiret. De primo, Hiero. in prologo super Ioannem, Quem de nuptiis volẽtem nubere vocarat Deus, vt virginem virgo seruaret. De secũdo, Matth. 4. Inuenit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius &c. De tertio, Apoc. 1. Quod vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesijs. De quarto, in legenda sua. Veni vt cum fratribus tuis epuleris. Circa secundũ nota, quòd quatuor modis fuit eleuatus in morte. Primo, ad eam voluntarie eundo. Secundo, dolorem mortis non sentiendo. Tertio, ab ea cito, sicut creditur, resurgendo. Quarto, de ipsa ad cælum ascendendo. De primis duobus in prologo super Ioannem. Descendit in defossum sepulcrum, siue locum, & facta oratione appositus est ad patres suos, ecce primum: tam extraneus a dolore mortis, quàm a corruptiõe carnis inuenitur alienus, ecce secundum. De aliis duobus in legenda. Circa tertium sciendum, quòd beatus Ioãnes dicitur aquila propter tria. Primo, propter videndi perspicacitatem. Secundo, propter volandi sublimitatem. Tertio, propter quarundam actionum proprietatem. Videndi perspicacitas in aquila consistit in duobus, quia videt splendidissima, quia solem in rota uidet: remotissima, quia de cælo leporem in terram. Sic beatus Ioannes videt solem in rota, id est, Christum in patre. Ioan. 1. In principio erat verbum. Vidit remotissima, quia quæ ventura sunt in fine mundi vidit in Apocalypsi. Item, volauit altissime dupliciter, scilicet contemplando, & scribendo. De primo, Apoc. 1. Fui in spiritu in dominica die, & audiui post me vocem magnam tamquàm tubæ &c. De secundo, Ezech. 10. Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor: quia Ioannes scribendo cæteros Euãgelistas transcendit. Aug. Si paulo altius intonasset, totus mundus eum capere non posset. Item, dicitur aquila propter du-

pter duplicis actionis proprietatem. Primo, pullos collocauit in Deo. 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet. Secundo, petram in nido posuit, id est Christum. 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus. De hac aquila patet in epistolis suis per totum. De ista aquila dicitur Ezech. 17. Aquila grandis magnarum alarum, vbi commendatur in multis. Moraliter, si volumus in alto eleuari, debemus esse aquila propter septem. Primo, vt de veteri statu in nouum mutemur. psal. 102. Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Secundo, vt in altum conuersando volemus. Philip. 3. Nostra conuersatio in cælis est. Tertio, vt virtutum varietate plumemur. Ezech. 17. Plena plumis & varietatibus &c. Quarto, vt ad cælum ire festinemus. 2. Regum. 1. Aquilæ velociores. Hebr. 4 Festinemus ingredi in illam requiem. Quinto, vt bona nostra per rectam intentionē occultemus. Prouer. 30. Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam uiri in adolescentula. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus &c. Sexto, vt petram, id est Christum, in nido cordis collocemus. Ephes. 3. Christum habitare per fidem in cordibus uestris. Septimo, vt in bono opere vsque in finem perseueremus. Isa. 40. Assument pennas vt aquilæ, volabunt, & non deficient &c.

De eodem ex epistola.

CIbauit illum pane vitæ & intellectus. Eccl. 15. In hac epistola ostenditur ꝙ quatuor bona, quę multū cōsueuerūt ab hoīe appeti, facit Dn̄s his qui diligūt eū & timēt. Primū, delitiarū lætitiā: ſm, beatorū gloriā: tertiū, diuitiarum copiā: quartū, iustis æternitatē. Primū, ibi. Cibauit eū: ſm, ibi. In medio ecclesiæ: tertiū, ibi. Iucunditatem & exultationē thesaurizauit: quartū, ibi. Et nomine æterno. Circa primum nota, quòd tres delitias dat Dominus seruis suis in via. Primæ consistunt in corporis dominici sumptione. Secundæ, in sacræ scripturæ lectione. Tertiæ, in diuinæ bonitatis prægustatione. Primæ notantur ibi. Cibauit illum

pane

pane vitæ &c.Ioan.6.Ego ſum panis vitæ, qui de cælo deſcendi.Secundæ,ibi.Intellectus.Prouer.9. Edite panẽ meũ Tertiæ,ibi.Aqua ſapientiæ &c.Sapientia enim dicitur a ſapore.Sap.17. Panem de cælo præſtitiſti eis omne delectamentum in ſe habentem: vere omne delectamentum, quia ſi quis guſtauerit de eo,delitias mundi tamquàm amariſſimas deſpiciet.Greg.Guſtato ſpiritu, deſipit omnis caro. Circa ſecundum notandum,quòd in tribus ponitur beatorum gloria.Primo,in eloquentia:ſecundo,in ſapientia:tertio,in veſtium gloria.Primum, ibi. In medio eccleſiæ aperuit os eius. Secundum,ibi. Et impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ. De his duobus. Luc.21. Ego dabo vobis os & ſapientiam.Tertium,ibi.Stolam gloriæ induit eum:quæ eſt honeſta exterior conuerſatio, quæ intexitur ex filis bonorum morum.Iſa.6. Induit me veſtimento ſalutis. Diuitiarum copia ponitur ſimiliter in tribus. Primo , in eorum delectabilitate:ſecũdo,in pretioſitate:tertio,in glorioſitate. Primũ,ibi.Iucunditate intrinſecus & extrinſec⁹: ſunt.n.iucundę illæ diuitiæ nõ amaræ,ſicut diuitiæ mũdi.Secundũ, ibi.Theſaurizauit.Theſaurus enim non fit niſi de pretioſis. Tertium,ibi.Super eum,quia totus repletus eſt diuitiis. pſ. 111.Beatus vir qui timet dominũ.& ibidem. Gloria & diuitiæ in domo eius. Circa tertium notandum, quòd tria æterna promittit eis,æternitatem nominis,æternitatem hæreditatis,& æternitatem vitæ.Primum,ibi. Et nomine æterno.pſal.111.In memoria æterna erit iuſtus.Secundum,ibi. 1.Pet.2.In hæreditatẽ incorruptam , & incontaminatam. Tertium,ibi.Eum.Ioan.10.Ego vitam æternam do eis.Sũt ergo duodecim bona quæ promittũt Deus his qui timent eum:& ideo optimum eſt timere eum &c.

In feſto.SS.Innocentium ex epiſtola.

CANTABANT ſancti canticum nouum ante ſedem Dei, Apoc.14.Tria notãtur hic.Primum, quia cantabant optimi cantatores , quia ſancti. Secundo,quia cantabant optimam cantionem, quia canticum nouum.Tertio, vbi cantabant,quia in optimo

mo loco, quia ante sedem Dei. Circa primum notandum, quòd bonos cantores faciunt tria scilicet bonę vocis instrumentum, artis documentum, vsus exercitamentum. Bonæ vocis instrumentum tria faciũt, reumatis expurgatio, pectoris dilatatio, oris apertio. Primum est peccatorum expulsio. Eccl. 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris. psal. 112. Laudate pueri Dominum. Secundum est amicorum dilectio. 2. Corinth. 6. Cor nostrum dilatatum est: dilatamini & vos. Exo. 15. Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est. Tertium est intentionis ad Deum directio. psal. 118. Os meũ aperui. Item. Domine, labia mea aperies. Ad artis documentum sunt tria necessaria. Primo, vt scias vocem leuare. Secundo, deprimere. Tertio, cõcordare. Vox eleuatur per contemplationem. 1. Para. 10. Cantabant: & posth Resonabant sonitus lætitię in excelsis. Vox deprimitur per sui humiliationẽ. Dan. 4. Benedicite sancti & humiles corde Domino. Concordatio vocis fit concordiæ & vnitatis cõseruatione. Ephes. 1. Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: vel per mentis cum corde concordationẽ. 1. Corinth. 14. Psallam spiritu, psallam & mẽte. Ad vsus exercitium sunt tria necessaria, vt cantet frequenter, diligenter, & fortiter. De primis duobus, Isa. 23. Bene cane, frequenta canticum, vt memoria tui sit. De tertio. psal. 97. Psallite Domino in voce tubæ. Tales debent esse cantores: sed quid debent cantare? canticum nouum. Canticum nouum cãtatur quatuor modis. Primo, si cantet nouus homo. Ephe. 4. Renouamini spiritu mentis vestræ. Secundo, si cantet noua scilicet spiritualia. Eph. 5. Cãtantes in canticis spiritualibus. Tertio, si cãtet pro nouis i. pro æternis. Apoc. 20. Ecce noua facio oĩa. psal. 95. Cantate Deo canticum nouum. Quarto, si cantet nouo modo, idest, delectabiliter. psal. 97. Iubilate Deo omnis terra: cantate & exultate, & psallite. Ecce quòd debemus cantare: sed vbi debemus cantare? ante sedem Dei, vt libenter audiat summus Pontifex, vt magnas præbendas cõferat: largissimus princeps, vt magna munera tribuat. De primo, Cant. 2. Sonet vox tua in auribus meis: & angeli libenter audiunt. Ibidẽ Amici auscultãt te, fac me audire uocem tuam. De secundo, Apoc. 3. Faciam illum columnam

in templo Dei. De tertio, Luc. 21. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum.

In festo Sancti Thomæ.

BEATVS vir q̃ in sapientia morabitur. Ecc. 14. In his verbis notatur meritum sanctorum & præmium. Primo, ibi. Qui in sapientia: secundo, ibi. Morabitur. Circa primum sciẽdũ, quòd duplex est sapientia in qua morandũ est, increata, & creata. De prima, Eccl. 24. Ego ex ore altissimi prodiui. De secunda, Eccl. 1. Omnis sapientia a domino Deo est. In increata debemus morari tripliciter. Primo, per fidem secundum rationem in eius veritate: secundo, per spem secũdum irascibilem in eius maiestate: tertio, per charitatem secundum concupiscibilem in eius bonitate. De primo, Ioa. 15. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quæcumque petieritis, fiet vobis. De secundo, Manete in dilectione mea. De tertio. 1. Ioan. 3. Deus charitas est. Ista tria necessaria sunt ad beatitudinem acquirendam. De primo, Heb. 10. Oportet accedentem ad Deum credere. De secundo, Roman. 8. Spe autem salui facti sumus. De tertio. 1. Corint. 13. Si linguis hominum loquar & angelorum &c. Item, debemus in sapientia creata tripliciter morari. Primo, a malis recedendo: secundo, bona faciendo: tertio, in his perseuerando. Ista est triplex sapientia sanctorũ. De primis duobus, Iob. 24. Ecce pietas ipsa est sapientia, quo ad bene agendum: & recedere a malo intelligẽtia, quo ad malum. De tertio, Eccl. 17. Homo sanctus manet in sapientia: præmium sapientiæ est beatitudo. Beatitudo autem est status oĩum bonorũ aggregatione pfectus, sicut dicit Boetius. Est autem duplex beatitudo, in via, & in patria: vtraque, acquiritur per sapientiam. Nam in via habet quandam similitudinem illius quæ est in patria, in qua sunt septem dotes. Habent enim claritatem per uultus hilaritatem: ita & in via habet modo suo sapiens illas dotes. Eccl. 8. Sapientia hominis lucet in vultu eius: ista est prima dos. Secunda est impassibilitas, quam habet per patientiam, vel mansuetudinem.

dinem.Philoſ.Mitis eſt qui non patitur,nec deducitur.Itē, gloſa ſuper Matth. Mitis eſt, qui nullam amaritudinē animi ſentit. Prouerb. 14. Qui patiens eſt, multa gubernatur ſapientia.Tertia dos eſt ſubtilitas,quam acquirit ſapiēs per occultorum penetrationem:nam ſapienti omnia quaſi patentia ſunt.Eccl.39. Occulta prouerbia exquirit ſapiēs. Prou.14.Quomodo in aquis reſplendet uultus proſpicientium,ſic corda hominum maniſeſta ſunt prudētibus. Quarta,agilitas quam acquirit ſapiens per uelocem omnium apprehenſionem. Sap 8. Attingit a fine uſque ad finem fortiter. Vel claritas acquiritur per prudentiam, impaſſibilitas per fortitudinem,ſubtilitas per ſobrietatem,agilitas per iuſtitiam: quæ quatuor habent qui in ſapientia morantur. Sap.8.Sobrietatem enim hac ſapiētiam docet, & iuſtitiam & uirtutē,quibus nihil utilius eſt ī uita hominibus.Quinta dos eſt cognitio quæ datur, quia docet omnem ſapiētiā. Sap.8. Et ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat quis:ſcit præterita, & de futuris æſtimat &c. Sexta dos eſt delectio, quæ eſt uere in ſapiētia.Prou.8.Ego diligētes me,diligo.Sap.7. Et ſine īuidia cōmunico. Septima dos eſt oīs bonis fruitio. Sap.7.Venerūt mihi oīa bona pariter cū illa. Hanc beatitudinē acquirit qui in ſapiētia.i.in Chriſto, & gratia Chriſti moratur:ſed in patria habebit ueram beatitudinem. Eſt autem beatitudo ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus,ut dicit Boetius.Eſt enim ibi omne bonum,& nullū malum. Deuter.8. Vbi abſque ulla penuria comedes panē tuum,& rerum omnium abundantia perfrueris &c.

De eadem ex euangelio.

VBI ego ſum, illic & miniſter meus erit, Ioan. 12.Duo notātur in hoc,meritum & pręmium. Præmium, ibi. Miniſter meus: ſecundum, ibi. Vbi ego ſum &c. Circa primum notādum, quòd miniſter magni regis debet eſſe formoſus in ſpecie, intelligens in diſcretione, fidelis in opere. Primo, formoſus debet eſſe per munditię puritatem, morum honeſtatem, veſtium varietatem. Debet ergo miniſter Chriſti habere cordis puritatem. Prouer.22. Qui diligit cordis mun-

dis munditiam propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem &c. psal. 100. Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat &c. Morum honestatē. 1. Pet. 2. Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam &c. Vestium, idest, virtutum speciositatem. Apoc. 4. Ambulabunt mecum in albis. De his duobus, Exod. 40. Applica Aaron & filios eius, vt ministrēt mihi, & lotos idues sacris vestib⁹. In vestibus virtutū varietas, in vnctione morū honestas, ex qua exit odor bonæ famæ. 3. Reg 10. Videns regina ordinē ministrorum, & vestes eorum &c. Item, debet esse in discretione intelligens, vt intelligat Domini voluntatem, seruiendi congruitatem, seruitii vtilitatem. De primo. psal. 102. Ministri eius, qui facitis voluntatem eius. De secundo, Luc. 2. Quis putas es fidelis seruus, & prudēs, quem constituit dominus super familiam suam. De tertio, Rom. 12. Rationabile obsequium vestrum. Idem fit de eo quod magis est vtile: hæc est pietas. 1. Timot. 4. Exerce te ipsum ad pietatem &c. Debet esse ergo minister intelligens, sed debet esse etiā fidelis, ne bona sua auferat, vel cum hostibus prodat, nec ipsum deserat. Bona Dei aufert, qui de seruitio Dei gloriam quærit, quam sibi soli seruauit. Isa. 42. Gloriam meā alteri non dabo. Hostibus prodit Dominum, qui in cameram suā. i. animam suam introducit diabolum. psal. 87. Traditus sum, & non egrediebar. Item, psal. 40. Homo pacis meæ, in quo speraui magnificauit super me supplantationem. Dereliquit etiam eum. Deutero. 32. Incrassatus, dilatatus, impinguatus dereliquit Deum factorem suum. Talis debet minister esse, & sic consequi tur præmium. Sed quod præmium? ibi. Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Vbi es, Domine Iesum patre. Ioa. 14. Ego in patre &c. In cælo. Io. 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis &c. In dextera maiestatis Hebr. 1. Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. In luce in accessibili. 1. Timoth. 6. Lucem habitat inaccessibilem. In throno. Apocalip. 3. Sedenti in throno Dei. In principio. Ioan. 1. In principio erat verbum. Per hoc quòd dicitur, esse in patre, notatur gloria: in luce, claritas: in dextera Dei, iucunditas, idest, in potioribus bonis

Dei: in

Dei:in cælo,loci amœnitas:in throno,dignitas: in principio,æternitas. Promittit ergo Dominus ministris suis per hoc quòd dicitur, Vbi ego sum, illic & minister meus erit, gloriam,claritatem,iucunditatem loci amœnitatem,dignitatem æternam, Ad quam nos perducat &c.

In festo Sancti Syluestri.

ECCE sacerdos magnus,qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus. *Quære in festo Sancti Nicolai.*

De eodem ex euangelio.

HOMO quidam peregre proficiscens uocauit seruos suos,& tradidit illis bona sua, Matth. 25. Homo iste Christus est,qui peregre profectus est,in Incarnatione,in Passione,in Ascensione. In prima peregrinatus est in mundo:in secunda in inferno:in tertia in cælo. De primo. Genes. 12. Egressus est Abraham ut peregrinaretur in Ægyptum. Abraham Christus, Ægyptus mundus. De secundo, Lucæ vlt. Tu solus peregrinus es in Hierusalem &c.dixerunt reuerso ab inferis. De tertio, Lucæ 19. Homo quidam nobilis &c. In prima peregrinatione agressus est ad peregrinandum ad tria,ad addiscendum,ad negotiandum,ad orandum. Peregrinatur scholaris ut addiscat,negotiatur ut acquirat,uir iustus ut oret:sic Christus peregrinatus est in mundo, ut disceret malum quod non sciebat per experientiam : hoc docetur in terra ista. Hebr. 5. Didicit ex his quæ passus est obedientiam &c. Item,ut negotiaretur:& constituit mirabiles nundinas,in quibus vendidit denario paupertatis regnum cælorum, denario uilitatis gloriam,denario mortis uitam. De his trib. August. Venale habeo,quid? regnum cælorum : quanti emitur? paupertate regnum,uilitate gloria,luctu gaudium morte uita. Matth. 5. Beati pauperes spiritu,quoniam ipsorum est regnum cælorum,iure scilicet emptionis. Item,ad orandum. Luc. 22. Et factus in agonia prolixius orabat. In

infernum egressus est ad peregrinandum propter tria, ut prædam perditam recuperaret, ut hostem, idest diabolum superaret, ut ciuitatem fortissimam expugnaret: propter hæc tria reges & principes consueuerunt exire peregre. De primo, Ephes. 4. Christus ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus &c. De secundo, Apoc. 20. Apprehendit diabolum, & ligauit eum in abysso, idest in inferno. De tertio, Contriuit portas æreas. Infra cælum peregre profectus est propter tria. Primo, ut regionem famis & omnis miseriæ desereret, ut habitaret in regione totius amœnitatis & abundantiæ, ut regnum sibi acquireret. Propter hæc tria consueuerunt peregrinari homines. De primo, Ruth. 1. Facta est fames in terra, abiitq; homo de Bethlehem Iuda ut peregrinaretur &c. De secundo, Gene. 35. Venit Iacob in Mambre, hæc est Hebron, in qua peregrinatus est Abraham & Isaac. Hebron interpretatur claritudo. Hebron visio sempiterna significat paradisum. De tertio, Lucæ 19. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam. In prima peregrinatione apparuit eius humilitas, in secunda eius charitas, in tertia eius maiestas. De prima, Phil. 2. Qui cum in forma Dei esset &c. De secunda, Ioan. 15. Maiorem charitatem nemo habet. De tertia, Actuum. 1. Viri Galilæi quid admiramini aspicientes in cælum? psal. 8. Eleuata est magnificentia tua. Est ergo in prima imitandus ut humiliemur. Matth. 10. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde &c. In secunda diligendus, ut eum reamemus. 1. Ioan. 4. Diligamus Deum, quia ipse prius dilexit nos. In tertia desiderandus, ut ad eũ festinemus. Ioan. 14. Iterum ueniam, & assumam uos ad meipsum &c. Heb. 4. Festinemus ingredi in illam requiem, Ad quam nos perducat, Amen.

In Circuncisione Domini ex epistola.

APPARVIT benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria sobrie, & iuste, & pie uiuamus in hoc sæculo,

culo, Tit.2. Quoniam Dominus noster Iesus venit in mundum peccatores ad se trahere, attrahuntur autem maxime per benignitatem: ideo uoluit benignus hominibus apparere. Et hoc est quod dicitur, apparuit. Apparuit autem benignitas eius tripliciter, in eius actionibus, locutionibus, & passionibus. In actionibus ostendit benignitatem quadrupliciter. Primo, pro peccatoribus carnem assumendo. 1. Timoth.1. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere &c. Secundo, specialem familiaritatem peccatoribus demonstrando. Lucæ 15. Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores, ut audirent illum. Tertio, magnos peccatores, magnos sanctos faciendo, sicut patet in Matthæo, Magdalena, & Paulo. Quarto, languores infirmorū benigne curando, ut in leproso quem tetigit. Matth. 7. & Lucæ 6. Sanabat omnes. Idem 4: At ille singulis manus imponens, curabat eos &c. In locutionibus ostendit similiter benignitatem quadrupliciter. Primo, omnibus benigne loquendo, Lucæ 4. Mirabantur omnes in uerbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius &c, Secundo, peccatores ad se uenientes dulciter alloquendo, sicut patet Ioan.8. in adultera, & Luc.7. in Magdalena. Tertio, suum proditorem benigne alloquendo. Matth.26. Amice, ad quid uenisti? Quarto, pro ipsis crucifixoribus orando, Lucæ 23. Dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt &c. In passionibus ostendit benignitatem similiter quatuor modis. Primo, ipsos crucifixores benigne recipiendo, Ioan. 18. Iesus autem sciens omnia quæ uentura erant &c. Secundo, ipsam passionem benignissime recipiendo. psal.53. Sicut ouis ad occisionem ductus est Hiere.10. Ego quasi agnos mansuetus qui ducitur ad uictimam. Tertio, nulli iniuriando. 1. Pet. 1. Cum malediceretur, non maledicebat. Quarto, multos de suis crucifixoribus sanctificando, sicut Longinus, qui perforauit lancea latus eius, & postea fuit sanctus, sicut dicitur in Martyrologio. Et Act. 3. dicitur, quod tria millia qui consenserāt in mortem eius, baptizati sunt una die. Debemus ergo ad tantam benignitatem recurrere, Ad quā nos perducat &c.

De eadem ex euangelio.

VOCATUM est nomen eius Iesus, Lucæ 2. Sicut dicit beatus Petrus. Non est aliud nomen datum sub cælo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in isto. Act. 4. Vnde cum prædicator intendat hominem ad salutem inducere, debet de eo frequenter prædicare. Est nomen istud in corde retinendũ, in ore habendum, in aure seruandum, in manu ferendum, in fronte scribendum. In corde quia gaudium, in ore quia iubilus, in aure quia melos, in manu quia uirtus, in fronte quia honor. De primis tribus Bernard. Iesus in corde gaudium, in ore iubilus, in aure melos. De quarto, psalm. 62. In nomine tuo leuabo manus meas. De quinto, Apocal. 14. Habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus. In isto nomine est ambulandum, est orandum, est spatiandum, est operandum, & est loquendũ. De primo, Micheæ. 4. Nos autem in nomine Dei nostri ambulabimus. De secundo, Ioan. 11. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vos. De tertio, psalm. 39. Beatus uir cuius est nomẽ Domini spes eius. De quarto, & quinto, Coloss. 3. Omne quodcunque facitis in uerbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & patri per ipsum &c. Est enim nomẽ istud admirabile, amabile, laudabile. Admirabile, quia in virtute eius omnia creantur, dæmones fugantur, & omnes languores curantur. De primo, Apoc. 19. Et nomen eius vocabitur uerbum Dei: & in verbo Dei facta sunt omnia. psalm. 148. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. De secundo & tertio, Matth. vlt. In nomine meo dæmonia eiicient, ergo est admirabile. Genes. 34. Cur quæris nomen meum quod est ineffabile &c. Est & amabile, quia peccatores iustificat, iustos lætificat, tentatos adiuuat, iustis gratiam augmentat, & omnes qui ipsum inuocant, saluat. De primo, Cant. 1. Oleum effussum nomen tuum. In oleo misericordia, in effussione abundantia misericordiæ. De primo, psalm. 99. Laudate nomen eius, quoniam suauis Dominus. De tertio, psalm. 123. Adiutorium

iutorium nostrum in nomine Domini. De quarto, Prouer. 18. Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus, & exaltabitur. De quinto, Ioel. 3. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit &c. Est ergo amabile. psal. 5. Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomẽ tuum. Est laudabile, quia gloriosum, quia sanctũ, quia magnum, quia nouum, quia æternum. De primo, Dan. 4. Gloriosum nomen eius in sæcula. De secundo, Lucæ. 1. Et sanctum nomen eius. De tertio, psal. 144. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. De quarto, Isa. 61. Vocabitur tibi nomen nouum. De quinto authoritas. Genuit puerpera regem, cui nomen æternum. Istud nomen illuminat rationalem, confortat irascibilem, delectat concupiscibilem. De primo, Zacha. 5. Oriens nomen eius, & unde procedit lux. Malach. vlt. Vobis timentibus nomen meum orietur. sol iustitiæ &c. De secundo, Zacha. 10. Confortabo eos in domino Deo suo &c. De tertio, psal. 99. Laudate nomen eius &c. Istud debent inferi formidare, terrestres adorare, cælestes laudare. Inferi debent formidare, quia in eo sunt expoliati: terrestres adorare, quia in eo sunt redempti: cælestes laudare, quia in eo sunt restaurati. De his Phil. 2. In nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum &c. Rogemus &c.

In Epiphania Domini ex epistola.

OMNES de Saba venient, aurum, & tus deferentes. Isa. 60. Verba hæc exponuntur de Magis. Moraliter autem possunt exponi de peccatoribus a statu culpæ redeuntibus, & ad Deum reuertentibus. Et nota hic tria, quæ sunt peccatori necessaria. Primum est a peccato recessio, ibi. Omnes de Saba uenient. Secundum est bona operatio, ibi. Aurum & tus. Tertio gratiarum actio, ibi. Laudem Domino &c.

Circa primum sciendum, quòd Saba interpretatur captiua, uel captiuitas, & significat peccatum, in quo a dæmonibus anima captiuatur. Rom. 7. Condelector legi Dei secundum interiorem hominẽ: video autẽ aliam legem in mẽbris meis

repugnantem legi mentis meæ,& captiuantem me in lege peccati,quæ est in membris meis &c.Thre.3. Venatione ceperunt me quasi auem inimici mei gratis. Dicitur autem peccator captiuus,quia a dæmonibus capitur,uinculo constringitur,in carcere ponitur,& multis aliis miseriis affligitur. De primo & secundo,Prouer.5.Iniquitates suæ capiunt impium,& funibus peccatorum suorum constringitur.Isa 3.Cadent & conterentur,& irretientur, & capientur.De tertio,Thren.3. Circumædificauit aduersum me, vt non egrediar,aggrauauit compedem meum.psalm.142. Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi, & anxiatus est super me spiritus meus,in me turbatū est cor meū. De quarto,Hierem.2.Vide quia malum,& amarum est reliquisse te dominum Deum tuum,& non esse timorem eius apud te.Iob.30.Egestate & fame steriles qui rodebant in solitudine,scalentes calamitate & miseria &c. Saba ergo peccatum est. De Saba venire est de pecato recedere. psalm.13.Auertit captiuitatem plebis suæ. Hoc est primo pœnitenti necessarium.Isa.1.Quiescite agere peruerse. Secundo,bona operari,Ibidem.Discite benefacere. Hoc notatur,ibi.Aurum & tus.Sunt autem necessaria homini bona uita,& bona fama.Aug.Duæ res sunt mihi necessariæ, bona conscientia,& bona fama:conscientia propter me,bona fama propter proximum. Bona uita notatur in auro, fama in ture. Dicitur autem bona uita aurum propter quatuor. Est enim aurum pulchrum in colore, pretiosum in ualore, ponderosum in grauitate, incorruptibile in soliditate. Omnis pulchritudo consistit in luminibus & characteribus. Lumina sunt uirtutes illuminatiuę ut perficiant intellectum, affectiuæ ut perficiant affectum. Cant.5.Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus,caput eius aurum optimum:comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. Pretiositas est humilitas. Isa.13.Pretiosior erit uir auro, & homo mundo obrizo.Tanto magis quis ualet apud Deum, quanto magis se humiliat.Ponderositas est morum honestas. psalm. 34.In populo graui laudabo te. Incorruptibilitas est perseuerantia. Matth.10. Non qui incœperit, sed qui perseuerauerit

uerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit &c. Gene. 2. Aurum terræ illius optimum eſt. Hæc quatuor faciunt bonam uitam, cordis puritas, morum grauitas, humilitas, perſeuerantia. Aurum ergo vitam ſignificat, tus ſignificat bonam famam, quia eſt per ſui fumum diffuſiuum, vicini aeris immutatiuum. Odor latius ex eo generatur, Domino immolatur: ſic fama eſt diffuſiua, vnde dicitur. Fama uolat. Matth. 3. Odor eius in totam Syriam: aerem vicinum, ideſt proximum ad bonum immutat per imitationem. 1. Theſſ. 2. Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, eccleſiarum Dei quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu &c. Odorem generat. Bernardus. Odor bonus fama bona. 2. Corinth. 2. Chriſti bonus odor ſumus. Deo offertur, quia bona fama Deo debet offerri. Matth. 5. Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona & glorificent patrem ueſtrum &c. Bona ergo uita, & bona fama notantur in ture & auro. Circa tertium ſcilicet gratiarum actionem ſciendum, quod anima conuerſa ad Deum, debet Deo quadrupliciter carmen decantare, ſcilicet carmen triumphale, nuptiale, ioculare, & feſtiuale. Triumphale, quia de dæmonibus triumphauit: nuptiale, quia Chriſtus eam ſibi copulauit: ioculare, quia munera magna uirtutum & donorum ſpiritualium rex cæleſtis donauit: feſtiuale, quia tota curia cæleſtis de conuerſione eius feſtum ſolemne celebrauit. De primo, Iſa. 14. Erit in die, cum requiem dederit tibi Dominus a labore tuo, & a concuſſione tua, & a ſeruitute dura qua ante ſeruiſti. De ſecundo, Oſee 2. Sponſabo te mihi in fide &c. De tertio, Ezech. 16. Veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te hyacintho. De quarto. Lucę 15. Gaudium eſt angelis Dei ſuper uno peccatore pænitentiam agente.

De eodem ex euangelio.

OBTVLERVNT ei munera, aurum, tus, & myrrham. Illi reges Magi uocantur, ideſt ſapientes. Vere habuerunt multiplicem ſapientiam, ſicut ex textu hodierni euangelii colligitur.

tur. Habuerunt logicam, profundissimam quæstionem faciendo: astronomiam, astra cognoscendo: arithmeticam, numerum mirabilis virtutis eligendo: musicam, adorando. Musica enim est laus, & in adoratiõe laudatur Deus: ethicam, percipiendo ista. Est enim uere moralis scientia, scire humiliari. De primo, Vbi est qui natus est rex Iudæorum? De secundo, Vidimus stellam eius in oriente, & uenimus adorare eum. De tertio, Obtulerunt ei munera. Cognouerunt. n. sicut arithmetici uim huius numeri, qui multiplex est. Dicit Philosophus in li. cæli & mundi, per hunc numerum nos magnificare unum Deum creatorem, eminentem omnibus creaturis: loquitur de trinitate. De quarto. Adorauerunt. De quinto. Procidentes. Sciunt quoque metaphysicam, primam causam cognoscendo. Cognouerunt autem tria de prima causa, quæ confessi sunt per tria munera quę obtulerunt. Cognouerunt enim illum puerum, qui est prima causa, omnium creatorem, omnium gubernatorem, omnium reparatorem. Creatorem confessi sunt in auro, ubi notatur potentia, sicut cantat Ecclesia. In auro, ut ostendatur regis potentia, quæ apparuit in creatione tripliciter. In modo, in causa, in materia. In modo, quia uerbo fecit omnia. psalm. 32. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. In causata, quia magna fecit. psalm. 110. Magna opera eius, exquisita in omnes uoluntates eius. In materia, quia de nihilo fecit. Genes. 1. In principio creauit Deus cælum & terram: terra autem erat inanis & uacua. Conseruatorem confessi sunt, uel gubernatorem in myrrha, quia præseruatiua est. Gubernat autem tripliciter, vniuersaliter omnia in esse conseruando: specialiter, omnia animalia educando: particulariter, indiuidua multiplicando. De primo, Sapient. 2. Quomodo aliquid permanere posset, nisi tu uolu sses &c. De secundo, psalm. 135. Qui dat escam omni carni. De tertio, psalm. 4. A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt. Reparatorem confessi sunt in ture: tus immolatur Deo, Christus autem immolatus fuit in cruce pro expiatione totius mundi. psal. 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo &c. Fecit autem tria fumus huius turis,

diabolum

diabolum fugauit, peccatores purgauit, & mundum Deo reconciliauit. De primo, Tob.2. Fumus eius extricat omne genus dæmoniorum. De secundo, Apoc.1. Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. De tertio, Ephes.5. Et semetipsum oblationem & hostiam Deo obtulit &c.

In festo Sanctorum Fabiani, & Sebastiani ex epistola.

SANCTI per fidem uicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, Hebr.11. In his uerbis tria notātur de his sanctis. Primo, inimicorum superatio: secundo, bona operatio: tertio, premii pro uictoria adeptio. Primum, ibi. Sancti per fidem uicerunt regna. Secundum, ibi. Operati sunt iustitiam. Tertium, ibi. Adepti sunt repromissiones.

Circa primum sciendum, quòd sancti uicerunt quatuor regna, quæ significata sunt per quatuor regna mundi maxima, quæ significauerunt quatuor bestiæ in Daniele.8. Primum regnum dæmoniorum: secundum, hęreticorum: tertium, tyrannorum: quartum falsorum christianorum. De his quatuor, Ephes.6. Quoniam non est colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, cōtra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Primum est regnum Chaldæorum, idest ferocium. Hoc est dæmonum, & istud significatur per leænam. 1.Pet. 6. Aduersarius vester diabolus. Secundum Persarum, idest tentationum. Hoc est tyrannorum, qui tentant patientiam sanctorum, quod significatur per ursum crudelem. Prouerb. 28. Leo rugiens, & vrsus esuriens &c. Tertium Græcorum, idest ruminantium. Hoc est hæreticorum, qui scripturas ore ruminant, sed nunquam ad intellectum ueniunt. 2.Tim.3. Semper discentes, & nunquam ad scientiam ueritatis peruenientes. Hi perditi sunt. Hiere.13. Si potest pardus mutare pellē suam: quia uix hæreticus conuertitur. Quartum regnū quod significatur per bestiam, quæ crudelior est omnibus, est regnum antichristianorum. Matth.24. Surgēt pseudo-

prophetæ

prophetæ, & pseudochristi,& dabunt signa magna, & prodigia,ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.Eodem capitulo.Erit tribulatio qualis antea nõ fuit &c.& 1.Ioan.4. Nunc autem antichristi multi facti sunt. Hoc circa primum. Circa secundum sciendum,quod sancti operantur quadruplicem iustitiã,quæ colligitur ex eo uerbo,Sancti.Prima est a malo recedere : secunda , omnia mundana contemnere:tertia,seipsos pro Christo crucifigere:quarta,in his usque ad finem persistere. De primo , Isa. 1.Quiescite agere peruerse.De secundo, Iacob.1. Qui uolunt esse amici,huius mundi &c.De tertio, Galat. 5. Qui autem sunt Christi,carnem suam crucifixerunt cum uitiis & concupiscentiis &c.De quarto,Matth.23. Non qui incęperit sed qui perseuerauerit usque in finem,hic saluus erit &c.Per primum est homo sanctus.i.mundus : per secundũ est sanctus,idest sine terra:per tertium est sanctus , idest sãguine tinctus:per quartum est sanctus,idest firmus.

Circa tertium sciendum,quod sancti consequuntur septem promissiones,quas fecit Dominus uictoribus suis in Apocalypsi,quæ significantur per septem præmia uincentia.Primum premium est ab omni malo liberatio.Apoc.2. Qui uicerit,non lædetur a morte.Secundum,corporũ sanctificatio.Apo.3.Qui vicerit,uestietur vestibus albis, idest dotibus corporis.Tertium,regni cælestis possessio. Apoc 3. Qui vicerit,dabo illi sedere in throno.Quartum, de omnibus perfecta cognitio.Apoc.2.Qui uicerit,dabo illi stellam matutinam,idest cognitionem bonorum omnium . Quintũ,plena in uisione hominis Christi dilectio. Apoc.2.Qui uicerit,dabo illi coronam uitæ,per quod intelligitur Christus.Sextum,perfecta diuinitatis fruitio.Apoc. 2. Qui uicerit,dabo illi mana absconditum.Septimum, in istis omnibus æternitas.Apoc.3.Qui uicerit,faciam illum columnã in tẽplo Dei mei, & foras nõ egredietur amplius.Amẽ.

De eodem ex euangelio.

BEATI pauperes,quia uestrum est regnum Dei, Lucæ,6.Frequenter loquitur scriptura de pauperibus.Vnde sunt tria circa eos cõsiderãda.Primo, quot

quot bona Dominus pauperibus faciat. Secundo, quot bona ipsa paupertas conferat. Tertio, quot bona fieri pauperibus ab aliis Dominus præcipiat. Circa primum sciendũ, quòd in sacra sciptura possunt colligi multa bona, quę Dominus facit pauperibus. s. a malis liberat, & bona donat. Liberat autẽ a malis tripliciter. Primo, ab inimicorum molestia, a tribulationum angustia, a necessitatũ inopia. De primo, Iob. 5. Eruet de manu uiolenti pauperem. De secundo, Iob. 33. Eripiet pauperẽ de angustia sua. De tertio, psal. 106. Adiuuit pauperem de inopia: Sic a malis liberato. Confert autem multa bona, exaudit in precibus, exaltat in hominibus, satiat dilectionibus, ditat diuitiis cælestibus, dat uitam æternam in his omnibus. De primo, psalm. 9. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus. De secundo, Iob. 36. Iudicium pauperibus tribuit. De tertio, psalm. 21. Edent pauperes, & saturabuntur. De quarto, Matth. 5. Beati pauperes spiritu. De quinto, Eccl 6. Quid uero pauperi nisi ut pergat illuc, ubi est uita? Circa secundum sciendũ, quod paupertas facit hominem timoratum a malis remouendo, disciplinatum bonis moribus ornando. De his duobus, Eccl. 10. Pauper gloriatur per disciplinam & timorem suum. Humilem in loquendo. Prouer. 18. Cum obsecrationibus loquitur pauper. Patientem, aduersa tolerando. Eccl. 14. Pauper læsus tacebit. Circa tertium sciendum, quod scriptura ostendit quid non sit pauperibus faciendum. Nõ sunt exprobrandi in uerbis, non sunt exasperãdi in factis, non sunt opprimendi in iudiciis. De primo, Prou. 18. Qui exasperat pauperem exprobrat factori eius &c. De secũdo, Eccl. 4. Non exasperes pauperẽ. De tertio, Isa. 3. Væ qui cõdunt leges iniquas: & post. Vt opprimant in uiis pauperẽ: ecce quod non est eis faciendũ. Sed quid est faciendum eis? Sunt expediendi in causis, eleemosyna eis danda in necessitatibus, audiendi in precibus. De primo, Prouerb. 31. Aperi os tuum, decerne quod iustum est, & vindica inopem & pauperem. De secundo, Ecclesi. 13. Et secundum uires tuas exporrigens da pauperi. De tertio, Prouerb. 21. Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur &c. Sunt autem quatuor

maxime

maxime reprehensibilia in pauperibus, superbia, gloria, otiositas, & delitiæ. De primo, Eccl. 25. Tres species odit anima mea, pauperem superbum, & diuitem mendacem, & senem fatuum & insensatum. De secundo, Eccl. 10. Qui aūt gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia? De tertio & quarto, Aug. Ne in monasterio, ubi quantū possunt, fiunt diuites laboriosi, fiant pauperes delicati &c. Rogemus ergo Dominum &c.

In festo Sanctæ Agnetis ex epistola.

LIBERASTI me a lingua iniusta, iniqua coinquinata, Eccl. vlt. Verba sunt isti sanctæ Agnetis gratias agentis pro sua liberatione. Clamat autem se a triplici lingua liberatam. s. coinquinata, in uita & iniqua. Inquinata fuit lingua impii ad coinquinationem exhortantis, lingua iniusta præsidis ad sacrificandum idolis imperantis, lingua iniqua turbę ut occideretur acclamantis. Hæc lingua mala, secunda peior, tertia pessima. Possunt istæ tres linguæ significare tres linguas, quæ conueniunt ad destructionem mundi. Prima diaboli ab Eua quærentis, secunda Euæ dubitatiue respondentis, tertia Adæ imprudenter excusantis. Diabolus primo quæsiuit, secundo falsum conclusit, tertio mendacium subiunxit. Primo, ibi. Cur præcepit uobis Deus &c. Secundo, ibi. Nequaquam moriemini &c. Tertio, ibi. Eritis sicut dii &c. Eua quod pro certo sciebat, dubitatiue posuit, ibi. Ne forte moriamur. Adam peccatum quod admisit imprudenter excusauit, ibi. Mulier quam dedisti mihi in sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Gen. 3. Istæ linguæ istis modis mortem in mundum uocauerunt. Sapien. 1. Deus mortem non fecit, & impii, idest diabolus, Adam & Eua manibus & uerbis accersierunt illam. Vel hæ sunt tres linguæ, quæ usque hodie mundum cōfundunt. Lingua coinquinata est lingua coinquinatoris, vel lenonis: iniqua, periurii vel blasphematoris: iniusta, detractoris. De prima Eccles. 37. Lingua multos fortes deiecit. De secunda, Prouerb. 17. Malus obedit linguæ iniquæ. Prouer. 7. Sex sunt quæ odit Dominus

Dominus,linguam mendacem &c.De tertio, Prou.18.Sepi aures meas ſpinis &c.& Sap.1.A detractione parcite lingua &c. Rogemus &c.

De eodem ex euangelio.

MEDIA nocte clamor factus eſt. Ecce ſponſus venit,exite obuiam ei &c.Matth.25. Tria notātur in uerbis iſtis circa aduentum Domini ad iudicium.Primo,ueniendi neceſſitas:ſecundo, ueniendi congruitas: tertio, ueniendi dignitas. Primum, ibi.Media nocte.Nox enim erit in vniuerſo mundo,& ideo neceſſarium erit tunc aduētus ueri ſolis,qui illuminet noctem illam horrendam.Secundo,ibi.Clamor factus eſt:congruum.n.erit ut aduentus tanti ſponſi prænuntietur. Tertium,ibi.Ecce ſponſus. Circa primum ſciendum, quòd tempus illud circa finem ſæculi dicitur nox propter quatuor.Primo,propter errorum obſcuritatem:ſecundo, propter ſoporis profunditatem:tertio,propter peccandi ſecuritatem:quarto,propter charitatis frigiditatem.De primo, Matth.22.Cum uenerit filius hominis putas inueniet fidē in terra?De ſecundo, Theſſ.5. Qui dormiunt, nocte dormiunt &c.Matth.25. Dormitauerunt omnes, & dormierunt.De tertio,1.Theſſ.5.Cum dixerint pax & ſecuritas. De quarto,Matth.26.Et quoniam abundauit iniquitas,refrigeſcet charitas multorum.Circa ſecundum ſciendum,ꝙ quadruplex clamor præcedet aduentum iudicis. Angelorū ad iudicium citantium, omnium creaturarum accuſantiū & impugnantium,malorum flentium & vlulantium,bonorū gaudentium & exultantiū.De primo,1.Theſſ.4.In uoce archangeli,& in tuba Dei deſcendet de cælo &c. De ſecundo,Abac.2.Lapis qui de pariete clamabit &c.Sap.5. Armabit creaturā in ultionē inimicorū.De tertio,Apoc.1. Tunc plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ &c. De quarto Iſa.65.Ecce ſerui mei clamabunt præ exultatione cordis. Circa tertiū ſciendum, ꝙ magnus ſponſus quatuor modis uadit ad magnam ſponſam.Primo, cum multa ſocietate: ſecundo,cum ornamentorum pretioſitate:tertio,cum ma-

gna iucunditate;quarto,cum multorum munerum largitate. Istis quatuor modis neniet Dominus ad iudicium ad bonos & malos. Malis apparebit iudex iratus: sed bonis, uel iustis sponsus benignus. De primo, Isa.3. Dominus ad iudicium ueniet &c. De secundo, Isa.66. Gaudens gaudebo in Domino &c. De tertio. psal.97. Flumina plaudẽt manu, simul montes exultabunt &c. De quarto, Prou.3. Longitudo dierum in dextera eius &c. Ista notantur in Euangelio. Matt.25. Cum uenerit filius hominis. Quia ergo venit placidus, debet exiri obuiam ei cum amore: quia gloriosus, cum festinatione: quia largus, cum gratiarum actione &c. Rogemus &c.

In festo Sancti Vincentii.

VINCENTI dabo edere de ligno uitæ, Apocal.3. Hæc uerba possunt exponi de beato Vincentio: & notantur hic duo. Primo, eius martyrium: secundo, eius præmium. Primum, ibi. Vincenti, & secundum, ibi. Dabo edere de ligno uitæ.

Circa primum sciendum, quod beatus Vincentius fuit secundum nomen suum uicens triplex bellum. [hostile], ciuile, & intestinum. Bellum hostile est bellum dæmonum, bellum ciuile mundi, bellum intestinum carnis. De his tribus, Ephes.3. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, supple tantum, ecce intestinum: sed aduersus mundi rectores, ecce ciuile: contra spiritualia nequitiæ, ecce hostile. Bellum hostile vicit firmiter in fide persistendo. Bellũ mũdi ipsum principem vincendo: vnde dixit. Victi sumus.

Circa secundum sciendũ, quod arbor uitæ dicitur Christus, quoniam ab eo oritur fructus triplicis uitæ, scilicet uitæ naturæ, uitæ gratiæ, & uitæ gloriæ. De primo, Genes.1. Insipirauit in faciem eius spiraculũm uitæ &c. De secundo, Ioan. 6. Verba quæ ego loquor uobis, spiritus & uita sunt &c. Faciendo enim spirituales conferunt uitam gratiæ. Ephes.6. Conuiuificauit nos in Christo. De tertio, Ioã. 6. Domine ad quem ibimus? verba uitæ æternæ habes &c. Ioan. 10. Ego uitam æternam do eis. Primo, beatus Vincentius

centius comedit fructum uitæ naturæ, tandem gratiæ, finaliter comedit fructum gloriæ. Vel moraliter. Vincenti quatuor regna (de quibus dicitur in sermone, Sancti per fidē vicerunt regna) septem debentur præmia, de quibus dicitur Apoc. 3. *Quære in festo sancti Sebastiani &c.*

De eodem.

BEATVS vir qui in sapientia morabitur. Itē, Vbi ego sum, illic & minister meus erit. *Requi re vtrunque in festo Sancti Tho. Archiepiscopi &c.*

In conuersione Sancti Pauli.

VAs electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus, & filiis Israel &c. Actuū. 9. Verba ista sunt de beato Paulo, in quibus duo dicuntur de eo. Primum est, quòd est vas electionis. Secundum, ad quid electum. Primum, ibi. Vas electionis: secundum, ibi. Vt portet. Circa primum sciendum, quòd beatus Paulus fuit vas pretiosum, sponsum dilectum, electum. Pretiosum, quia argenteum, aureum, gemmeum, cælicum. Argenteum, puritatē munditiæ conseruando. Prou. 15. Aufer rubiginem de argento. Aureum, charitate feruendo. Rom. 8. Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio &c. Gemmeum, incorruptibiliter in tribulationibus persistendo. Rom. 8. Certus sum quòd neque mors, neque uita, neque angeli &c. separabunt nos a charitate Dei quæ est in Christo Iesu. De his duobus. Prouer. 20. Aurum & multitudo gemmarum & uas pretiosum, labia scientiæ. Vas cælicum fuit uniuersum orbem illuminando. Eccl. 43. Sol in aspectu nuncians in excelsis. Vas admirabile &c. Illuminauit autem miraculis corruscando, verbis prædicando, exemplis demonstrando. De his tribus, Rom. 15. Non enim audeo loquī aliquid eorum, quæ per me non effecit Christus in uerbo & factis, in uirtute signorum & prodigiorum. Fuit ergo vas pretiosum. Fuit speciosum, quia multis

tis tunsionibus depuratum, opere diuino sanctificatum, omni lapide pretioso ornatum. De primo, 2. Corinth. 11. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius &c. per totum. 2. Timoth. 2. Si quis emundauerit se, erit vas sanctificatum ad omne opus bonum paratum. De secundo, Hierem. 18. Et conuersus fecit illud vas aliud, sicut placuit in oculis eius ut faceret Eccles. 43. Vas admirabile opus excelsi &c. De tertio, Eccles. 50. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Fuit ornatum nouem lapidibus pretiosis. i. nouẽ ordinibus angelorum, quorum officia exercuit, sicut patet in epistolis suis. Eze. 28. Omnis lapis pretiosus, operimentũ eius &c. Fuit ergo uas pretiosũ. Fuit electũ ad augurandũ ad potandum & ad portandũ. De primo, & secundo. Genes. 44. Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & augurari solet. De tertio, Act. 9. Vt portet nomen meum coram gentibus & regibus, & filiis Israel. Auguratus est Dominus in isto scypho futuras iniquitates iniquorum, resurrectionem mortuorũ, pœnas reproborũ, & gaudia beatorum. De primo, 2. Timo. 3. Scio quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa &c. De secundo. 1. Corinth. 15. Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale &c. Item, Propinauit vinum mordicans corrigendo, lætificans consolando, inebrians prædicando. De primo, psalm 59. Potasti nos vino compunctionis. Galat. 3. O insensati Galatæ &c. De secundo, psalm. 103. Vinum lætificat cor hominis. 1. Thessa. 4. Itaque consolamini &c. De tertio. Isa. 51. Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram. Item, fuit electum ad portandum tria munera Domino. Gen. 43. Sumite de optimis terræ frugibus in uasis uestris, & ferte uiro munera. Verbum est ad Patriarchas. i. Apostolos, quorum quilibet portauit munus suum. i. populum per se conuersum, sed maximum inter omnes portauit Paulus. Item, portauit thesaurum in uasis &c. Item, nomen Christi ut hic, ut portet nomen meũ. Fuit ẽt uas dilectũ a Deo patre, eũ consolando, 2. Cor. 1. Benedictus Deus & pater qui consolatur nos &c. Ab angelis, cũ eis cõuersãdo, 2. Cor. 12. Scio hoiem raptũ usque ad tertiũ cælũ &c. Philip.

Philip.4. Nostra conuersatio in cælis est. A sanctis eius gratiam admirando. 2. Pet. 3. Sicut charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scribit uobis. A peccatoribus, post eos currendo. Rom. 15. Ab Illyrico vsq; Hierusalem repleui euangelium Christi. Portauit autē Christum in corde semper de eo cogitando. Ephe 4. Habitare Christum per fidem in cordibus &c. in fronte de eo gloriando, Roma. 15. Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum &c. In ore, semper de eo loquēdo. In manu, omnia in nomine eius faciendo. Col. 3. Quæcūque facitis siue in uerbo, siue in opere oīa ad gloriā Dei facite &c. In cōuersatione, eum imitando. 1. Cor. 4. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi &c. In toto corpore mortem repræsentando 2. Cor. 4. Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circūferentes &c. In calamo, semper de eo scribendo, Roma. 1. Paulus seruus Iesu Christi. Fere in omnibus epistolis suis scribebat Iesum Christum &c.

In Purificatione Beatæ Mariæ ex epistola.

STATIM veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, Malac. 3. Hæc verba possunt exponi de aduentu Domini ad templum materiale. Secūdo, secundum allegoriam de aduentu eius in vterum Virginis. Secundum primum notantur quatuor in his verbis. Primo, veniendi velocitas, ibi. Statim veniet. s. post quadraginta dies a natiuitate: noluit enim plus differre, quin statim templum visitaret. Secūdo, loci ad quem veniet sanctitas, ibi. Templum sanctū. Tertio, aduenientis dignitas, ibi. Dominator & angelus: dominator, quia Deus: angelus, quia homo. 1. Tim. 2. Mediator Dei & hominū homo Christus Iesus. Quarto, Simeonis, & Annæ, & aliorum expectantium auiditas, ibi. Quæritis, & quem vultis: vultis, quo ad effectum: quæritis, in affectu. Isa. 45. Quærite Dominum dum prope est &c. Quinto, aduentus vtilitas, ibi. Testamenti. Fecit enim nobis in aduētu suo testamentum de æterna hæreditate. Hæb. 9. Ideo noui testamenti mediator est. Possunt autem hæc intelligi de aduētu

in vterum Virginis. Ipsa enim est templum Dei mirabile præ omnibus Sanctis. Primo, quia mirabiliter magnum secundum longitudinem per latitudinem charitatis. Sicut enim plus habuit de fide, spe, & charitate quàm aliqua creatura, sic plus habuit de magnitudine. 3. Reg. 6. Domus quam ædificauit Salomon, cubitos sexaginta longitudinis. Secundo, quia desiderabiliter pulchrum. 3. Reg. 6. Nihil erat in templo quod non auro tegeretur: quia nihil in Virgine quod non sanctitate plenum esset. Cant. 5. Tota pulchra es amica mea &c. Tertio, quia variis picturis depictum, quia omnium sanctorum & angelorum virtutibus decoratum. 3 Reg. 6. Fecit in templo Cherubin, & picturas. Quarto, quia columnis miris & magnis ornatum. Prou. 9. Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Per septem columnas possunt intelligi septem virtutes, quæ notantur in beata Virgine in hodierno euangelio. *Quære in alio processu* Quintò, opere totius trinitatis consecratum. psalm. 45. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Luc. 1. Spiritussanctus superueniet in te, Sexto, quia magna dignitate priuilegiatum est, vt omnes rei & malefactores, qui ad illum currunt, ex toto corde saluentur, sicut patet in Theophilo, & aliis pluribus. Bernardus. Ille taceat laudes tuas virgo, qui te in suis necessitatibus inuocatam defuisse senserit, & omnes orationes quæ in eo funduntur, exaudiuntur. 3. Reg. 8. Exaudias in cælo orationes eorum. Septimo, quia vt Dei filius ibi fieret, ædificatum. Heb. 7. Sicut & Christus semetipsum non glorificauit, sed qui locutus est ad eum &c. In ista fuit rex & sacerdos. Adeamus ergo cum fiducia ad templum gratiæ, vt misericordiam inueniamus in tempore opportuno &c. Rogemus &c.

In eadem ex euangelio.

POSTQVAM impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt puerum in Hierusalē &c. Lucæ. 2. In isto euangelio possunt notari septem virtutes in beata Virgine. Prima, humilitas in purgatione, cum non indigeret.

indigeret. Secunda, amor puritatis in superabundanti purgatione: & ista duo ibi. Dies purgationis. Quarta, reurrentia ad filium in portatione, ibi. Tulerunt. Quinta, deuotio in locorum visitatione, ibi. In Hierusalem. Sexta, gratiarũ actio in filii oblationem, ibi. Vt sisterent eũ Domino: quia tibi Domine quem dedisti offerimus. Septima, paupertas in oblatione, ibi. Duos turtures &c. quæ erat oblatio pauperũ. In hoc quòd beata Virgo voluit purgari cum non indigeret, docuit quomodo nos qui indigemus, debeamus purgari. Debemus autem purgari septem modis, sicut potest colligi ex textu. Primo, a peccati coinquinatione Eccle. 47. Christus purgauit peccata. Heb. 1. Purgationem peccatorum faciens. Secundo, in cognitione quo ad intellectum. 1. Tim. 1. Ex corde puro, idest, intellectu sine errore, dicit glosa. Iac. 4. Purificate corda duplices animo. Tertio, in affectu quo ad dilectionem. 1. Tim. 5. Qui inuocant Deum de conscientia pura. Quarto, in mente per rectam intentionem. 1. Corin. 5. Expurgate vetus fermentum, idest, hypochrisim Lucæ. 17. Attẽdite a fermẽto pharisæorum, quod est hypocrisis. Quinto in ore, quo ad locutionem. Prouerb. 15. Sermo purus pulcherrimus firmabitur ab eo &c. Sexto in manibus, quo ad operationem. 2. Tim. 2. Leuantes puras manus. Septimo in toto corpore, quo ad conuersationem. Isa. 1. Excoquam ad purum scoriam tuam, idest, conuersationem. Octauo in rebus, quo ad superfluorum resecationem. Ioan. 15. Omnem palmitem in me ferentem fructum, purgabit eum ut fructum plus afferat &c. Rogemus.

In festo sanctæ Agathæ.

DABO tibi vbera mea, Cant. 1. Possunt esse hæc verba beatæ Agathæ ad Christum. Commẽdatur in his verbis a tribus. Primo, a magna circa sponsum suum charitate, ibi. Tibi dabo. Quando quis dat id qđ charũ habet, signũ est ꝙ diligit. Secundo, ab intẽtionis puritate, ibi. Tibi, hoc est, ad honorem tuũ dimittã mihi præcidi mamillas. Tertio, a patientiæ firmitate, ibi. Vbera mea. Vbera. n. sunt sensitiua doloris. Tñ in hoc

quòd libenter sustinuit in passione earum, commendatur eius patientia: vnde in legenda. Ita ego delector in pœnis, sicut qui ad magnas epulas inuitatur. Moraliter autem per duo vbera, possunt intelligi intellectus, & affectus: ex illo fluit lac veritatis, ex illo lac bonitatis elicitur. Ista duo vbera debemus dare Domino, intellectum.s. & affectum. Intellectum quatuor modis. Primo, eum ab errore purgando: secūdo, a curiositate inanis scientiæ abstinendo: tertio, eum sub fide Christi captiuando: quarto, eum totum in Dei cōtemplatione occupando. De primo, Ephe. 4. Hoc dico & testificor in Domino, vt iam non ambuletis sicut gentes ambulāt in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem &c. De secundo, Roma. 1. Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. De tertio. 2. Cor. 10. In captiuitatem redigentes omnē intellectum in obsequium Christi. De quarto psal. 45. Vacate & videte quoniam suauis est Dominus. Debemus ei dare affectum quatuor modis. Primo, eum ab omni malitia purgando. Hiere. 4. Laua a malitia cor tuum. Secundo, omnem illicitum amorem ab eo excludendo. Tertio, licitum amorem, si non est propter Christum, ab eo expellendo. Augu. minus te amat, qui tecum aliud amat. Quarto, eum totum amore Christi replendo. Deut 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, idest, nihil sit ibi uacuum ab amore Christi. Si autem sic dederimus Domino intellectum & affectum, vterque remunerabitur quatuor modis in futuro. Primum præmium intellectus erit plena de omnibus cognitio. 1. Corinth. 13. Tūc cognoscam sicut & cognitus sum. Secundum, certa de omnibus comprehensio. Augu. Habemus vnum doctorem intellectus, quem semel vidisse, totum didicisse est. Isa. 50. Tunc videbis, & afflues, & dilatabitur cor tuum &c. Tertium perfecta de visione Christi exultatio: prorsus omni gaudio gaudium plenum erit, videre hominem hominis cōditorem. Quartum, beata diuinitatis cōtemplatio. 1. Ioan. 3. Tunc uidebimus eum sicuti est. Item primum præmium affectus erit ab omnibus miseriis liberatio. Apoc. 21. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis

sanctorum

sanctorum,idest,omnem causam lacrymarum.Secundum, de cunctis creaturis exultatio.Genes.18. Vide ad aquilonẽ & meridiem &c.Tertium,de visione supliciorum damnatorum iucundatio.psalm.57. Lætabitur iustus cum viderit vindictam impiorum.Isa.vlt.Egredietur,& videbunt cadere. Aug.in lib.de ciui.Dei.Neque enim Deus illum,non dico angelum, sed verum hominem crearet, quem malum futurum præsciret esse,nisi pariter nosset,quibus eum beatorum vsibus accommodaret,vnde ordinem sæculorũ tamquàm pulcherimum carmen quasi quibusdam antidotis honestaret. Quartum,de æternis delitiis perfruitio.Deu.7.Rerum omnium abundantia perfrui.1.Cor.15.Deus erit omnią in omnibus.Isa.28. in die illa erit dominus exercituum corona gloriæ, & sertũ exultationis residuo populi sui &c. Rogemus.

De eadem.

LIBERASTI me a lingua coinquinata. *Quære in festo sanctæ Agnetis.* Item, Inuẽta vna pretiosa margarita. *Quære in festo Sanctæ Margaritæ.*

In catedra sancti Petri.

BEATVS es Simon Bariona quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi.Mat.16.In hoc euangelio fit mentio de Christo, de Petro & de Ecclesia. De Christo dicuntur tria,eius humanitas, diuinitas,& æternitas.Primum, ibi. Tu es Christus,secundum quod homo dicitur Christus,idest,vnctus. Damasc. Vnctio ad humanitatem pertinere nemo qui sane sapiat, dubitat: ipse enim inquantum homo, vnctus est olio spiritus. Secundum, ibi.Filius Dei.s.per naturalem & æternam generationem:& sicut homo generat hominem,sic Deus Deum.Damasc.Generare est genus suum, uel maneriem alteri dare. psal.2.Ego hodie genui te.Tertium,ibi. Viui:viuum enim proprie dicitur viuum, quòd numquàm moritur, numquàm desinit esse,quod soli trinitati cõuenit Boetius Æternitas.

nitas est vitæ interminabilis tota simul &c. De Petro dicuntur etiam tria, sanctitas, ibi. Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis quæ polluunt, quòd est contrarium sanctitati. Sapientia, ibi. Sed pater meus qui in cælis est, supple reuelauit. Item, infra. Tu es Petrus idest, cognoscens. Dignitas, ibi. Tibi dabo claues regno cælorum. De Ecclesia, similiter dicuntur tria. Primum, fundamenti soliditas, ibi. Super hanc petram. Secundum, eius dignitas, ibi. Ecclesiã, & non malignantium, sed meam, quæ est gloriosa, munda, & recta. De quibus tribus, Ephes. 5. Vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ &c. Tertiũ eius inseparabilitas, vel perpetuitas, ibi. Et portę inferi. Portę inferi sunt peccata. psal 106. Appropinquauerũt vsq; ad portas mortis. Item, tyranni. psalm. ibidem. Portas ferreas confregit, idest, tyrannos humiliauit. Item, hæretici & dæmones: de quibus duobus, Iob. 38. Numquid apertæ sunt tibi portę mortis? quo ad dæmones: aut ostia tenebrosa viuisti? quo ad hæreticos. Item, portæ inferi. Isa. 37. Ego dixi indimidio dierum meorum: & post. Vadam ad portas inferi. Omnes istæ portæ non præualent aduersus sanctos, quia in securo positi sunt. psalm. 83. Beati qui habitat in domo tuo Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te Rogemus ergo.

In festo sancti Mathiæ Apostoli.

VENITE ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, Matth. 6. In his verbis quinque notantur. Primo, magna Dei benignitas. Secũdo, magna eius bonitas. Tertio, magna eius largitas. Quarto, magna nostra necessitas. Quinto, magna eundi ad eum vtilitas. Primum ibi. Venite. Magna prorsus benignitas, quòd excelsus Deus vocat tam uilissimum seruulum, sed ipse pôtest conqueri. Seruum meum vocaui ore proprio, & non respondit mihi. Secundum ibi. Ad me: bonum enim est, sicut dicit Diony. diffusiuum sui. vnde in hoc quòd seipsum effudit, seipsum dat. Notatur magna bonitas eius. Gen. 5. Ego sum merces tua magna nimis. Tertium, ibi. Omnes: est enim infinita bonitas sua, ideo vult se

infinitus

infinitis & omnibus communicare. 1. Tim. 6. Qui vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis peruenire. Quartum, ibi. Qui laboratis, & onerati estis. Laboramus onerati sub multiplici onere in præsenti. Primum est peccati grauitas, psal. 73. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Secundum, dæmonum malignitas. Deute. 26. Affixerunt vos Aegyptii, idest, dæmones, imponentes onera grauia. Tertio, prelatorum austeritas. Matth. 22. Alligant onera grauia & importabilia in humeros hominū &c. Quarto, corruptibilitas. Sap. 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Quinto, terrenorum cupiditas. Gene. 13. Et nequibant habitare communiter, erant quippe onerati, dicit alia translatio. Zacha. 5. Iniquitas sedet super te. Sexto, tyrannorum, vel secularium principum crudelitas. Osee. 8. Quiescent paulisper ab onere regis & principum. Septimo, morum bestialium hominum grauitas. Isa. 46. Bestiis & iumentis onera vestra portauimus graui pondere vsque ad lassitudinem &c. Octauo, mundi vanitas. Naum. 1. Onus Niniue, idest, mundi, dicit glo. Nono, pœnarum multiplicitas. Abacuc. 1. Onus quod uidit Abacuc. Et post loquitur de multis pœnis. Decimo, legum, constitutionum, obseruantiarum multiplicitas. Act. 15. Vt quid tentatis imponere onus, quod nec nos, nec patres nostri portare potuerunt? Vndecimo, proximorum indigentia. Gal. 6. Alter alterius onera portate. Duodecimo, moriendi necessitas. Eccles. 40. Occupatio magna creata est hominibus &c. Sub tot laboribus pressi necesse habemus concurrere ad Deum, qui nos liberare promittit, ibi. Ego reficiam uos &c. Quo cibo? Pane uitæ. Ioan. 6. Panis quē ego dabo, caro mea est pro mundi uita: Manna absconditο. Apocal. 2. Dabo ei manna absconditum: Ligno uitæ, Apocal. 2. Vincenti dabo edere de ligno uitæ. Primum, est corporis sui perceptio. Secundum, spiritualis deuotionis dulcedo. Tertium, sancti arboris uitæ magnus in fructibus spiritus. Galat. 5. Fructus spiritus gaudium, pax, patientia &c. hæc in præsenti. Sed in futuro quid? Quod dicitur Isa. 25. Faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium uindemiæ, pinguium

medulatorum, vindemiæ defæcatæ, Ad quod nos perducat Christus. Amen.

In festo sancti Gregorii ex euangelio.

AMEN dico vobis, super omnia bona sua constituet eum, Matth. 22. Dominus facit tria in isto euangelio. Primo, monet vt vigilemus. Secũdo, vt nos a fure obseruemus. Tertio, vt i bono opere perseueremus. Primum, ibi. Vigilate: secundum, ibi. Beatus ille seruus: tertium, ibi. Super omnia bona sua constituet eum. Circa primum sciendum, quòd debemus vigilare quatuor modis, Deum incessanter diligendo, semper ipsum considerando, eum deuote laudando, solicite orando. De primo, Cant. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat, quasi dicat. Siue comedam, siue bibã, siue dormiam, semper cor meum in amore sponsi mei vigilat. De secundo, anima mea desiderat te Deus meus, ad te de luce uigilo. De tertio. Ber. Consurge, lauda in principio uigiliarũ tuarũ. De quarto .1. Pet. 4. vigilate in orationibus Lucæ. 22. Vigilate, & orate &c. Circa secundum sciendũ, quòd debemus nos custodire a quadruplici fure. Fur est diabolus animam furando, detractor famam rapiendo, inanis gloria mercedem tollendo, dies Domini improuisus veniendo. De primo, Ioan. 10. Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat. De secundo, Eccle. 20. Potior est fur quàm assiduitas viri mendacis. De tertio, Osee. 7. Fur ingressus est spolians, latrunculus foris. &c. De quarto. 1. Thess. 5. Dies Domini sicut fur in nocte ita ueniet &c. A diabolo debem⁹ nos custodire ei resistendo, Iaco. 4. Resistite diabolo, & fugiet a uobis. A detractore, bene conuersando. 1. Pet. 2. Conuersationem uestram inter gentes habentes bonam. Ab inani gloria. Matth. 6. Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis &c. A die Domini, semper eam in sanctitate expectando. 1. Thess. 5. Vos autẽ, fratres, non est in tenebris: ut uos dies illa comprehendat. Tertio, monet perseuerare. Debemus perseuerare a bono non deficiendo, in bono proficiendo, spẽ mercedis nõ nisi in

aduentu

aduentu Domini ponendo. De primo, Galat. 6. Bonum autem facientes non deficiamus tempore enim suo metemus non deficientes. De secundo, psal. 83. Ibunt de virtute in virtutem. De tertio, Iacob. 5. Patientes igitur estote fratres, vsque ad aduentum Domini &c. Circa quartum sciendum, quòd bona Domini diuiduntur in tria, temporalia, spiritualia, & æterna. Temporalia dat Dominus seruis suis ad substentationem, spiritualia ad sanctificationem, æterna ad glorificationem. De primo, 2. Cor. 9. Qui administrat semẽ seminanti, & panem ad manducandum præstabit. De secũdo, Heb. 2. Qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes. De tertio, ibi habetur, Super omnia bona sua constituet eum, Quę bona det nobis Christus. Amen.

In festo sancti Benedicti ex epistola.

DILECTVS Deo & hominibus &c Ecc. 45. Hæc verba possunt exponi de beato Benedicto. Leguntur secundum literam de Moyse, qui prę figurauit beatum Benedictum propter sex. Primo, propter desertionem Ægypti. Secũdo, propter erimi petitionem. Tertio, propter multorum in eremum introductionem. Quarto, propter multorum miraculorum operationem. Quinto, pp futurorũ prædictionẽ. Sexto, pp interpretationẽ. Patet hæc de Moyse, & de beato Benedicto. Ille Ægyptũ deseruit, iste mũdũ: ille desertũ dilexit, iste eremũ: ille filios Israel in desertũ introduxit, iste monachos: ille dedit legẽ, iste regulã: ille multa miracula fecit, & iste: ille fuit Moyses re & nomine & iste Benedictus re & nomine: fuit enim assumptus de aquis carnalis concupiscentiæ. Hæc de Moyse in Exodo: & hæc de Benedicto in dialogo. Dicatur ergo, Dilectus Deo & hominibus. Tria sunt enim quæ faciunt hominem dilectum Deo. Primum, est cordis puritas. Prou. 22. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiã &c. Secundum, humilitas Iacob. 3. Humilibus autem dat gratiam. Luc. 1. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Tertium, charitas, Prou. 8. Ego diligentes me diligo. Item, tria faciũt hominem dilectũ hominibus scilicet sapiẽtia, benignitas & dulcis,

& dulcis loquela. De primo, Eccl.20. Sapiens in verbis se amabilem facit. De secundo, Prouerb.5. Mansuetis dat gratiam. De tertio. Prouerb.7. Verbum dulce multiplicat amicos. Habuit ista beatus benedictus, ideo fuit delectus Deo & hominibus: sed cum omnes homines appetant diligi, debent studere habere ista tria, quæ faciunt dilectum Deo & hominibus.

De eodem ex euangelio.

NEMO accendit lucernam & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrũ &c. Lucæ.11. Moraliter, cãdelabrum est vir iustus. Exod.21. Facies candelabrum ductile &c. Ductile dicitur, quia multis tribulationibus ad perfectionem ducitur. Act.14. Per multis tribulationes oportet introire in regnum Dei &c. Aureum totũ, quia facit omnia in charitate. Col.6. Omnia vestra in charitate fiant. Tres calami ex vno latere, tres partes pænitentiæ, quæ respiciunt statum pænitentiæ: tres ex alio, tres virtutes theologicæ, quæ respiciunt statum gratię. Scyphi sunt beatitudines, alias fructus spiritus: sportulæ, dona Spiritussancti. De beatitudinibus, Math.5. De fructib⁹ spiritus, Gal.5. De Donis Spiritussancti. psa.11. In isto candelabro ponentur septẽ lucernæ. Prima ratio, Iob.8. Lucerna, quæ super caput eius est, idest, superiori parte animæ, extinguetur, idest, obtenebrescet propter multa peccata. psal 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine &c. Secunda, diuina inspiratio, Prouer. 20. Lucerna Domini spiraculum hominis. Tertia, verbum & lex diuina. psal.118. Lucerna pedibus meis verbum tuũ. Prou.6. Mandatum lucerna est, & lex, lux. Quarto, virtus infusa. Iob.29. Quis mihi tribuat? & post. Quando splendebat lucerna eius super caput meum, idest, mentem. Quinta, bona operatio. psa.17. Tu illuminas lucernam meam Domine: quia a Deo est q̃ opera nostra luminosa sint. Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus &c. Sexta, recta intentio. Math.6 Lucerna corporis tui est oculus tuus, idest, intentio. Septimum, Christus. Apoc.21. Lucerna eius est agnus propter multa. Zach.4. Vidi, & ecce candelabrum aureum

teum totum,& septem lucernæ eius &c.Rogemus.

In annuntiatione Beatæ Mariæ ex epistola.

EGREDIETVR virga de radice Iesse,& flos de radice eius ascendet, Isa.11.Hæc verba prophetæ fuerunt de conceptione Domini nostri Iesu Christi. Circa quam tria dicũtur in eis. Primo,dignitas concipientis:secũdo,dignitas concepti:tertio,vtilitas conceptionis. Primum,ibi. Egredietur. Secundum,ibi.De radice.Tertium, ibi. Requiescet. Circa primum notandum, quòd beata Virgo est speciosa, gratiosa, gloriosa. Speciosa propter candorem virginitatis, ruborem charitatis,& rectitudinem sanctitatis,benignitatem humilitatis, propter flores desiderabilium morum, propter pulcherrima folia dulcium verborum. De primo & secundo. Cant.1.Ecce tu pulchra es amica mea.De tertio,psa.44.Virga directionis virga regni tui.De.4.Lucæ.1.Respexit humilitatem ancillæ suæ.Cant.3.Quę est ista quæ ascendit sicut virgula fumi?De quinto & sexto,Iudith.11. Non est talis mulier super terram in aspectu , quo ad pulchritudinem: in sensu verborum,quo ad locutionem,& de his similibus. Cant.3. Ferculum fecit sibi rex Salamon de lignis libani, ecce candor puritatis: columnas eius,ecce rectitudo sanctitatis;argenteas quæ cantum dulcem reddunt, ecce dulcedo locutionis,siue verborum:reclinatorium aureum,ecce humilitas :ascensum purpureum, ecce honestas morũ: media charitate constrauit,ecce charitas. Est ergo speciosa. Est & gratiosa pp multas vtilitates , quæ sunt sex . Prima, quia mare nobis diuisit,idest,mundum,ut transeamus. Exo.14. Tu leua virgam,& percuties &c. Secunda , quia de petra Christus nobis produxit aquã gratiæ , vt bibamus. Nũm. 20.Tolle virgam,& loquere ad petrã corã eis, & illa dabit aquas &c.Tertia,quia mel dat nobis deuotionis,vt reficiamur.1.Regum.13.Extendit summitatẽ virgæ , & intinxit in fauũ mellis.Quarta,quia per ipsam diabolũ superamus. 2.Reg.23.Cũq; descendisset ad eũ in uirga, ui extorsit hastã de manu Aegyptii.i.diaboli.Quinta, p ipsam diuinã clementiam impetramus.Hesther.4. At ille ostendit ei virgã, in

in qua signum clementiæ monstrabatur. Sexta, quia per eã de manibus inimicorum omnium liberamur. psal. 109. Virgam virtutis tuę emittet Dominus ex Sion. De his Cant. 4 Quę est ista quę ascẽdit per desertũ &c. Est & gloriosa, quia floriuit sine humore, fronduit sine corruptione, parturiuit sine læsiõe. De his tribus Nu. 17. Inuẽta est virga Aaron. Itẽ gloriosa, quia etiam a Magis prophetata, ab hominibus prędicata, & ab omnibus generationibus beatificata. De primo. Num. 23. Orietur stella ex Iacob. De secundo. Isa. 15. Egredietur virga de radice Iesse &c. De tertio, Luc. 1. Beatam me dicent omnes generationes. Est ergo ista Virgo speciosa, & gratiosa, & gloriosa. Egressus est flos, idest Christus, qui dicitur flos, quia fuit pulchritudo sanctitatis, odor benignitatis, medicina sanitatis. De primo & secundo. Can. 2. Ego flos campi, quo ad primum: & lilium conualliũ, quo ad secũdum. De tertio. 1. Petr. 3. Cuius liuore sanati sumus, ecce dignitas concepti. Sequitur vtilitas conceptionis, quæ fuit omnium peccatorũ destructio, idest. Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ vt destruat luxuriam, intellectus vt gulam, cõsilij vt auaritiam, fortitudinis vt accidiam, scientiæ vt inuidiam, pietatis vt iram, timoris vt superbiam &c.

De eadem.

BENEDICTA tu in mulieribus &c. A Deo patre, quia in eodem filio secum cõmunicas: a filio, quia dignum habitaculũ ei præparas: a Spiritusancto, cuius operatione Saluatorem mundi generas. De his tribus, Luc. 1. Spiritussanctus superueniet in te, quo ad Spiritum sanctũ: virtus altissimi, quo ad patrem: ideoque quod nascetur ex te sanctũ, quo ad filiũ. Ab angelis, quia eorũ vitã in terra ĩchoas, eorũ ruinã reparas, eorũ te allocutionibus humilias. Inchoauit vitam angelorũ, quia instituit vitã virginũ. Hieron. Virginitas soror est angelorum. Idem, In carne præter carnem viuere, non est terrena vita, sed cælestis. Reparauit ruinas eorum, quia genuit eum qui reparauit. Ephe. 1. In quo proposuit instaurare omnia, siue quæ in cælis sunt, siue

ue quæ in terra. Eorum se allocutionibus consentiendo humiliauit. Luc.1. Ecce ancilla Domini. Beata ergo ab angelis. Benedicta & a peccatoribus, quia eos de angustia liberas, in periculis adiuuas, & de peccatis veniam impetras. De primo, Bernardus. Ille taceat tuas laudes, Virgo beata, qui te in suis necessitatibus inuocatã defuisse sentierit. De secũdo, Idem. In periculis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam inuoca. De tertio, recordare Theophilum liberatum. Item, exemplum fratris Martini Cisterciensis: exemplum Dominæ, cuius filius fuit captus: exemplum sororis regis Franciæ, quomodo postea habuit raptus. Item, benedicta a iustis, quia exaudis in precibus liberas in tentationibus, augmentas gratiã in virtutibus. De secũdo & tertio in hymno. Pia mater & humilis, naturæ memor fragilis, in huius vitæ fluctibus, nos rege tuis præcibus. Ber. O homo securũ habes accessum ad Deum &c. De secundo. Nume.24. Consurget virga de Israel ex his, & percutiet duces Moab &c. Est ergo benedicta a iustis. Est & benedicta a mulierib⁹, quia eas ab inimicis liberas, quo ad virum excusas, quo ad Deũ honoras. Mulieres enim per peccatum a diabolo tenebantur, a Deo aspernabantur: sed beata Virgo ab inimicis liberauit, quia Christus filius eius diabolum destruxit. Heb.2. Vt per mortem destrueret eum qui mortis habebat imperium, idest, diabolum. Quo ad virum excusat: si dicit vir. Propter te damnor: mulier potest respõdere, per me saluaris. Item, honorauit quo ad Deum, quia idem est filius Dei, & filius mulieris. Galat.3 Misit Deus filium suum natum ex muliere: propter hæc tria dicuntur de ea Iudith.15. Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Es ergo benedicta a mulieribus, benedicta ab omnibus creaturis: quia eas a coinquinatione liberas: quia earum creatorem lactas i. peccata mundas: quia eas in statum pristinum renouas. Filius enim quem genuit, creaturas omnes creauit, eas emundauit, ipsas renouauit. De primo, Io.1. Oĩa per ipsum facta sunt. De secundo, Apoc.1. Lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. De tertio, ps.103 Emitte spiritũ tuũ, quo. s. virgo concepit: & renouabis faciem terræ &c. Apoc.21. Et dixit qui sedebat in throno. Ecce noua

te noua facio omnia. Benedicat te, Virgo beata, Deus pater, Deus filius, Deus Spiritussanctus. Benedicant te angeli, peccatores, iusti, mulieres, & omnes creaturæ &c.

De sancto Ambrosio.

ECCE examen apum erat in ore leonis, & fauũ mellis, Iudic. 14. Possunt hæc verba exponi de B. Ambrosio. Et notantur hic tria ad commendationem eius Primo, miraculosa apum in ore eius apparitio. Secundo, multiplex eius commendatio. Tertio, sanctarum scripturarum ab eo expositio. Primum, ibi. Ecce apparuit examen apum. Ad literam, quando iacebat in cunabilis, venit examẽ apum, & intrauit in os eius, & post visum est volare ad cælum, sicut dicitur in legenda sua. Secundum, ibi. In ore leonis. Dicitur autem leo B Ambrosius propter septem, quæ sunt in leone. Primo, nobilitas in dignitate, quia est rex ferarum, & iste nobilis Romanus, & princeps Liguriæ. Secundo, fortitudo in virtute, & iste fortissimus: quia quasi totus mundus coniurauit contra eũ, & obtinuit. Tertio, audacia in magnanimitate: aggreditur enim omnia ardua. Et iste audax, quia aggressus imperatorem & imperatricem, & pene vniuersum orbem. De his duobus. Prou. 30. Leo fortissimus bestiarum, ecce primum: ad nullius pauebit occursum, ecce secundum. Quarto, confidentia in securitate. Prou. 28. Iustus quasi leo absque terrore erit. Quinto, benignissimus valde, sicut dicitur in legẽda sua. Sexto, ferarum timor in terribilitate. Leo enim in rugitu suo & terret feras. idest hæreticos, & carnales terruit rugitu prædicationis. Amos. 3. Leo rugiet, & quis nõ timebit? Septimo, prudentia in vestigiorum suorum occultatione: occultauit enim opera per bonam intentionem. Matth. 15. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis &c. Tertium nota, ibi. Et fauũ mellis. Quadrupliciter fauum mellis fuit in ore eius. Primo, sanctarum scripturarum expositio. Prou. 18. Mellis fauus verba composita. Secundo, mentis deuotio. Prou. 24. Comede, fili mi, mel, & fauum dulcissimum. Tertium, dulcis allocutio

tió Cāt.4. Mel & lac sub lingua tua. Tertio, diuinitatis fruitio. Prou.25. Sicut qui mel multum comedit. Moraliter nota, illa septem quæ dicta sunt de leone, & quatuor de fauo, sunt necessaria cuilibet iusto. Debet enim quilibet studere quòd habeat rectam intentionem in operatioue, sanctum rugitum in oratione, pietatem in compassione, magnanimitatem in arduorum aggressione, securitatem sine malo timore, fortitudinem in perseuerantia, nobilitatem in bonis motibus, verbum Dei in ore, deuotionem in corde, dulcem allocutionem in lingua, perfruitionem diuinitatis in oratione æternitatis, Ad quam nos perducat. Amen.

De eadem ex epistola.

ECCE sacerdos magnus qui in dieb⁹ suis placuit Deo. *Quære in festo sancti Nicolai.*

In festo Paschali.

HAEC dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. His verbis, primo solemnitas resurrectionis commendatur, ibi. Hæc dies quam fecit Dominus. Secundo, quid sit nobis faciendum indicatur, ibi. Exultemus &c. Circa primum nota, quia signanter dixit, hæc dies, cum pondere: quia dies admirabilis, amabilis, desiderabilis. Admirabilem cæli prædicāt, terra demonstrat, inferi clamant. Cæli angelos transmittēdo, terra contremiscendo, inferi mortuos restituēdo. De primo, Matth. vlt. Angelus autem Domini descendit de cælo. De secundo, Ecce terræmotus factus est magnus. De tertio, Matth.26. Multa corpora sanctorum surrexerunt &c. Hæc est ergo dies admirabilis: quia in ea mors superatur, vita reparatur, aditus æternitatis reseratur. De primis duobus Gregorius in præfatione. Qui mortem nostram moriendo destruxit & vitam resurgendo reparauit &c. De tertio. Idē in oratione. Deus qui hodierna die p vnigenitū æternitatis aditū nobis deuicta morte reserasti &c. est ergo admirabilis. Est & desiderabilis a cælis, vt reparentur: a terris, vt illuminentur:

nent:a mortuis, vt suscitentur:hac.n.die cęli reparãtur, terrę illuminantur, mortui suscitantur. Cæli reparantur, quia surrexit qui cæli ruinas reparat. Ephes.1. In quo proposuit instaurare vniuersa, siue quæ in cælis siue quæ in terra &c. Et hodie illuminaťterra lumine solis, & lunæ, & stellarũ. Sol Christus, luna angelus, stellæ Mariæ, quæ stellæ interpretantur. Sol enim illuminat hanc diem luce gloriæ, angelus claritatis suæ luce, Mariæ radiis lætitiæ. Christus.n. hodie gloriosus tamquàm sol verus de sub terris egrediẽs, mundum sua gloria illuminauit:angelus de cælo descẽdẽs, claritate sua mundum illustrauit. Matth. vlt. Erat autem aspectus eius sicut fulgur. Mariæ tamquàm stellæ surgentes tenebras tristitiæ de cordibus Apostolorũ radiis lætitiæ fugauerunt. Io 20. Maria Magdalene annũtiãs discipulis &c. Terræ ergo illuminantur:sed & mortui suscitãtur. 1 Cor. 15. Nunc autem Christus surrexit a mortuis primitiæ dormientium &c. Exultemus & lætemur in ea: lætemur intus in anima, exultemus extra in corpore. Intus debemus lætari tripliciter Primo, Christo resurgenti congaudendo. Secũdo, a morte cũ eo resurgẽdo. Tertio, ĩ spe nostræ resurrectionis hodie inchoatę iubilãdo. Primum docent nos Apostoli, Lucæ vlt. Gauisi sunt discipuli viso Domino. De secundo, Colo.3. Si consurrexistis cũ Christo quæ sursum sunt quærite &c. De tertio, 1. Cor. 15. Si Christus resurrexit, & nos resurgemus. Debemus extra exultare tripliciter. Primo, in nouitate vitæ, quo ad morum honestatem ambulando: secundo, diem festum celebrando. tertio, Christo resurgenti laudes decantando. De primo, Rom. 6. Quomodo Christus resurrexit per gloriam patris:& post, Ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. De secundo, Exod. 13. Celebrabitis hanc diem solemnem Domino in generationibus vestris &c. De tertio, psa. 67. Psallite Deo, qui ascendit &c. Primo, super mortem. Greg. Neque fas est vt hac die sileat a diuinis laudibus lingua carnis, in qua caro resurrexit authoris. Exultemus ergo & lætemur in die resurrectionis Christi, vt tandem cum eo lætemur in die resurrectionis nostræ.

In festo Sancti Georgij ex euangelio.

SI QVIS vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suã, & sequatur me &c. Lucæ.9. Duo facit Dominus in his verbis. Primò, ad eundum post se inuitat. Secundo, quæ sunt necessaria ad hoc demonstrat. Circa primum notandum tria. Primum est euntium post eum paucitas: secũdũ, arbitrii libertas: tertium, magna Domini bonitas. Primum, ibi. Siquis, quasi dicat, rarus ẽ qui velit. Bernardus. Quàm pauci sunt, Domine Iesu, qui post te venire velint, quàmq̃ nõnulli qui ad te venire velint. Secundum, ibi, Tollat, quasi dicat, in voluntate hominis est ire & non ire: quia si facit quod in se est habilitando se, Deus facit quod in se est gratiam infundẽdo. Eccl.15. Apposuit tibi bonum & malũ &c. Tertium, ibi, Post me. Magna prorsus bonitas, quia omnes voluit facere de familia sua, & post seducere. Io.5. Eũ q̃ venerit ad me, non eiiciã foras: non sic reges & principes mundi. Circa secundum sciendum, quòd tria sunt necessaria euntibus post Christũ. Primum est proprię voluntatis abnegatio: secundum, carnis mortificatio: tertium, Christi imitatio. Primum, ibi. Abneget semetipsum, idest, propriã voluntatem. Secũdum, ibi. Tollat crucem suam, idest, carnis mortificationem. Tertium, ibi. Sequatur me. Circa primũ sciendum, quòd maxime propter tria oportet nos relinquere propriam voluntatem. Primo, quia confundit: secundo, quia in manum inimicorum adducit: tertio, quia abnegatio propriæ voluntatis de inferno eripit. De primo, Osee. 10. Confundetur Israel a voluntate sua. De secũdo, Eccl.18. A voluntate tua auertere: & post. Si præstes aĩa tuæ concupiscentias eius faciet te in gaudium inimicis tuis. De tertio, Bernardus. Tolle propriã volũtatẽ, & nõ erit Ifernus. Circa sm sciẽdũ, ꝙ crucẽ debem⁹ tollere in corde, vt de ea semp cogitem⁹: ĩ frõte, vt de ea gloriemur: ĩ toto corpore, vt mortificemur. De primo, Heb.3. Recogitate eũ qui aduersus semetipsum talẽ sustinuit cõtradictionẽ &c. De secũdo, Gal. 3. Mihi aũt absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu

Christi &c. De tertio, ibidem. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt. 2. Cor. 4. Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circunferentes &c. Circa tertium sciendum, quòd in tribus maxime debemus eum imitari, in charitate, humilitate, & benignitate. De primo, Io. 11. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem. De secundo. Matth. 11. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde &c. De tertio. Ephes. 5. Estote inuicem benigni, donantes vobis inuicem, sicut Christus donauit vobis &c. Rogemus &c.

In festo sancti Marci ex euangelio.

PATER meus agricola est, Ioan. 15. Iesus dicit patrem suum agricolam, quia colit multiplicé agrũ. Quatuor sunt agri, mundus, Christus, iustus, & cælestis paradisus. De primo. Matth. 13. Ager est mundus. De secundo. psalm. 49. Pulchritudo agri mecum est. De tertio, Prou. 2. Diligenter exerce agrum tuum, idest, temetipsum, loquitur de viro iusto. De quarto, Prouerb. 31. Considerauit agrum, & emit ipsum. Augusti. Inardescamus, obsecro, ad possidendum agrum illum, vbi tanta pulchritudo est. Primum agrum, idest, mundum colit iste agricola quatuor modis. Primo, diuersa semina, idest, multiplices creaturas in eo seminando. Secundo, eadem semina & creaturas multiplicando. Tertio, ne fata, idest, creaturæ deficiant conseruando. Quarto, zizania supernascentia extirpãdo. De primo, Matth. 20. Seminauit bonum semen in agro suo. De secundo, Gen. 1. Germinet terra herbam virentem. &c. De tertio, Ioan. 1. Quod factum est, in ipso vita erat. Sap. 11. Quomodo aliquid potest permanere nisi tu voluisses? De quarto, Mat. 13. Colligite primum zizania &c. Primum facit in opere creationis, secundum in opere propagationis, tertium in opere gubernationis, quartum in opere retributionis. Agrum secundum Christus colit similiter quatuor modis. Primo, omnia virtutum semina

in eo ſeminando. Secundo, gratiarum aquis irrigando. Tertio, ipſum fodi permittendo. Quarto, fimum ſputorum & opprobriorum poni dimittendo. De primo, Gene. 27. Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni &c. De ſecundo, Gene. 2. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis &c. Secundo, Chriſtus quidem diuidiur in quatuor capita, quia de plenitudine eius omnes accepimus. Ioan. 1. Vidimus gloriam eius &c. De tertio, pſalm. 21. Foderunt manus meas & pedes meos &c. De quarto, illud pſalm. 68. Infixus ſum in limo profundi. & Tren. 3. Saturabitur opprobriis. Agrum tertium, ideſt, iuſtum colit ſimiliter quatuor modis. Primo, fructificationem vitiorum extirpando. Secundo, aratro cõtritionis ſcindẽdo. Tertio, ſemina uirtutum ſeminando. Quarto, aquis lacrymarum irrigãdo. De primo, Boetius. Qui ſerere volet ingenum agrum, liberet arua fruticibus. De tertio, & ſecundo, Iſaia. 28. Numquid quotidie arabit arans? & poſt. Seret gith, & cyminum. De quarto, Eccleſ. 24. Rigabo hortum meum. Agrum quartum, ideſt, paradiſum, colit quatuor modis. Primo, malas herbas extirpando, ideſt, dæmones. Secundo, arbores pulcherrimas, ideſt, ordines angelorum in ea plantando. Tertio, flores pulcherrimos, ideſt, lilia virginum, & roſas martyrum & violas confeſſorum in ea plantando. Quarto, fluminibus gaudiorum irrigando. De primo, Apoca. 12. Proiectus eſt draco ille magnus &c. Propterea lætamini cæli & qui habitatis in eis. De ſecundo. Ezech. 31. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo Dei. De tertio, Cant. 2. Flores apparuerunt in terra noſtra. Cant. 4. Dilectus meus qui paſcitur inter lilia. De quarto, Ezech. 45. Ecce aqua redundat &c. Primus fluuius eſt gaudium de creatura corporali. Secundus, de ſocietate angelorum. Tertius, de Chriſto homine. Quartus, de gloria diuinitatis: & iſtud non poteſt tranſmeari, quia infinitum eſt &c. Rogemus &c.

De eodem ex euangelio.

IN domo patris mansiones multæ sunt, Ioan. 16. Domus ista vita æterna. psa. 121. In domum Domini lætãtes ibimus. In hac domo possumus distinguere sex mãsiones. Tres sunt angelorum, & tres sanctorum. In prima mansione stat superior hierarchia, quę cõtinet tres cameras. In prima calor, in secunda splendor, in tertia quies: quia in prima Seraphim, in secunda Cherubim, in tertia Throni. In secunda mansione stat media hierarchia, quæ continet tres cameras. In prima exhibetur regi reuerentia, in secunda dantur regis imperia, in tertia sunt milites qui exercent prælia. In prima principatus, qui docent reuerentiam: in secunda dominationes, quæ distribuunt dominia: in tertia potestates, quæ arcent potestates aereas. In tertia mansione est tertia hierarchia, quæ continet tres cameras. In prima, declaratur regis maiestas: in secunda, reuelantur eius secreta: in tertia, nuntiatur eius voluntas. In prima sunt virtutes, quæ miracula faciunt: in secunda archangeli, qui maiora secreta prædicant: in tertia angeli, qui Dei voluntatem nuntiant hominibus. Istæ sunt mansiones angelorum. Sunt ibi & mansiones sanctorum. In prima stant milites, quorum fortitudine Ecclesia defensatur: in secunda sapientes, quorum consiliis gubernatͬ: in tertia domicelli & domicellæ, quorũ pulchritudine decoratͬ. In prima sunt martyres, ĩ secũda cõfessores, in tertia virgines. In prima mansione militum sunt tres cameræ. Alii. n. pugnãt pro amore regis, alii pro defensione regis, alii ꝑ zelo iustitiæ. Quidã. n. sunt martyres pro fide, quidam pro doctrina, quidã pro iustitia. Primi mortui sunt pro Christi amore, vt Stephanus, & alii plures, isti pertinent ad Seraphim: quidam pro doctrina vt prophetæ, isti pertinent ad Cherubim: quidam pro iustitia, vt Ioannes Baptista, & plures alii, isti pertinent ad Thronos, ad quos pertinet iustitia. In secunda mansione continẽtur similiter tres mansiones. Confessorum enim quidam sunt religiosi, quidam prælati, quidam coniugati. Primi pertinent ad principatum, secundi ad dominationes, tertii ad potestates. In tertia autẽ mansione sunt similiter tres cameræ. Virgines enim

quædam

quędam sunt mulieres, quidam homines, & quidam pueri: mulieres ad virtutes, homines ad archangelos, pueri ad angelos pertinent. Videat quilibet in quo ordine est, & quam cameram habebit in cælo. Sunt autem sex, quæ nos debent mouere vt curramus ad domum istam. Primo, magnitudo. Baruc. 3. O Israel, quàm magna est domus Dei. Secundo, pulchritudo. psal. 23. Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis suæ. Tertio, abundantia gloriæ. psal. 111. Gloria & diuitiæ in domo eius. Quarto, lætitia. psal. 121. In domum Domini lætantes ibimus. Quinto, laus continua. psal. 83. Qui habitent in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Sexto, æternitas. 2. Cor. 5. Domum habemus non manu factam, æternam in cælis &c.

In Inuentione sanctæ Crucis ex epistola.

MIHI aũt absit gloriari nisi in cruce Dñi nostri Iesu Christi, Gal. 6. Gloriari oportet in cruce tribus modis. Gloriari in cruce, i. in amore Christi, quem ostendit nobis in cruce: vel gloriari in cruce, i. in imitatione. Circa primum sciẽdum, quòd in quinque ostendit maxime amorem suum nobis in cruce. Primo, quia dilexit nos plus quàm matrem, cuius dolorẽ pro nobis contempsit. Secundo, plusquàm proprium sanguinẽ, quem pro nostra ablutione fudit. Tertio, plusquàm animã, quam pro nostra redemptione posuit. Quarto, plusquàm vitam suam, quam vt nos viuificaret dedit. Quinto, plusquàm corpus proprium, quod percutienti, ne homo percuteretur, apposuit. De primo, Luc. 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. De secundo, Apoc. 1. Qui dilexit, & lauit nos in sanguine suo. De tertio, Io. 15. Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. De quarto, Qui mortem nostram moriendo destruxit &c. De 5. Esa. 53. Propter scelus populi mei percussi eum. Circa secundum sciendum est, quòd quinque bona maxime fecit Christus in cruce. Primum est, quòd ab inferno liberauit. Secundum, quia virtutem peccati debilitauit.

Tertium, quia diabolum expugnauit. Quartum, quia mortem superauit. Quintum, quia cælum referauit. De primo, & quarto Osee 13. Ero mors tua o mors &c. De secundo, Ro. 6. Vetus homo noster crucifixus est &c. De tertio, Heb. 2. Vt per mortem destrueret eum qui mortis habebat imperium. De quinto, Isa. 23. Dabo ei clauem Dauid, super humerum eius &c. Dauid Christus, domus est paradisus, clauis est crux, quã ad literam portauit super humerum suum. Io. 19. Et baiulans sibi crucem exiuit in locum &c Circa tertium sciendum, quòd quinque maxime ostendit in cruce, in quibus ipsum imitari debemus. Primo, in charitate. Ioã. 15. Maiorem charitatem nemo habet: secundo, in humilitate: tertio, in obedientia. De his, Philip. 2. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem &c. Qoarto, in patientia. 1. Petr. 2. Qui cum malediceretur, non maledicebat. Quinto, in mansuetudine. Hiere. 12. Ego quasi agnus mansuetus ad occisionem ductus &c. 137

In festo sancti Ioannis ante portam Latinam ex euangelio.

VIDIT illum discipulum quem diligebat Iesus, Ioan. vltim. Commendatur in hoc euangelio B. Ioannes a sex. Primo, ab humilitate, ibi. Discipulum: secundo, a Dei charitate, ibi. Quem diligebat: tertio, a Dei familiaritate, ibi. Qui recubuit: quarto, ab amoris suauitate, ibi. Sic eum volo manere, hoc est, sine martyrio transire: quinto, a sapientiæ profunditate, ibi. Qui testimonium perhibet de his, scilicet tam profundis: sexto, a testimonii veritate, ibi. Et scimus quia verũ est testimonium eius. Moraliter vidit illum discipulum quem diligebat Iesus, qui dilexit lectiones quas ipse docuit. Sunt autem nouem quæ scriptura docet nos facere. Primum, a malo discedere. Deut. 4. Discant timere Deum. In timore autem Domini declinatur a malo, sicut dicitur Eccles. 1. Timor Domini expellit peccatum: nã qui sine timore est non poterit iustificari. Secundo, de malis præteritis iustitiam facere. Isa. 26. Misereamur impio, & non discet facere iustitiam. Grego. Iustus debet discere facere

re iustitiam. Tertio, bonum cognoscere, Deut. 6. Discite ea loquitur de mandatis. Quarto, in bono delectari. Prouer. 5. Discite sapientiam, quæ est cognitio cum gustu. Quinto, bene, operari. Isa. 1. Discite bene facere. Sexto, in omnibus bene conuersari. Ecclesi. 16. Audi me, fili, & disce disciplinam sensus. Septimo, in omnibus operibus rectam intentionem habere. Sap, 9. Quæ tibi placent didicerint homines. Octauo, in omnibus bonis humiliari, Matth. 11. Discite a me, quia mitis sum. Nono, regno Dei approximari. Matth. 23. Ab arbore fici discite parabolam. Ista nouem sunt necessaria, & sufficiunt ad salutem. Primo necesse est vt quis a malo recedat. Secundo, vt pænitentiam agat. Tertio, quòd bonum faciendum cognoscat. Quarto, quôd bonum ipsum sibi sapiat. Quinto, quòd bonum cognitum faciat. Sexto, quod bonus exterius conuersetur. Septimo, quòd in omnibus bonam intentionem habeat. Octauo, quòd de bonis non superbiat. Nono, quòd mercedem de istis omnibns accipiet, ne deficiat, recogitet. Beatus iste discipulus, qui ista didicerit. psal. 93. Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.

In festo sancti Bernabæ Apostoli ex epistola.

BARNABAS erat vir bon⁹, plenus Spiritusancto, Act. 11. Duo sunt necessaria homini, terior perfectio, & exterior conuersatio. Primum propter se, secundum propter proximum. Interior perfectio consistit in duobus. s. in cugnitione veritatis, & dilectione bonitatis. Primũ est perfectio intellectus, s̃m perfectio affectus. Exterior conuersatio consistit in duobus. s. in actuũ vtilitate, & morum grauitate. Hæc quatuor dicuntur in his verbis ad cõmendationem beati Barnabæ. Intellectus illuminatio, affect⁹ inflãmatio, actuũ vtilitas, & morũ grauitas. Primũ, ibi. Plenus fide. Fides est lumen intellectus. Aug. Fides est illuminatio veritatis, qua quis illuminatur a prima luce ad videndum spiritualia. Secundum, ibi. Plenus Spiritusancto. Spiritusanctus dicitur amor & donum, in quo omnia dona donantur. Sicut dicit Augu. Recte dicitur ple-

nus Spiritusanctō, quia plenus charitate. Ro.5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus nr̃is p̄ Spiritumſanctũ qui datus eſt nobis. Tertium, ibi. Vir. ſ. ſapiens, grauis non puer leuis. pſal. 34. In populo graui laudabo te. Quartum, notatur ibi. Bonus. Bonum eſt, ſicut dicit. Diony. Diffuſiuum ſui: vnde propter hoc notatur vtilitas actionis, in qua homo ſe effundit: dicitur enim bonum dupliciter, eſſentialiter, & per participationem. Primum, de creatore tantum, Matth. 19. Vnus eſt bonus Deus, ſolum modo dicitur de creatore. Bonum per participationem dicitur de creatura, ſex modis. Primum bonum vere, ideſt, rei ſecundum quod eſt. Secundum bonum ex genere, ſeu ex iſtentia reſpectu finis. Tertiũ bonum actionis ex debita circunſtantia ad finem tamen in ſe. Quartum bonum actionis hominis. Quintum bonum gratiæ, ideſt, meriti. Sextum bonum gloriæ. Hæc omnia bona habuit beatus Barnabas: vnde proprie eſt dictus bonus vir &c. Rogemus &c.

In feſto Aſcenſionis.

VIRI Galilæi quid admiramini aſpicientes in cælum &c. Act. 1. Tria faciunt angeli in verbis iſtis, tollunt admirationem, aſſerunt aſcenſionem prædicant reuerſionẽ. Primum, ibi. Quid ſtatis aſpicientes in cælum? Circa quod notantur quatuor, aſpiciebant Apoſtoli, ſtupentes, dolentes, timentes, cõfidentes. Stupebãt de aſcenſione, quæ in tanta gloria & virtute fiebat, de quo etiam ſtupebãt ipſi angeli. Iſa 43. Quis eſt iſte qui venit de Edon tinctis veſtibus de Boſra &c. Et nota hic virtutem aſcenſionis, & differentiam ab aliis qui aſſumpti ſunt a terra. Dolebant de diſceſſione, quia diſcedebat ab eis tantus conſolator. Ioan. 16. Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Tob. 10. Heu me fili mi, vt quid te miſimus peregrinari lumen oculorũ noſtrorũ &c. & eſt vox eccleſiæ hodie in perſona Apoſtolorum. Timebãt de mundi perſecutione, quia remanebant ſoli inter preſſuras mundi, de qua prædixerat eis, Ioan. 16. In mundo preſſuram habebitis. Confidebant de promiſſione, Ioan. 14. Vado ad

do ad patrem, per corporalem subtractionem: & veniã ad vos, per Spiritussancti missionem. Ioan. 14. Ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis. Matth. vlti. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Secundũ, ibi. Hic Iesus qui assumptus est a vobis &c. Circa quod notantur quatuor in modo. Assumptus est enim videtibus Apostolis, Actuum. 1. Videntibus illis eleuatus est. Astãtibus angelis, Actuum. 1. Ecce duo viri astiterunt iuxta illos &c. Mediante nube, Actuum 1. Et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Considerãdum enim est vnde assumptus, quia de terra: quo assumptus, quia in cælum: qua via, quia per aerem: quis assumptus, quia Iesus Christus, vt sic ex omni parte omnia attestentur merita assumptionis. Terra per apostolos, cælum per angelos, Deus per nubem, ipse Iesus per manuum eleuationem, vt ostenderetur quia iste idem ascendebat in carne, qui crucifixus fuerat, & resurrexerat. Et per hæc quatuor potes similiter procedere ad ædificationem communem. Tertium nota, ibi. Sic veniet. Circa aduentum ad iudicium notã quatuor, secundum illa quatuor ostensa in modo ascendendi. Vnde sic veniet, quemadmodũ sic scilicet videntibus tã iustis quàm impiis mediãte nube, eleuatis manibus, ad percutiendum scilicet peccatores, astantibus angelis qui præcedent portãdo insignia passionis. Et congregabuntur ad iudicicium omnes. Matth. 24. Et videbunt filium, ecce primum: uenientem in nubibus, ecce secundũ: cũ virtute magna & ptãte, ecce tertiũ: & mittet angelos suos, ecce quartũ: & pcedet sup his dies iudicii &c.

In uigilia Pentecostes.

SPIRITVS Domini ornauit cælos, Iob. 26. Per cælos intelliguntur Apostoli propter tria quæ sunt in cælis. Primo, propter motum continuum in cęlis. Ita enim motus continuus in Apostolis fuit, quia per vniuersum orbem discurrerũt. Ioã. 15. Posui vos vt eatis & fructum afferatis & fructus vester maneat &c. Secundo, propter ordinem: est enim ordo in cęlis. Iob. 13. Nunquid nosti ortũ cæli? Sic ordo fuit in Apostolis

ftolis, quia omnia ordinate faciebāt, & nihil inordinatum. 1. Cor. 14. Omnia secūdum ordinem fiant in vobis. Tertio, propter concordiam: habent cæli concordiam. Iob. 15. Qui fecit concordiam in sublimibus suis: ita discipuli Domini abrenūtiādo omnia. Actuum. 4. Erat illis cor vnum, & anima vna. Istos cælos ornauit spiritus Domini stellis: ornamentum enim cælorum stellæ sunt. Eccl. 43. Species cæli gloria stellarum: posuit enim in eis quinque ordines stellarum. Primus ordo, virtutes theologicæ. 1. Cor. 13. Nunc manēt fides, spes, charitas, tria hæc. Secūdus, virtutes politicæ. Sapien. 8. Sobrietatem & sapientiam docebit & virtutem, quibus nihil est in vita vtilius hominibus. Tertius, septem dona spiritus. Isa. 11. Requiescet super eum spiritus domini, & cætera quæ ibi sunt. Quartus, octo beatitudines. Matth. 5. Beati pauperes, beati mites, & per totum. Quintus, duodecim fructus Spiritussancti Gala. 5. Fructus autem spiritus sunt gaudium &c. Isti ordines virtutum designantur per quinque ordines stellarum; de quibus dicitur. Iob. 9. Qui facit arcturum & oriona, hyadas, & interiora austri. De sexto, Iob. 38. Numquid coniungere valebit micantes pleiadas &c.

In die Pentecostes.

PARACLITVS Spiritussanctus quem mittet pater in nomine meo, ipse vos docebit, omnia, & suggeret vobis omnia, Ioan. 14. In his verbis circa missionem Spiritussancti tria notantur. Primo, mittentium eum authoritas, ibi. Quem mittet pater in nomine meo. Secundo, missi benignitas, ibi. Paraclitus. Tertio, missionis vtilitas, ibi. Docebit suggeret. Circa primum ostenditur quòd mittentes sunt pater & filius: spirant. n. spiritumsanctum, & spiritussanctus vna notione procedit a patre & filio. Io. 16. Cum venerit paraclitus quē ego mittam &c. Si spirare est mittere eum, & pater mittit & filius, vide ergo quòd pater & filius spirant spiritumsanctum, & sic tota trinitas: pater mittens, & filius per quem mittitur, & spiritussanctus qui mittitur. Benignitas missi notatur, ibi. Paraclitus, quod interpretatur consolator, vel

aduocatus

aduocatus: quia ista duo sunt specialiter officia bonitatis, & bonitas attribuitur Spirituisancto: ideo ipse dicitur consolator in miseriis, & aduocatus in beneficiis. Aduocatus in beneficiis, quia lex diuinæ bonitatis quam Spiritussanctus allegauit pro nobis (quia sibi attribuitur bonitas) causa est, qua fluunt in nos beneficia Dei. Defluunt autem tria beneficia. Primo, naturæ. psal. 103. Emitte spiritum tuum & creabuntur, in quo declaratur quia a Spiritusancto fluunt beneficia naturæ. Secundo, gratiæ: charitas Dei diffusa est &c. Tertio, gloriæ. Rom. 14. Regnum Dei nõ est esca & potus, sed gaudium in Spiritusancto; aduocat ergo in beneficiis. Consolatur in miseriis tripliciter. Primo, cælestes consolationes in tribulationibus largiendo. 1. Thess. 1. In tribulatione multa cum gaudio Spiritussancti. Secundo, donacharismatum in tribulationibus augmentando. Rom. 5. Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiã operatur &c. psal. 4. In tribulatione dilatasti mihi. Tertio, quanta sint gaudia, qui pro istis tribuuntur, demonstrando. Rom. 8. Non sunt cõdignæ passionis huius tẽporis ad futurã gloriã quæ reuelabitur in nobis &c. Tertiũ est docere nos, ibi. Oĩa suggeret. Duplex vtilitas missionis, prima bonũ docet, secunda ad bonũ mouet. Prima, vt bonũ cognoscamus: secũda, vt faciamus. Primũ, ibi. Docebit vos oĩa. Sunt aũt quinq; scientiæ necessaria ad salutẽ. Primũ, Deũ timere: scd'o, a malo recedere: tertio, bona facere: quarto, mala pati: quinto, in his pseuerare, ista est sciẽtia sctõrũ. De primis duobus. Iob. 28. Ecce timor Dñi ipsa est sapientia, & recedere a malo intelligẽtia. De aliis tribus Aug. Sapiẽtia sctõrũ est benefacere, & mala pati, & in his pseuerare. Secũdũ, ibi. Et suggeret &c. Monet ad bonũ, & suggerit illud tripliciter. Primo, quasi cõpellẽdo, Isa. 30. Spiritus eius velut torrẽs inũdãs &c. 2. Cor. 5. Charitas Dei vrget nos. Secũdo alliciẽdo. Sap. 12. O q̃ bon⁹ & suauis est Dñs spirit⁹ tuus in oĩbus. Tertio, seipsum pign⁹ pro mercedis certitudine tribuendo. 2. Cor. 1. Qui dedit pignus spiritus in cordibus nostris, quod pignus æquale est rei. Secundo, est de re, ita quòd qui habet pignus spiritus hæreditatis, securus est quòd perueniet ad hæreditatem cælestem, Ad quam &c.

In festo sanctæ Trinitatis ex epistola.

O Altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius &c. Rom 11. Tria notantur in istis verbis, quæ considerantur in Deo scilicet diuinitas, vnitas, trinitas: vel sic, diuinitas & in diuinitate trinitas, & in trinitate vnitas. Diuinitas maiestatis, trinitas personarum, vnitas essentiæ: & hoc secundum quòd tripliciter contigit errare circa Deum. Quidam enim errãt circa diuinitatem eius non ponentes esse Deum. psal. 13. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus &c. Vel quod Dei est attribuentes creaturæ, & colentes eam pro Deo. Roma. 1. Quidam circa trinitatem, negantes personarum trinitatem esse in Deo. Quidam circa vnitatem, ponentes multitudinem deorum. Primum ergo, scilicet diuinitas, notatur, ibi, O altitudo diuitiarum &c. Circa quod notandum, tria, quæ sunt in Deo. s. altitudo, plenitudo, & latitudo: & hæc secundum tria quæ sunt in Deo, scilicet natura, virtus, & operatio. Est quoque altus in natura, sic enim habitat lucem inaccessibilem. Et plenus in virtute, sic sunt apud eum diuitiæ sapientiæ. Latus & immẽsus in operatione, sic sunt iudicia eius incomprehensibilia, & viæ eius inuestigabiles. Iudicia quibus disponit, viæ per quas exequitur suas operationes: & ad hæc tria possunt referri tria quæ sequuntur post hæc verba immediate. Quis enĩ cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit ei, & retribuetur ei? Adapta singula singulis. Secundum. s. trinitas: quoniã ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Circa quod nota similiter quòd tripliciter distinguuntur personæ diuinæ. Aliquando per propria personarum, vt cũ dicitur pater & filius & spiritussanctus, aliquando per appropriata patris, vt per potentiam intelligatur pater, per sapientiam filius, per bonitatem spiritussanctus. Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt &c. Aliquãdo per notas naturaliter ex adiũcto significãtes distinctioné in personis, sicut hic, Ex ipso, ex, enim notat authoritatem principii, & ideo ex ipso itelligit pater, apud quẽ est fons & origo diuinitatis

nitatis. Per notat modũ operationis, & ideo ĩ hoc ꝑ ipsũ itel ligitur filius, per quem operationes operatur. In, notat con seruatiouem in esse, & ideo per hoc, in ipso, intelligitur Spi ritussanctus. Tertium, vnitas, ibi. Ipsi gloria, nõ dixit ipsis, sed ipsi. Circa quod similiter notanda tria, secundum quod similiter tripliciter debet sibi referri gloria, scilicet gloria cordis, gloria oris, gloria operis. Vel gloria vna propter creationem, gloria altera per redemptionem, gloria tertia per glorificationem &c.

De eadem.

TRES sunt qui testimonium dant in cælo, pater, verbum, & spiritussanctus. 1. Ioan. vlt. Moraliter per cælum intelliguntur sancti, & dicuntur cælum propter septem. Primo, propter continuum motum de virtute in virtutem. psal. 83. Ibunt de virtute in virtutem. Secundo, propter concordiam. Iob. 26. Qui facit concordiam in sublimibus suis. Ephe. 3. Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis &c. Act. 1. Erat illis cor vnum & anima vna in Domino. Tertio, propter ordinem. Iob. 33. Numquid nosti ordinem cæli &c. 1. Cor. 14 Omnia secundum ordinẽ fiant in vobis. Quarto, quia casa Ilios. i. Dei. 1. Cor. 4. Nescitis quia templum Dei estis? Quinto, propter conuersationem cæleste. Phil. 4. Nostra cõuersatio in cælis est. Sexto, quia semper habẽt cor in cælo. Matth. 7. Thesaurizate vobis thesauros in cælo. Item, Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Septimo, quia habent solem, & lunam, & stellas. Solem charitatis, lunam fidei, & stellas aliarum virtutum. In isto cælo dant testimoniũ pater, verbum, & spiritussanctus tripliciter. Primo, secundum naturam in creatione. Secundo, secundum gratiam in iustificatione. Tertio, secundum gloriam glorificatione. In creatione pater per memoriam, filius per intelligentiam, spiritussanctus per volũtatem vel notitiam, memoriam vel amorẽ. In iustificatione pater dat testimonium ponendo potentiam, filius sapientiam, spiritussanctus benignitatem. Potẽtia sanctorum apparet in tribus, quia potẽtes ad pugnãdum, & ad laborãdum, & ad sperandum. De primo, Hebr. 11. Fortes facti sunt in bello. De

secundo,

secūdo, Phil. 4. Oīa possum in eo qui me confortat. De tertio, Isa. 40. Qui aūt sperāt ī Dño, mutabūt fortitudinē &c Sapiētia sctōrū apparet in trib⁹. Primo, ī cōuersatione. Ecc. 8. Sapiētia hoīs relucet in vultu eius. Secūdō, in locutione. Eccl. 22. Sapiēs in verbis se ipsum amabilē facit. Pro. 15. Lingua sapientis dissēminat sapientiam. Tertio, in iniuriarum perpessione. Prou. 19. Doctrina autem viri per patientiam dignoscitur. Bonitas sanctorum apparet in tribus. Primo, in sui effusione. Diony. Bonum est sui effusiuum. Secundo, in benignitatis ostensione. 2. Cor. 12. Libenter impēdam & super impendar ego ipse pro animabus vestris Tertio, in optimorum adductione. Dionys. Optimi est optīma adducere. In glorificatione pater dat testimonium ī cęlo, idest, in sanctis per æternitatē Matth. 19. Vitam æternam do eis. Dan. 12. Fulgebunt iusti tamquàm stellæ &c. Et per æternitatem dabit omnem scientiam Aug. Habemus vnum doctorem in cælis, quem semel vidisse, totū didicisse est. Dabit & gloriam. ps. 83. Gratiā & gloriā dabit Dñs &c. Ad quā nos &c.

In festo sancti Ioannis Baptistæ ex euangelio.

QVis putas puer iste erit? Lucæ. 1. Et potest responderi interrogationi, quia sponsus speciosus, & gratiosus, & gloriosus. Sponsus speciosus propter virginitatis candorem, martyrii ruborem, & admirabilē circa Christum pulchritudinem, & similitudinem, & figurationem. De primo, Luc. 1. Puer erat in deserto. De secundo, Matth. 6. Misso spiculatore fecit amputari caput Ioannis. Tertio, quòd tantam habuit similitudinē cum Christo, quòd fuit creditus Christus. Lucæ. 3. Existimante autem omni populo & cogitātibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus, est ergo speciosus. Est & gratiosus propter sanctitatem, propter humilitatem, & propter utilitatem. Sanctus enim fuit, quia plenus Spiritussancti gratia, Lucæ. 3. Spiritusancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Quia vestitus nimia vestimentorum duritia. Lucæ. 1. Erat Ioānes vestitus de pilis camelorum. Quia præditus nimia abstinentia. Lucæ. 1. Esca eius erat locusta &c. Humilis fuit in baptizatione. Matth. 3.

Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? In sua pharisæis infusione. Ioa. 1. Ego vos clamantis in deserto &c. In discipulorum eruditione. Ioan. 3. Illum oportet crescere, me autem minui. Vtilis fuit in baptizando, Matth. 3. Tunc exibant ad eum omnes &c. Prædicando & conuersando. De his duobus. Ioan. 5. Ille erat lucerna ardēs per exemplum, lucens per verbum. Item, fuit gloriosus per dignitatē, quæ apparet propter nouem. Primo, quia antea est prophetatus. Malach. 3. Ecce ego mitto angelum meū, & præparabit viam ante faciem meam. Secundo, quia ab angelo nunciatus. Lucæ. 1. Elisabeth vxor tua pariet tibi filium. Tertio, quia miraculose generatus. Lucæ. 1. Et non erat eis filius, eo quòd esset Elisabeth &c. Quarto, quia in vtero sanctificatus. Luc. 1. Spiritusancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ &c. Quinto, quia cum multis miraculis natus. Luc. 1. Apertum est autem illico os eius &c. Sexto, quia ante Dominum. Matth. 11. Hic est de quo scriptum est. Ecce ego mitto angelum meum &c. Septimo, quia præcursor regis. Luc. 1. Ipse præibit ante illum. Octauo, quia baptizauit Christum. Matth. 3. Venit ibi ad Iordanem &c. Nono, quia testis lucis. Ioan. 1. Hic venit in testimonium vt testimonium perhiberet &c. Moraliter autem siquis vult venire ad gloriam æternitatis, necesse est vt studeat esse puer. i. purus. In tribus necessaria est puritas. Primo in corde, secūdo in ore, tertio in manu. Puritas cordis est voluntatis sanctitas. De primo, Iacob. 4. Purificate corda duplices animo. De secundo, Prouer. 15. Sermo purus pulcherrimus. De tertio, 1. Tim. 2. Leuantes puras manus &c. Rogemus &c.

In festo Sanctorum Ioannis & Pauli ex epistola.

PROPTER te mortificamur tota die, æstimati sum⁹ sicut oues occisionis, Rom. 8. In verbis istis quinq; notantur. Primo, recta sanctorū intentio, ibi. Propter te, non propter inanē gloriā, sicut hypocritæ. Matth. 11. Exterminant facies suas vt videātur ab hoībus. Secundo, eorum mortificatio, ibi. Mortificamur. Mortificātur autem sancti multis modis. Primo, cū vitiis seipsos macerādo. Col. 3. Mortificate mēbra vestra. Secūdo, carnē spiritui

ritui subiiciendo. Rom. 8. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Tertio, ipse Christi passioni configurando. 2. Cor. 3. Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circunferentes. Quarto, detractionum malignitatem tolerando. psal. 108. vbi loquitur de detractore. Compūctum corde mortificare. Quinto, inimicorū persecutiones sustinendo. psal. 36. Considerat peccator iustum, & quærit mortificare eum. Tertio, mortificationis continuatio, ibi. Tota die, hoc est, vsque ad finem, non sicut illi, de quibus dicitur, Gal. 5. Sic stulti estis, vt cum spiritu cæperitis, nunc carne consumamini? Quartò, eorum ab impiis irrisio, ibi. Aestimati sumus sicut oues occisionis. Ouis occisa tota est vtilis. Est enim vtilis pellis ad vestiendum, caro ad victum, fibræ ad musicum instrumentum. Quinto, ex magna mortificatione vtilitatis consecutio, ibi. Occisionis. Est enim vtilitas in pelle propter pauperum subuentionem. In carne, carnalis proximorum mortificatio. Gal. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Fibræ sunt potentiæ animæ, ex quibus fit musicum instrumentum ad laudandum Deum. Ephes. 5. Cantantes & psallentes in cordibus vestris. Hæc omnia conuenire possunt, istis gloriosis sanctis &c.

In festo Apostolorum Petri & Pauli.

SOL vertetur in tenebras, & luna in sanguinem, Ioel. 3. Possunt hæc verba exponi de beatorum Apostolorum Petri & Pauli festiuitate. Per solē intelligitur Petrus, per lunam Paulus. Gene 1. Fecit Deus duo magna luminaria &c. Significat autem sol Petrum propter tria: quia sol est fons splendoris, fornax ardoris, & causa generationis. Fons splendoris fuit in cognitione, fornax ardoris in amore, causa generationis in prædicatione. De primo, Matth. 15. Beatus es Simon Bariona, &c. De secundo, Ioa. vlt. Domine, tu scis quia amo te. De tertio, Lucæ. 5. Ex hoc eris homines capiens: quot homines cepit, tot filios Domino generauit. Propter primum dictus est Petrus. i. cognoscens: propter secundum dictus est Simon. i. obediens. Mandatum enim spiritualiter datum, cuius

cuius est obediendum, est obedientia. Ioan. 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem. Propter tertium dictus ē Cephas, idest caput Ecclesiæ, cuius generationis causa fuit prædicando. De isto sole dicitur Eccl. 43. Sol in aspectu annuntians in exitu &c. Conuersus autem fuit sol iste in tenebras tripliciter. Culpæ in negatione. Tunc cœpit abnegare & detestari, quia non nouit hominem. Mœstitiæ in ploratione. Matth. 26. Egressus foras, fleuit amare. Pœnæ in passione. Cum autem senueris, alius præcinget te, & ducet quotu non uis &c. Paulus dicitur luna similiter propter tria, quia lux noctis, fons roris, & causa frigidationis. Lux noctis, erroris tenebras illuminando Rom. 13 Abiicite opera tenebrarum & induamur arma lucis &c. Patet per diuersas epistolas suas quàm diuersos errores expulerit. Fons roris, gratiam prædicādo. Ephes. 2. Gratia enim estis saluati: patet quasi in omnibus verbis suis gratiam prædicando. Causa frigidationis, virginitatem commendando. 1. Cor. 7. De uirginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do &c. per totum. Item, fuit luna in se tenebras noctis & erroris expellendo. Fons roris gratiā suscipiendo. 1. Cor. 15. Gratia Dei sum id quod sum. Causa frigidationis, virginitatem, vel castitatem conseruando. 1. Cor. 7. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum &c. Loquitur de castitate. Item, Eccle. 43. In omni tempore suo &c. Ista luna versa fuit in triplicem sanguinem, homicidii in Stephani lapidatione, Actuum. 22. Et cum effunderetur sanguis Stephani &c. In sua flagellatione. 2. Cor. 11. Ter uirgis cæsus sum: & in capitis abscissione, vt patet in legenda sua. Moraliter sol intellectus, luna voluntas. Sol, idest intellectus conuertitur in tenebras erroris: luna, idest, voluntas in sanguinem peccati &c.

In commemoratione sancti Pauli.

BONVM certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. 2. Tim. 3. In istis quatuor clausulis quatuor notantur in B. Paulo ad commen-

dationem ipsius. Primum est probitas, ibi. Bonum certamẽ certaui. Secundum uelocitas, ibi. Cursum cõsummaui. Tertium fidelitas, ibi. Fidem seruaui. Quartum dignitas, ibi. De reliquo reposita est &c. Circa primum sciendum est, quòd triplex certamen B. Paulus habuit. Primum hostile paganorum. 1. Cor. 15. Aduersus bestias pugnaui Ephes. 1. Secundum ciuile Iudæorum. 1. Thess. 1. Sicut & ipsi a Iudæis, qui & Dominum occiderunt Iesum, & prophetas, & nos persecuti sunt. Tertium intestinum falsorum christianorum. 2. Cor. 11. Periculis in falsis fratribus. Circa secũdum sciendum, quòd triplicem cursum consummauit: cucurrit enim primo in mundo prædicando. Gal. 1. Contuli cum eis euangelium, ne forte in vanum currerem &c. Secundo, in cælo conuersando. Phil. 3. Nostra conuersatio in cęlis est. 2. Cor. 11. Scio hominẽ in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit) raptũ hmõi usque ad tertium cælum. Tertio, in paradiso contẽplando, ibidẽ. Scio hominem, quoniã raptus est in paradisum. Circa tertiũ sciendũ est, quòd in trib⁹ maxime apparuit, & seruauit fidem. Primo, se totum in seruitio Dei sui exponẽdo. Galat. 2. Mihi uiuere Christus est, & mori lucrum. Secundo, regnum eius fortiter augmentando. Rom. 15. Vsque Illyricum repleui euangelium Christi. Tertio, omnia ei attribuendo. 1. Cor. 15. Gratia Dei sum id quod sum. Circa quartũ sciendũ est, ꝙ B. Paulus meruit coronã aureã, & aureolã. Auream, pro labore charitatis. 1. Cor. 9. Omnis quidem qui in agone contendit ab omnib. se abstinet: illi quidẽ ut corruptibilẽ coronã accipiant, nos aũt incorruptã &c. Aureolã meruit triplicem, uirginitatis, martyrii, & prædicationis. Prima est meritũ cõcupiscibilis: secunda irascibilis: tertia, rationalis. Fuit. n. ipse uirgo, sicut dicitur. 1. Cor. 7. Volo oẽs homines esse sicut meipsũ. Fuit prædicator, unde 2. Tim. 1. dicitur magister gẽtium. In quo positus sum ego prædicator & Apostolus, & magister gẽtiũ in fide & ueritate. Fuit & martyr, sicut patet in legẽda sua. Nos quoque si bonũ certamen certauerimus, cursum consummaueris, fidẽ seruauerimus, perueniemus ad coronam æternã. De qua corona require in festo sancti Stephani &c

De

De beata Margarita.

INVENTA una pretiosa margarita, abiit & uẽdidit omnia quæ habet,& emit eam, Matth.13. In his uerbis tria dicuntur. Primum, margaritæ inuentio:secundum, margaritæ cõmendatio:tertium, eiusdem margaritæ emptio. Primum, ibi. Inuenta:secundum, ibi. Pretiosa:tertium, ibi. Vendidit omnia &c. Per margaritã istã intelligitur Dei filius: dicitur aũt Christus margarita propter quinque. Primo, quia paruus per humilitatem. Matth.11. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde &c. Secundo, candidus propter puritatem. 1. Petr.2. Qui peccatum non fecit. Tertio, quia solidus per sanctitatẽ. Daniel.9. Vngatur sanctus sanctorũ. Pretiosus per deitatẽ. Rom.9. Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Quinto, rore cæli conceptus, idest operatione Spiritussancti. Lucæ.1. Quod incarnatum est, de Spiritu sancto est. Talis margarita est lapis paruus, inuenitur in profundo maris, in uentre piscis, & in mensa campsoris. In his tribus locis consueuit inueniri margarita: sic Christus inuenitur in mari, idest in Maria per incarnationem. Quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius Dei. Luc. 1. In pisce, idest in Christo homine per unionem. 2. Cor.5. Deus erat in Christo: In altare, per sacramenti transubstantiationem. Ego sũ panis uiuus &c. psalm.22. Parasti in conspectu meo mensam. De quinque primo dictis de hoc lapide Christo, dicitur Hebræorum.7. Talis decebat ut esset nobis pontifex. Sanctus, quo ad soliditatem: innocens, quo ad humilitatẽ: impollutus, quo ad puritatem: segregatus a peccatoribus, quo ad conceptionem, quia nõ sicut alii peccatores ex peccato conceptus: excelsior cælis factus, quo ad pretiositatem deitatis. Circa secundum nota, quòd hæc margarita est pretiosa propter tria. Primo, propter pretiositatem albedinis. Hebr.1. Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius &c. Secundo, propter utilitatem, quia omne malum expellit. 1. Timoth. 4. Liberauit autem me ab omni malo: & omne bonum inducit. Sapient. 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa &c. Tertio,

propter incorruptionis æternitatẽ. Sap. 8. Clara est, & quæ nunquàm marcescit sapientia. Circa tertium sciendum, quòd margarita emitur triplici denario, scilicet æneo, argenteo, & aureo. Æneus est substantia mundi, argenteus corpus, aureus anima. Æneo emit qui dat diuitias pro ista margarita: argenteo, qui dat corpus: aureo, qui dat animã. Primum fit per renuntiationem diuitiarum: secundũ, per corporis mortificationem: tertium, per propriæ voluntatis abnegationem. De primo, Matth. 9. Qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet. De secundo & tertio, Luc. 16. Si quis vult uenire post me, abneget semetipsum, quo ad propriæ voluntatis abnegationem: & tollat crucem suam, per corporis mortificationem. Possunt autem exponi de ista beata, quæ fuit pretiosa margarita propter speciositatis virginitatem, propter prædicationis utilitatem, & propter inseparabilem soliditatem, quam inuenit mercator cælestis, & emit sanguine suo Christus Deus noster, Qui est benedictus in sæcula, Amen.

In festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ.

ARCVM meum ponam in nubibus cæli, & erit signum fœderis inter me & terrã, Gene. 9. Possunt hæc uerba exponi de beata Maria Magdalena, quæ intelligitur per arcum cælestem propter tria, ratione formæ, ratione finis, ratione materiæ. Est .n. materia arcus nubes aquosa radiis solis percussa. Nubes aquosa Maria lacrymosa. Lucæ. 8. Lacrymis cœpit rigare pedes eius. Sol Christus, radius gratia Christi, quæ nubẽ aquosam percussit cum Mariæ lacrymanti gratiam infudit. Ratione formæ, est enim triplex, cerulea, rubea, & uersus terram tenet brachia extensa. Color ceruleus est Mariæ humilitas, rubeus charitas. De primo, ibi. Stetit retro secus pedes Domini. De secundo, ibidem. Quoniam dilexit multum. Brachiorum usque ad terram extensio est magna, quam habet ad peccatores, misericordia. Est enim ipsa sancta interuentrix peccatorum, & aduocatrix eorum: didicit enim ex experientia peccatorum misereri. Prouerb.

vlt.

vit. Manum suam aperuit inopi, idest peccatori, & palmas suas extendit ad pauperem. Ratione finis: est enim triplex finis eius. Primo, præteritum iudicium per aquam significatum, secundo, futurum iudicium per ignem pronuntiatū, Tertio, pactum quod est inter Deum & terram demonstrare, quia de cælo extendit brachia sua ad terram. Primum, in colore ceruleo: secundum, in rubeo: tertium, in uiridi. Sicut Beata Maria Magdalena est signum duplicis iudicii in peccatore pænitente, vnius quod fit per aquam compunctionis, alterius quod fit per ignem compunctionis. De utroque, psal. 65. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Item, est signum pacti inter Deum & terram, idest, peccatores. Est autem signum septemplicis fœderis inter Christum & pecatorem. Primum, quia benigne recipit peccatores, qui ad Deum confugiunt: secundū, quia multum se familiarem eis exhibet: tertium, quia eos qui irrident, confundit: quartum, quia pro eis aduocatur: quintum, quia eorum fidem multum commendat: Sextū, quia omnia peccata dimittit: septimum, quia eis dulciter loquitur. Hæc septem nota in euangelio per ordinem. Primo in hoc, quòd eam in nullo increpauit, contra nequitiā hypocritarum, qui videntur contra peccatores fulminare. Secundo in hoc, quòd dedit pedes ad osculandum, ibi. Et osculari pedes eius. Tertio in hoc, quod Pharisæum qui eū despiciebat, confudit, ibi. Simon habeo tibi aliquid dicere. Quarto in hoc, quòd eam bonam conferendo & alligando probauit, ibi. Hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos. Quinto, ibidem. Mulier, fides tua te saluam fecit. Currant ergo omnes peccatores sedere ad fontē benignitatis &c.

In festo sancti Iacobi ex euangelio.

POTESTIS bibere calicem quem ego bibiturus sum? Matth. 20. Per calicem intelligitur passio Christi. Matth. 26. Pater, si possibile est, transeat a me calix iste &c. Calix iste est calix amaricans, inebrians, & sanans. De primo, psal. 68. Dede-

runt in escam meam fel. De secundo, psal 22. Calix meus inebrians quàm præclarus est. De tertio, psalm. 115. Calicem salutaris accipiam. Fuit autem amaricans, quia calix aceti, myrrhæ, & fellis. Ista tria dederunt ei bibere. Tria autem fecerunt passionem Christi amaram. Primum est, quia passus est ab impiis. Marci. 14. Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Secundum, quia pro beneficiis. Ioan. 8. Multa bona opera operatus sum in uobis, propter quod horum vultis me lapidare? Act. 8. Qui pertransiuit benefaciendo & sanando omnes oppressos a diabolo, &c. Tertium, quia in membris mundis. 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit: non enim habuit membra corrupta & mortificata per peccatum. Item, est calix inebrians tripliciter. Primo, præsentium obliuionem inducens. Tren. 3. Ad te quoque perueniet calix inebrians animam, diuitias relinquendo, nudum Dominum sequendo. Secundo, insensibilem ad dolorem reddens. Bernar. Considerate dolores Domini nostri, & leuius dolores uestros portabitis. Greg. Si passio Domini ad memoriam reducatur, nihil est adeo durum, quòd non æquo animo toleremus: hinc est quòd sancti habitabant in petris. Tertio, animos nostros ad bella faciens. 2. Mach. 6. Ostenderunt elephantis sanguinem vuæ & mori, vt animarent eos ad bellum. Item, calix sanans a triplici morbo. Primo, culpæ contractæ. Ephes. 2. Eramus omnes filii iræ, per peccatum scilicet originale. Secundo, culpæ commissæ. Isa 53. Ipse attritus est propter peccata nostra: & post. Eius liuore sanati sumus. Tertio, pœnæ inflictæ. Isa. 53. Vere languores nostros ipse tulit &c. De his trib. 1. Pe. 2. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Peccata dicit in plurali, vbi nota originale & actuale, cuius liuore sanati sumus, quo ad pœnæ inflictionem. Rogemus ergo &c.

In festo sancti Petri ad uincula.

DIRVPISTI Domine uincula mea, tibi sacrificabo hostiã laudis, psal. 115. Satis patet quomodo possunt hæc uerba exponi de uinculis sãcti Petri. Et notantur in his uerbis tria. Primo,

mo, uinculorum eius disruptio, ibi. Dirupisti uincula mea. Secundo, gratiarum actiones, ibi. Tibi sacrificabo hostiam laudis. Tertio, diuini nominis inuocatio, ibi. Domine.

Circa primum sciẽdum est, quod ligatus fuit tribus generibus uinculorum B. Petrus. Primo, vinculis iniquitatis in negatione. Prou. 5. Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur. Matth. 26. Antequam gallus cantet, ter me negabis. Secundo, uinculis pœnalitatum in corporis passione. Io. vlt. Cum autem senueris alius cinget te & ducet quo tu non uis &c. Tertio, uinculis materialibus, in sui incarceratione. Actuum. 12. Erat Petrus uinctus catenis duabus. Vincula peccatorum suorũ disrupit Christus gratiã conferendo. Matth. 26. Respexit Iesus Petrum, idest gratiam infudit. Vincula materialia disrupit angelum transmittendo. Actuum. 12. Angelus autem Domini astitit. Vincula pœnalitatum disrupit æternam gloriam conferendo. Matth. 19. Vos qui secuti estis me, dixit Dominus Petro, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Circa 2m sciendum, quòd sanctificauit ei triplicem hostiam. Primo hostiam contritionis. psal. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Secundo, hostiã laudis. psal 49. Immola Deo hostiam laudis. Tertio, hostiã proprii corporis. Ro. 12. Obsecro uos ut exhibeatis corpora uestra hostiam &c. Primo, hostiam immolauit amare flendo, siue plorando post Christi negationem. Matth. 26. Egressus foras, fleuit amare. Secundo, laudando post suã de carcere liberationẽ. Actuũ. 12. Nunc scio quia misit Dominus angelũ suum, & eripuit me de manu Herodis. Tertio, corpus Deo immolando in passione. Io. 13. Animam meam pono pro te. Circa tertium sciendum, quòd ipse inuocauit nomen Domini Iesu tripliciter. Primo, prædicando. Actuum. 2. Baptizetur unusquisque in nomine Domini nostri Iesu Christi. Rom. 14. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Secundo, orãdo. Matth. 14. Saluos nos fac Domine, perimus. Tertio, laudando. Act. 3. Nõ est aliud nomen sub cælo datũ hominibus &c. Est autẽ in-

uocandum nomen Domini. Primo, quia peccatores iustificat. Secundo, quia iustos vocatos saluat, & propter alia plura &c. *Quære in Circuncisione.*

In festo sancti Dominici.

SOL illuminans per omnia respexit; & gloria Domini plenum est opus eius, Eccl. 42. Possunt hæc uerba de B. Dominico exponi: & notantur ibi duo. Primo B. Dominicus laudatur, ibi. Sol illuminans Secundo, eius opus, idest, prædicatorum ordo commendatur, ibi. Et gloria Domini plenum est opus eius. Circa primum sciēdum, quòd B. Dominicus dicitur sol propter septem. Sol enim corporalis septem exercet in corporibus. Et primo, sol typicus septem in spiritibus. Primus effectus est generatio, secundus viuificatio, tertius nutritio, quartus augmentatio, quintus perfectio, sextus purgatio, septimus renouatio. De his dicimus in una authoritate. Sol ad generationem sensibilium corporum committitur, & ad uitam ea nutrit, & auget, & perficit, & purgat, & renouat. Ista septem fecit B. Dominicus spiritualiter. Primo generauit prædicando, ut diceret cum Apost. 1. Cor. 4. In Christo Iesu per euāgelium ego uos genui: patet quòd generauit. Secundo uiuificauit, ad uitam gratiæ reducendo. Iac. 5. Si quis conuerti fecerit peccatorem ab errore uię suæ, saluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum: patet quòd reduxit de morte ad uitam. Tertio nutriuit, in statu gratiæ conuersando, Thessa. 1. Tāquàm si nutrix foueat filios suos: testatur quasi uiderit eū, quanta benignitate fouebat quos generauit. Quarto augmentauit, de uirtute in uirtutem attrahendo. Ephe. 4. Veritatem autem facientes, in charitate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus. Quinto perfecit, statum perfectionis instituendo. Matth. 19. Si uis perfectus esse, uade, & vende omnia quę habes, & da pauperibus, & ueni sequere me. Sexto purgauit omnia, super fluas & minimas negligentias dure corripiendo. Ioan. 15 Et omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat. Septimo, renouauit,

nouauit,ad statum nouitatis reducendo. Eph. 4. Renouamini spiritu mentis vestræ,& induite nouum hominē,qui secundum Deum creatus est.

In festo sancti Laurentii ex epistola.

DISPERSIT dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi 2 Cor. 9. In his verbis notantur quinque ad commendationem B.Laurentii. Primo, prudentia, ibi. Dispersit dedit. Sunt autem dispergendæ diuitiæ. Primo, quia si congregantur, sunt possessoribus suis in tormentum. Secūdo, quia si congregantur, pereunt. Tertio, quia ducunt ad æternum supplicium. De quibus tribus, Eccl 5. Diuitiæ congregatæ in malum domini sui, ecce primum: pereunt enim, ecce secundum: in afflictione pessima, ecce tertium. Afflictio enim mala est cum congregantur, peior cum relinquūtur, pessima cum pro eis auari æternaliter puniuntur. Iacob. 5. Agite nunc diuites plorate & vlulate in miseriis quæ aduenient uobis &c. Congregare ergo stultitia est, sed dispergere est prudentia propter tria. Primo, quia dispersæ, sunt semina quæ multiplicata resurgunt. Secundo, quia uita æterna acquiritur. De his duobus Matth 19. Omnis qui relinquerit domum, uel fratres, &c. Tertio, quia non possunt amitti eo quod in tuto loco sunt positæ. Matth. 6. Thesaurizate uobis thesauros in cælo &c. Secundo notatur largitas, ibi. Dedit. Inuitant autē ad dandum tria, creator, creatura, & scriptura. Creator, quia dedit cælum cum syderib: terram cum bestiis & arboribus, corpus cum sensibus, animam cum uiribus, filium cum tormentis, mundum cum elementis, Spiritumsanctum cum donis. Dicit Aug. Erubescat homo auarus esse, cum tantam largitatem experitur creatoris. Inuitat creatura, quia omnis creatura dat seipsam & quicquid habet. Sol dat se totum, & lumen suum totū; terra similiter. Omnis ergo creatura inuitat ad dandum. Inuitat scriptura, quæ ex hoc tanta promittit. Matth. 7. Date, & dabitur vobis. Tertio nota fidelitas, ibi. Pauperibus, & fuit fidelitas dare pauperibus propter tria. Primo, quia bona

bona ecclesiæ sunt bona pauperum. Hieron. Bona ecclesiæ bona pauperum sunt, quicquid propter uictum, vel necessaria reseruasti, sacrilegium commisisti. Secundo, quia hoc præcepit Dominus, qui habet generale dominium in omnibus. Tertio, quia ab eis nō expectatur ulla retributio. De quibus duobus, Lucæ 14. Cum facis prandium, aut cœnā, noli uocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque uicinos diuites &c. Quarto nota, ibi. Iustitia eius manet in sæculū sæculi. Consistit autem iustitia in tribus. Primo, in rectæ uoluntatis conseruatione propter se. Secundo, in iustorum susceptione. Aug. Iustitia est in miserendo miseris. Tertio, in iuris sui unicuique redditione. Isido. Iustitia est uirtus ius suum unicuique tribuens. De primo patet, quomodo primum B. Laurentius conseruauit, quia nulla peccata potuerunt eum a rectitudine remouere. De secundo patet, quia thesaurum ecclesiæ dedit pauperibus. De tertio patet, quia reddidit maioribus obedientiam, minoribus utilitatem, paribus æqualitatem. Quinto notatur perseuerantia, ibi. In sæculum sæculi. Et fuit laudabilis perseuerantia eius propter tria. Primo, quia fuit flagellis probata: secundo, fide cōsummata: tertio, quia in igne fuit examinata, & ideo meruit peruenire ad uitam æternam. Matth. 24. Non qui incœperit, sed qui perseuerauerit, hic saluus erit &c.

In aßumptione B. Mariæ Virginis ex epistola.

QVASI cedrus exaltata sum in libano &c. Eccle. 24. Per sex arbores quibus comparatur exaltatio Beatæ Virginis in ista epistola. Intelligi possunt sex ordines beatorum. Cedrus significat angelos propter naturæ sublimitatem. Ezec. 31. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, idest, angeli non fuerunt sublimiores naturæ lucifero. Cypressus significat patriarchas & prophetas per odoris suauitatem: unde de vno dictū est Gen. 27. Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Palma significat apostolos ꝑpter gloriosum de uniuerso mundo triumphum. Palma ēt significat uictoria. Apoc. 6. Et palmæ in manibus eorum. Rosa signi-

significat martyres per effusionem sanguinis, qui habet colorem rubeum. Eccl. 39. Et quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate. Oliua significat confessores propter oleum. psal. 51. Ego autem sicut oliua fructifera. Platanus significat uirgines propter frigiditatem libidinis incendiũ extinguentẽ, crescit.n. iuxta aquas. In aqua frigiditas notatur. Sicut cinamomũ & balsamũ aromatizans odorẽ dedi suauitatis. Eccles. 24. Quanto subtilius, tanto melius est, & magis odoriferum: & per hos intelligitur humilitas. Balsamũ autẽ quanto grauius & ponderosius, tanto melius, unde probatur in aqua, & si cito descendat ad fundum, habetur probatum. Per hanc proprietatem potest intelligi grauitas morum. Hæc autem duo dant odorẽ suauitatis. Est ergo sensus, quod Virgo est exaltata, sicut angeli, patriarchæ, & prophetæ, apostoli, martyres, confessores, & uirgines: & est liptote qui pauca dicit, significatq; magna. Fuit enim exaltata super choros angelorum, & super omnes sanctos: nec mirum si est exaltata, sicut angeli, patriarchæ &c. habuit.n. meritum angelorum angelice uiuendo. Hiero. In carne propter carnẽ uiuere, non terrena uita est, sed cælestis. Idem. Virginitas soror est angelorum habuit.n meritũ prophetæ prophetando. Luc. 1. Beatam me dicent oẽs generationes: vidit.n. spiritu prophetico, & prophetauit q̃ debebat beatificari ab omnibus gentibus, & quod omnes gẽtes debebant recipere filium Dei, & suum. Habuit meritũ apostolorum, & euangelistarum docendo. Multa enim scripta sunt & prædicata, quæ non potuerunt sancti nisi per reuelationem eius scire, sicut de ingressu angeli in conceptione, & aliis pluribus. Habuit meritum martyris, mortẽ crucis cum filio patiendo, Lucæ. 2. Et tuam ipsius animam pertransiuit gladius. Habuit meritum confessorum, deuotẽ Domino confitendo. Luc. 1. Magnificat anima mea Dominum. Habuit meritum uirginum, inchoando uirginitatem & conseruãdo. Luc. 1. Ingressus est angelus Gabriel ad Mariam Virginem: & sicut habuit meritum omnium & amplius, ita congruum fuit, ut super omnes ponatur hic sermo. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora, consurgens &c. ordines cælestium.

In fest

In festo B.Bernardi.

AVRVM & multitudo gemmarum,& uas pretiosum labia scientiæ, Prouer. 20. Possunt hæc uerba exponi de B.Bernardo, & commendatur hic ab humilitate prædicationis. Prædicauit autem tria principaliter,de Deo,de moribus & uirtutibus,& de dulcedine contemplationis & deuotionis.Hæc tria notantur in his uerbis.Primum,ibi.Aurum: secundū, ibi.Multitudo gemmarum:tertium,ibi. Vas pretiosum labia scientiæ.Aurum fuit omnibus os eius de Deo loquendo.Multitudo gemmarū de moribus & uirtutibus, loquēdo de dulcedine contemplationis & deuotionis. Fuit ergo os eius uas pretiosum,os aureum,os gemmeum, & os pretiosum: quia per aurum intelligitur diuinitas,ideo dicitur Cant.5. Caput illius aurum optimum.Gregorius. Caput Christi est Deus: & caput aureum,ergo aurum est diuinitas.Quod per gemmas intelligantur uirtutes,habetur Apocal.21.Ibi glosa per duodecim lapides intellexit duodecim uirtutes.De tertio,Hiere.51.Calix est aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram. Patet quomodo uino dulcedinis inebriauit totum mundum. Fuerunt ergo labia eius aurea,gemmea,& pretiosa.Vel aurum fuit beatus Bernardus per uoluntatis sanctitatem:multitudo gemmarum per morum honestatem,& uirtutum multiplicitatem:uas pretiosum per uirginitatis puritatem.Hæc tria cādantur de eo.B.Bernardus quasi uas auri, ecce aurum solitium,ecce pretiosum ornamentum omnium lapidum prehosorum,ecce multitudo gemmarum. Fuerunt autem in laoc nouem gemmæ,de quibus dicitur Ezech. 27. Omnis dpis pretiosus operimentum,sardium,topatium &c. Lapides isti significant nouem ordines angelorum, quibus fuit ootatus B.Bernardus,quia habuit in se uirtutes & officia smnium ordinum angelorum, sicut dicitur in libro, vbi cribuntur acta eius &c.

In festo

In festo Sancti Bartholomæi.

FICVM meam decorticauit, albi facti sunt rami eius, Ioel. 1. Possunt hæc exponi de B. Bartholomæo, & passione ipsius: circa quam notantur tria. Primo passus describitur ibi. Ficum meam. Secundo, eius passio exprimitur, ibi. Decorticauit. Tertio, ipsius præmium subiungitur, ibi. Albi facti sunt rami eius. Intelligitur B. Bartholomæus per ficum propter tria, quæ sunt in ficu. s. lignum, folia, & fructus. In ligno intelligitur eius cordis sanctitas: in foliis, locutionis ueritas: in fructibus, actuum eius suauitas. In ligno sunt tria, medulla, lignum, & cortex. In medulla est candor: in ligno, fortitudo: in cortice, utriusque obseruatio. Sic tria sunt necessaria ad cordis suauitatem. s. candor fidei, siue sapientiæ, quo ad rationalem: fortitudo spei, quo ad irascibilem: conseruatio, quæ est in charitate, quo ad concupiscibilem. De primo, Sap. 7. Candor est lucis æternæ & speculum sine macula. De secundo, Isa. 30. In silentio & spe erit fortitudo uestra. De tertio, Ro. 8. Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia &c. Ergo in ligno notatur cordis sanctitas, in foliis uero locutionis utilitas. Sunt autem tria in foliis. s. lacteitas in humore, uiriditas in colore, & asperitas in palpatione, & significant tria quæ sunt necessaria in locutione. s. puritas, delectabilitas, & utilitas. Puritas in ueritate, delectabilitas in honestate, & utilitas in uerborum bonitate. Lacteitas per candorem. s. puritatem: uiriditas, quæ est color delectabilis, propter delectabilitatem: asperitas significat utilitatem. Sicut enim blandus sermo est noxius, quia seducit: sic asper utilis, quia corrigit. Quod hæc sint necessaria, patet. De primo, Prouerb. 15. Purus sermo pulcherrimus &c. De secundo, Prouerb. 16. Fauus mellis uerba composita. De tertio, Ephes. 4. Omnis sermo malus ex ore uestro non procedat &c. Sic ergo nota in foliis locutionis utilitas, in fructu autem nota actionis sanctitas. Considerantur autem tria in fructu, intus rubicunditas, extra uiriditas, in gustu uero suauitas, & significant hæc tria quæ necessaria sunt ad salutem. Oportet enim quod

acti-

actio fiat in charitate, quæ intelligitur in rubore: in mediocritate, ut nō accedat ad extrema, ne fiat plus uel minus, hoc intelligitur in uiriditate. Est enim uiriditas color medius. Item, ut fiat in humilitate, quæ intelligitur in nigredine. Item, ut fiat cum hilaritate, quæ intelligitur in gustus suauitate. Hęc sunt necessaria in actione. De primo, 1. Cor. 16. Omnia uestra in charitate fiant. De secundo, Rom. 8. Rationabile obsequium uestrum, ne fiat. s. plus, vel minus. De tertio, Luc. 17. Cum omnia feceritis, dicite quia serui inutiles sumus &c. Greg. Qui cæteras uirtutes sine humilitate congregat, in uentum puluerem portat. De quarto. 2. Cor. 8. Non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Hæc omnia habuit B. Bartholomæus, & ideo congrue est significatus per ficum, ergo passus describitur: sed in decorticatione passio exprimitur. Fuit enim ipse excoriatus propter tria. Primo, ut Deo tanquam uerus agnus in holocaustum offerretur. Leui. 1. Detractaque pelle hostiæ artus in frusta concident, & subiicient in altari ignem, strue lignorum ante composita &c. Secundo, ut ab omni humore exsiccaretur, sic decoriatur arbor ut siccetur. De hac ficu, Matth. 7. Nunquid colligunt de tribulis ficus &c. Item, fuit excoriatus ut sicut serpens in æternitate renouaretur. Matth. 10. Estote prudentes ut serpentes. Prudentia serpentis est corium deponere, ut renouetur, Primum subiungitur, ibi. Albi facti sunt rami eius. Rami animę memoria, intelligentia, & uoluntas: rami uero corporis sensus corporis. Memoria dealbabitur per comprehensionem æternitatis: intelligentia, in cognitione omnis ueritatis: uoluntas, in perfruitione omnis desiderabilis. Rami corporis, idest sensus dealbabuntur, quia quilibet sanctus recipiet iucunditatem. Dealbari ergo potentias animæ & sensus corporis nihil aliud est, quam glorificari in receptione albæ stolæ. Apoc. 8. Lauerūt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine agni &c. Ad quam perducat &c.

De

De B. Augustino.

PROFVNDA quoque fluuiorũ scrutatus est, & abscondita in lucem produxit, Iob. 28. Satis proprie conueniunt hæc uerba B. Augustino: & notantur hic duo. Primo, secretorum perscrutatio: secundo, eorum manifestatio. Primũ, ibi. Profunda quoque fluuiorum scrutatus est. Secundum, ibi Et abscondita produxit in lucem. Circa primum sciendũ, quod B. Aug. scrutatus est profunda quatuor fluuiorum, scripturæ, creaturæ, culpæ, & gratiæ. Scrutatus est autem profunda triplicis scripturæ, scilicet philosophorum, hæreticorum, & sanctorum. Propter primum fuit philosophus, propter secundum fuit hæreticus, propter tertium fuit catholicus. De primo, Hiere. 2. Quid tibi uis in uia Assyriorum, ut bibas aquam fluminum? De secundo, ibidem. Quid tibi in uia Aegypti, ut bibas aquam turbidam? De tertio. psal. 92. Eleuauerunt flumina Domine eleuauerunt flumina uocem suã &c. idest scripturæ. Quòd scrutatus sit ipse libros philosophorum, dicit ipse in lib. confessio. ubi dicit, quòd ab utroque doctore didicit omnes libros, & artes quas liberales uocant: quòd libros hæreticos, dicit ipse in eodem libro: quòd catholicos, testatur ibidem. Scrutatus est quoque profunda triplicis creaturæ, spiritualis, corporalis, & compositæ, hoc est, angelicæ, humanæ, corporeæ. Primum paret in libro, quem fecit de hierarchia angelica: secundũ, in libro de spiritu & anima: tertium, in libro Gen. ad literam. Sic patet quod scrutatus est profunda fluminis creaturæ. Dicitur autem creatura fluuius, quia fluit semper de esse ad non esse per corruptionem: & de nõ esse ad esse per generationem. Apocal. 17. Aquæ multæ populi multi. 2. Reg. 14. Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur. Scrutatus est etiam profunda tertii fluminis, idest, culpæ: & triplicis, scilicet originalis, actualis, mortalis & uenialis. De primo, dicit in lib. 1. confess. De secundo, a secundo libro usque ad nonum. De tertio, in decimo libro. De his fluminibus dicitur in psalm. 136. Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Item,

scrutatũ

scrutatus est profunda quarti fluminis, hoc est, gratiæ triplicis, scilicet præuenientis, subsequentis, & perficientis: vnde loquitur in libro de gratia de his omnibus. Similiter loquitur in enchiridio de his fluminibus. Io. 8. Qui credit in me, flumina fluent de ventre eius aquæ uiuæ: & sic commendatur hic a diligenti secretorum pe scrutatione. Secundo, commendatur ab absconditorum manifestatione, ibi. Abscondita produxit in lucem, scilicet cognitionis absconditæ, trinitatis, cælestis ciuitatis, & scripturæ ueritatis. Primum, patet in lib. de Trinitate: secundum, in libro de ciuitate Dei: tertium, in expositione Isaiæ, Ioannis, Canticorum, & Genesis, & aliorum multorum. Multa quoque alia abscondita produxit in lucem cognitionis, sicut patet in libris multis quos fecit &c.

In Decollatione Sancti Ioannis Baptistæ.

IVSTVS de angustia liberatus est, Prou. 11. Iustus dicitur B. Ioannes Baptista propter tria, Primo, propter omnium uirtutum possessionē. Secūdo, propter carnis mortificationē. Tertio, propter liberā malorū correptionē. His tribus modis sumitur iustitia. De primo, Luc. 1. Spiritusancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. De secundo, Matth. 1. Erat indutus de pilis camelorum. De tertio, Matth. 3. Genimina uiperarum quis uos docuit fugere a uentura ira? &c. Marci. 6. Ionnnes arguebat Herodem. Fuit liberatus hodie a triplici angustia, scilicet carceris, corporis, & sæculi. De primo, Marci. 6. Decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in disco, & dedit illud puellę & puella dedit matri suæ. De secundo, psal. 141. Educ de custodia animam meam. Verbum potest esse B. Ioannis Baptistæ. Ro. 7. Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? De tertio. 1. Ioan. ult. Totus mundus in malgno positus est. Io. 15. In mundo pressuram habebitis. psalm. 136. Super flumina Babylonis &c. Impius fuit Herodes specialiter propter tria in decollatione eius. Primo, quia innocentem & sanctum condemnauit, Marci.

6. Sciens

6. Sciens eum virum iustum & sanctum & custodiebat eum, & multa audito eo faciebat, & libenter audiebat eũ. Secundo, quia eum qui salutem suam procurabat, decapitauit. Ibidem. Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Tertio, quia caput prophetæ Dei donauit pro vno saltu. Marci. 6. Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puellæ. Pete a me quod vis &c. Fuit autem traditus Herodes in triplicem angustiam pro B. Ioãne, in angustiam regni amissionis, incarcerationis, & æternæ damnationis. Tradit enim Iosephus quòd parum post decollationem B. Ioannis, exercitus regis Archelai eum regno priuauit, & captũ ligauit, & post modum eum Deus æternis tormentis damnauit: ideo malum est esse impium. Prou. 16. Impium quoque ad diem malum. Sed pium est esse iustum, Prou. 10. Iustitia uero liberabit a morte &c.

In natiuitate Beatæ Mariæ.

EGREDIETVR virga de radice Iesse, Isa. 11. *Quære in Annuntiatione Beatæ Mariæ.*

In exaltatione sanctæ crucis.

EGo si exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum &c. Ioan. 12. In his verbis duo notantur, scilicet modus patiendi, & vtilitas ipsius passionis. Modus dicitur ibi. Si exaltatus fuero. Vtilitas, ibi. Omnia traham &c. Philip. 2. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, psal. 109. De torrente in via bibit, propterea exaltabit caput. Tertio, quia merito suæ passionis exaltauit nos cum essemus vilissimi & abiectissimi, Hierem. 2. Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas, & ab Ægypto confunderis sicut confusa es ab Assur. psal. 117. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me super angelos. psal. 8. Eleuata est magnificentia tua super cælos. Ioan. 12. Volo pater vt vbi sum ego, illis & minister meus sit &c.

Quarto, vt ostẽdatur quia ꝙ vile est in conspectu hominũ, exaltatum est in conspectu Dei: & econtra, humilis in conspectu hominũ, exaltatũ est in conspectu Dei. Quinto, vt ostenderet modum exaltationis, quia per humilitatem: vnde humiliauit se formã serui accipiens, Luc. 14. Qui se humiliat, exaltabitur. Sequitur. Omnia traham ad meipsum. Attractio naturaliter fit sex modis. Primo, per quandam assimilationem, sicut faciunt aucupes: ita Christus suscepit formam hominis vt ad se traheret. Rom. 8. Deus mittens filiũ suum in similitudinem carnis peccati &c. Homo enim erat in regione dissimilitudinis, vnde dixit ironice. Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis. Secundo, per quandam concauitatem sicut spongia aquam. Concauitas Christi eius humanitas fuit. Matth. 15. Venite ad me omnes: & statim subiungit: Discite a me quia mitis sum, & humilis corde. Ber. Omnino currimus post te, Domine, propter mansuetudinem tuam. Tertio, per colligationem Dominus attraxit nos miserabilibus funibus Oseæ. 9. In funiculis Adam traham te. Quarto, per dulcem allectionem. Ioan. 6. Verba vitæ æternæ habes. & Idem. Numquàm sic locutus est homo. Augusti. in lib. confessionum. Vulnerasti cor meum verbo tuo, & amaui te. Quinto, per repromissiones. Dan. 12. Et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Matth. 20. Ite vos in vineam meam. Sexto, propter naturalem appetitionem, sicut ignis extendit se sursum, terra vero deorsum: vnde quia centrum est sursum, numquàm potest quiescere deorsum. Vnde Ioã. 18. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Augu. in li. confes. Suspensus erã ad te &c. Greg. Cũ oĩa sint facta ad quærendũ Deũ, nihil humanæ menti sufficit ꝙ non sit Deus. Aug Tantæ siquidem dignitatis est humana cõditio, vt nullum bonum, præter summum, possit ei sufficere: vnde ex ipso verbo ipse probat peccatores non esse. Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum, idest, peccatores: & non fuerunt tracti, ergo peccatores nihil sunt. Homo dicitur omnia, quia est finis omnium, quia vltimo factus, quia propter eum facta sunt omnia. ps. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius vel quia est capax omnium, vel quia habet participationem

cipationem cum omnibus, sicut dicit Grego. super illo verbo, Prædicate euangelium omni creaturæ, Rogemus ergo Dominum. *Require in Inuentione sanctæ Crucis.* 123.

In festo sancti Matthæi Apostoli.

VIDIT Iesus hominem sedentem in telonio, Matthæi nomine, Matth. 9. In isto euangelio tria notantur. Primo, magna Domini nostri Iesu Christi benignitas. Secundo, B. Matthæi sanctitas. Tertio, magna pharisæorum cæcitas. Magna Dei benignitas notatur in quinque. Primo, in Matthæi sanctificatione. Secundo, in eius ad apostalatum vocatione. Tertio, in familiari cum eo & cum aliis publicanis commestione. Quarto, in pharisæorum peccatorum confutatione. Quinto, in ipsi⁹ misericordię cōmēdatione. Magna.n. benignitas fuit, q̄ tam magnum peccatorem iustificauit, vel sanctificauit, q̄ ad apostolatum vocauit, quòd cum eo tam familiariter māducauit, q̄ pharisæus peccatores qui cōtēnebat confutauit, quòd tantum diuinam misericordiam commendauit. Primum, ibi. Vidit. Deus eum vidit quadruplici oculo, scilicet gratiam infundēdo. Eccle. 11. Est homo marcidus egēs recuperatione: & post. Oculus Dei respexit illum in bono: quod totum satis bene exponitur de B. Matthęi vocatione. Secundum, ibi. Vocauit eum. Isa. 41. Vocaui te, & non cognouisti &c. hoc est, non cognoscebas, cum esses magnus peccator: & vocaui te ad Apostolatum. Tertium, ibi. Et factum est cum discumberetur in domo. Quartum, ibi. Non est opus valentibus medico, sed male habentibus, quasi dicat, vos non me indigetis, quia nos sanos reputatis. Quintum, ibi. Euntes discite quid est quia misericordiam volo, & non sacrificium. Sanctitas Matthæi notatur similiter in quinque. Primò, in omnium desertione: secundo, in veloci obedientia: tertio, in Christi imitatione: quarto, in hospitalitatis exhibitione: quinto, in omnium peccatorum suorum manifestatione. Primum, ibi. Relictis omnibus, Luc. 5. Secundum, ibi. Surgens: statim enim Domino præcipienti obediuit. psal. 17.

In auditu auris obediuit mihi.Tertium, ibi. Secutus est eũ imitando. Eph.5.Imitatores Dei estote. Hoc est totum bonum hominis,sicut dicit Augustinus,vt imitetur Christũ, vt fugiat quæ ipse contempsit, & eligat quæ ipse elegit. Quartum,ibi.Fecit ei conuiuium magnum.Heb.11.Hospitalitatis nolite obliuisci:per hanc enim quidam placuerunt Deo angelis hospitio receptis, quanto magis recepto ipso Domino? Quintum,ibi.Publicanus Matthæus nomine.Cũ enim fuerit binomius, voluit se vocari illo nomine quo magis erat notus, vt sic magis cognosceretur peccatum suũ. Alii autem euangelistę vocauerunt eum nomine suo.Phariſæorum cæcitas notatur in quinq;.Primo, quia peccata sua grauia non videbant. Secundo, quia aliorum minus grauia iudicabant: habebant enim in corde suo superbiam, quæ est maximum peccatorum omnium: & inuidiam,vel auaritiam,vel luxuriam,quæ sunt minora,contemnebãt. Mat. 7. Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui &c.Tertio,quia quem laudare debebant,vituperabant. Laudandus est quis de misericordia & benignitate corporali, hæc reprehendebant.Prouerb. 22. Nouit iustus,idest Christus, animas iumentorum suorum, tamen per prædestinationem: viscera autem impiorum, idest, pharisæorum hypocritarum crudelia. Quarto, quia vnde debebant gaudere, inuidebant. Inuidebant Deum misericordem. psam. 88. Misericordias Domini in æternum cantabo. Quinto, quia vnde debebant illuminari, excæcabantur: quoniam de Dei misericordia detrahebant. Eccles. 36. Ostende nobis lucem miserationum tuarum,hæc fiebant ibi.Et mirabantur pharisæi dicentes, quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis &c. Pharisæorum cæcitas est fugienda, Matthæi sanctitas imitanda,& Dei benignitas diligenda,& laudanda &c.Rogemus.*Quare in festo sancti Io. Apost.* Cibauit illum pane vitæ & intellectus &c.

In festo Sancti Michaelis.

IN omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Prou.15. In his verbis notantur tria. Primo Dei prouidentia: secundo, eius bonitas. tertio, ipsius iustitia. Primum, ibi. In omni loco: secundum, ibi. Bonos: tertium, ibi. Et malos. Circa primum sciendum, quòd in triplici loco cõtemplatur Dñs, ſm quod in triplici loco contingit esse rationabilem creaturam, in loco luminoso, in loco tenebroso, & in loco luminoso & tenebroso. Locus luminosus est cælũ empyreũ, vbi est lumen sine tenebris: locus tenebrosus est infernus, vbi sunt tenebræ sine lumine: locus luminosus & tenebrosus est iste mundus, vbi est lumen & tenebræ. Primus locus intrinsecus, secundus extrinsecus, tertius medius. In primo cõtemplatur tantum bonos, in secundo tantum malos, in tertio bonos & malos. De primo, Gen.2. Fons egreditur de loco voluptatis. De secundo, Luc.17. Ne ipsi veniant in locum tormentorum. Deut.32. Inuenit eum in terra deserta, & in loco horroris & vastæ solitudinis. De tertio, Iob.34. Deus dedit eis locum pænitentiæ &c. Propter hoc enim ponitur homo in mundo isto, vt agat pænitentiam. Iudic.2. Ascendet angelus Domini de Galgala in locum flentium. Est autem timenda visio Dei maxime ex quatuor. Primo, quia iudicat: secũdo, quia videt tenebrosa: tertio, quia nemo se potest a visione eius abscondere. Abscondita, quia nullus potest post parietes latere: occulta videt, quia omnes cogitationes cordis. De his omnibus Eccle.34. Oculi eius multo lucidiore sole. Sic ergo hic notatur Dei prouidentia. In hoc ergo quod addit, bonos, significat ad bonum. Videt aũt eos primo, vt ab omni malo eripiat. Secundo, vt orationes eorũ exaudiat. Tertio, vt misericordiam exhibeat. Quarto, vt bonum gratiæ conferat. Quinto, vt in oĩbus protegat. Sexto, vt bonum gloriæ tribuat. De primo, psal.32. Oculi Domini super metuentes eum. De secundo, psal.33. Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum &c. De tertio, Hierem.24 Et ponam super eos oculos meos ad planctum. De quarto, Ecclesi.11. Oculus Domini respexit il-

lum &c.id est, in bonum. De quinto, psa.32. Oculi Domini super timentes eum & sequitur, quis est protector scilicet. In eis qui sperant super misericordia eius. De sexto, Isa.49. Glorificatus est in oculis Domini. Videt ergo bonos ex sua bonitate: videt autem malos ex sua iustitia. Videt autē eos quatuor modis. Primo, eorum opera considerando: secūdo, super malis eorum indignando: tertio, condemnando: quarto, eis non parcendo: quinto, pœnam velociter inferendo. De primo, Eccl.29. Opera omnis carnis.i.carnalium coram illo: & non est quicquàm absconditum ab oculis eius. De secundo, Isa.59. Et vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius. De tertio, Amos.9. Oculi Domini super regnum peccatoris, vt conterat illud. De quarto, Ezech. 21. Et non pepercit super bonū: videt ergo malum ex iustitia. Isti sunt duo oculi, bonitas qua respicit bonos: & iustitia, qua videt malos. In istis ergo notatur Dei prouidentia, & eius bonitas, & ipsius iustitia. Prouidentia reuerenda, bonitas diligenda, iustitia metuenda.

De eodem.

ANGELI eorum semper vident faciem patris mei, Matth. 18. In his verbis notantur tria de angelis. Primo, angelorum benignitas. Secundo, sanctorum angelorum iucunditas: tertio, iucunditatis æternitas. Primum, ibi. Angeli eorum: secundum, ibi. Faciem patris: tertium, ibi. Semper. Magna benignitas angelorum notatur in hoc, quòd dicuntur nostri: & bene nostri, quia quàm cito anima creatur, datur ei angelus, quia sine dubio maximum est tam nobilem creaturam seruire homini peccatori & ingrato frequenter. Seruire autem dicuntur nobis tripliciter, scilicet purgando, illuminando, & perficiendo. Istæ enim tres operationes conueniunt omnibus hierarchiis, sicut dicit Dionys. Primum, pertinet ad mali remotionem: secundum, ad intellectus illuminationē: tertium ad affectus perfectionem. Primo enim a malis purgamur, in intellectu illuminamur, in affectu pficimur. Purgamur per remotionem prauitatis & dissimilitudinis: illuminamur

minamur per susceptionem diuini luminis: perficimur per inflammationem diuini amoris. De primo, Dionys. Oportet purgandos puros effici, & ab omni liberari dissimilitudinis effusione. De secundo, ibidem. Oportet illuminandos impleri diuino lumine, & ad contemplandam placidissimam virtutem castissimis mẽtis oculis reduceudos. De tertio, ibidem. Oportet instaurandos participes fieri sacramentorum perfectiuæ scientiæ. Et quia nobis hæc faciunt, dicũtur angeli nostri: quia faciũt nobis octo seruitia, de quibus quære in processu primæ Dominicæ Quadragesimę &c. Sic ergo notatur eorum benignitas. Beatitudinis eorum iucunditas notatur, ibi Faciem patris mei. Facies quippe eius est admirabilis, delectabilis, amabilis, & desiderabilis. Admirabilis, propter maiestatis infinitatem: delectabilis, propter gratiarum multiplicitatẽ: amabilis, propter ineffabilis pulchritudinis claritatem: desiderabilis, propter gloriæ æternitatem. De primis duobus Hesther. 9. Valde es admirabilis Domine, & facies tua plena gratiarum. Aug. Tanta est iucũditas diuini aspectus, vt numquàm videri possit sine amore. De secundo. 1. Pet. 1. In quem desiderant angeli prospicere. Satis iucundum est videre faciem tam admirabilem, tam delectabilem. Tertio, notatur beatitudinis æternitas, ibi. Semper: & importat tria, quòd sine intermissione, sine fine, & tota iucunditas eorum erit simul. ergo sancti angeli, & si ad exteriora officia mittantur, ab intimis contẽplationibus numquàm recedunt. Boetius. Aeternitas est vitæ possessio tota simul, Ad quam æternitatem perducat nos &c.

De Beato Francisco.

IVSTVM deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, Sap. 11. In his verbis notantur duo. Primo, sanctorum meritum, ibi. Iustũ deduxit. Secundo, premiũ sanctorum, ibi. Ostendit illi regnum. Circa meritum notãtur tria. Primo, causa a qua est meritum: secũdo, in qua est meritum: tertio, secundum quã est meritũ. Causa efficiens meriti est Deus,

causa in qua est meritum est iustum, causa secundum quã est meritum est via recta: hæc est formalis. Primum, ibi. Dominus: secundum, ibi. Iustum: tertium, ibi. Per vias rectas. Est autem Dominus causa efficiens meriti quatuor modis. Primo, faciendo idoneum ad merendum: secundo, mouendo ad volendum: tertio, iuuando ad faciendum: quarto, conseruando ad perseuerando. Primum facit per gratiã præuenientem: secundum, per gratiam subsequentem: tertium, per gratiam proficientem: quartum, per gratiam consummantem. De primo. 1. Corint. 4. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. De quarto, Phil. 1. Qui cœpit in vobis opus bonũ, ipse perficiet vsque in diem in Christi Iesu &c. De his. 1. Corinth. 15. Gratia Dei sum id quòd sum, & gratia eius in me vacua non fuit. Circa secundum sciendum, quòd iustus dicitur multipliciter, secundum quod iustitia dicitur multipliciter. Iustitia enim dicitur innocentia. Glosa super illud Exod. 13. Occidit Dominus omne primogenitum. Mors primogenitorũ est amissio iustitię naturalis, qua sibi hoĩes sociales sunt. Secundo, dicitur iustitia humilitas. Matth. 3. Sic decet nos implere omnem iustitiam. glosa, idest, humilitatem. Tertio, dicitur iustitia bona voluntas. Anselmus. Iustitia est rectitudo voluntatis conseruata propter se. Quarto, iustitia dicitur misericordia. Aug. Iustitia est in miserendo miseris. Quinto, iustitia dicitur ius reddens vnicuique quod suum est. Isidorus. Iustitia est virtus, qua redditur vnicuiq; quod suum est. Sexto, iustitia dicitur gratia iustificans. Rom. 5. Iustificati gratis per gratiam ipsius. Septimo, iustitia dicitur omnis bonitas. Heb. 1. Dilexisti iustitiam. glo. idest omnem bonitatem. Octauo, dicitur iustitia perseuerantia in bono opere: vnde in definitione. Iustitia est constans & perpetua voluntas animi &c. Iustus ergo dicitur, qui seruat innocentiam, qui habet gratiam iustificantem, rectam voluntatem, humilitatem, & misericordiam, qui reddit vnicuique quod suum est, qui habet omnem bonitatem & perseuerantiam in bonitate. Sequitur, Per vias rectas. Rectæ sunt illæ, per quas recte itur ad vitam æternam. Illæ autem sunt quinque. Primo, charitas. 1. Cor. 13. Adhuc excellẽtiorem vobis

viam

viam demonstro. Secundo, paupertas. Matth 5. Beati paupe res spiritu. Tertio, tribulationum tolerãtia. Act. 13. Per mul tas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Quar ta, obedientia. Greg. super illud Matth. 2. Per aliam viam reuersi sunt in regionem suam &c. Per aliam viam redire monemur, vt qui propter inobedientiam a paradiso cecidimus, per obedientiam reuertamur. Quinto, veritas. Anselmus. Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis. psa. 24. Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas. Sic ergo in præmissis notatur sanctorum meritum in sequentibus præmium ostenditur, ibi. Ostendit illi regnum Dei. Regnum Dei dicitur ciuitas cælestis, siue beatitudo æterna, quæ dicitur proprie regnum Dei, Ad quod nos perducat &c.

De sancto Dionysio.

MIhi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, Gal. 6. &c. *Require in Inuentione sanctæ Crucis.* Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos. Matth 11. *Quære in festo sancti Matthiæ Apostoli.*

De eodem.

VOcans ab oriente autem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ. Isa. 46. Possunt hæc verba exponi de B. Dionysio: & notantur hic tria ad eius commendationẽ. Primo, eis dignitas: secundo, sapientiæ ipsius claritas: tertio, contemplationis sublimitas Primum ibi. Vocans: magna dignitas est vocari a rege cæli, a dominatore angelorum, a Domino omnium. Secundum, ibi. Ab oriente: tertium, ibi. Auem. Circa primum sciendum, quòd Dominus vocauit B Dionysium quadrupliciter. Primo, ad sanctitatem radiis virtutum eum illuminando. Secundo, ad prædicationis effectum, eum in episcopali dignitate sublimando. Tertio, a Græcia in Franciam deducendo, & eã per ipsum illuminando. Quarto, de mundo ad cælum cum gloria martyrii coronando. De primo, Act. 17. In quibus & Dionysius

Dionysius Areopagita credidit. De aliis tribus in legenda sua. In hoc ergo quòd dicitur, vocans, notatur eius dignitas, ab oriente, sapientiæ claritas: & exponitur tribus mõdis. Primo, ad literam: ab oriente enim venit in occidentẽ, vt tamquàm verus sol partes occiduas illuminaret. Secundo. Ab oriente, ideſt ab Athenis. Oriens enim eſt principiũ luminis, cum ab eo veniat omne lumen, & Athenis principium & caput erat tunc omnis philoſophiæ & ſapientiæ. Tertio, ab oriente, ideſt ſapientis claritate: habuit enim multiplicem ſapientiam, cum philoſophus fuerit. Contemplationis eius ſublimitas notatur, ibi. Auem: i volauit enim tãquàm auis altiſsima contemplando. Volauit autem tripliciter in cælũ. In cælũ humanæ naturæ, in cælũ angelicæ naturæ, in cælũ ſanctiſsimæ Trinitatis. In primo cælo vidit cæleſtem ſub hierarchia: in ſecundo, vidit cæleſtem hierarchiam &c. De eodem. Sancti per fidem uicerunt regna. *Require in feſto ſancti Fabiani.* De ſancto Luca. Beati pauperes ſpiritu, qm̃ ipſorũ eſt regnum cælorum &c. *Quære ibidem.*

De ſancto Luca Euangeliſta.

ECCE ego mitto vos ſicut agnos inter lupos, Luc. 10. In his verbis tria notantur. Primo, datur ſanctis confidentia: ſecundo, ſubiungitur eorum innocentia: tertio, ſubditur iniquorum malitia. Primum notatur, ibi. Ecce ego mitto uos, qui ſum bonus, ut uelim defendere: ſum ſapiens, ut ſciam protegere: ſum omnipotens, ut poſsim eripere. Cum ego inquam ſic bonus, ſic ſapiens, ſic potens mittam vos, debetis in omnibus confidere. De primo, Ioan. 10. Ego ſum paſtor bonus: bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. ſ. defendendis. De ſecundo. Ioan. 18. Cum eſſem cum eis, ſeruabã eos. De tertio. Iſa. 40. In brachio ſuo protéget agnos. i. in potentia ſua defendit eos. n brachio. In intelligitur fortitudo. Secundum vero, ibi. Sicut agnos. Agni dicuntur ſancti propter tria. Primo propter innocentiam: ſecundo, propter ſimplicitatem: tertio, propter manſuetudinem. Sic ſancti ſunt innocentes malum non faciendo, ſunt ſimplices intentionem

nem suam ad Deum dirigendo, mansueti mala illata sine animi amaritudine sustinendo. De primo, 2. Cor. 6. Nemini dantes vllam offensionem. 2. Pet. 3. Satagite immaculati in ueniri. De secundo, Matth. 10. Estote simplices sicut columbæ. De tertio, Hierem. 11. Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam &c. Iniquorum malitia notantur, ibi. Inter lupos: & dicuntur mali lupi propter tria. Primo, propter nequitiam: secundo, propter inuidiam: tertio, propter sæuitiam. Lupus est animal rapax, ideo significat in malis nocendi nequitiam: habet visum corruptum, quia aufert homini vocem, si primo eum videat quàm videatur ab eo, ideo significat inuidiam. Est animal crudele, ideo significat malorum sæuitiam. De nocendi nequitia, Hierem. 5. Lupus ad vesperam vastauit eos. De inuidia, Gen. 37. Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph. 1. inuidia. De tertio, Sophon. 3. Iudices eius lupi vespere non derelinquebant in mane &c. Beatus iste sanctus sicut agnus innocens, similiter mansuetus in medio iniquorum cum dicta protectione, sapientia, & bonitate custoditus, reductus est quasi ad ouile uitæ æternæ, Ad quam nos perducat &c.

De eodem.

CIBAVIT illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum, & firmabitur in illo, Eccl. 15. *Quære in festo sancti Ioannis euangelistæ.*

De sancti Simone & Iuda ex euangelio.

VOs non estis de hoc mundo, sed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus, Ioan. 15. In his verbis notantur tria. Primo, sanctorum dignitas: secundo, Christi benignitas: tertio, mundi malignitas. Primum, ibi. Vos non estis de hoc mundo. Magna est dignitas sanctorum, quod non sunt ciues huius sæculi nequam, sed sunt ciues cæli. Ephes. 2. Estis ciues sanctorum & domestici Dei. Dicũtur aũt sancti non esse de mũdo propter tria. Primo, quia mũdum, & omnia quæ eius sunt despiciunt. Secundo, quia mundus eos persequitur. Tertio, quia nõ secundum mores mundi uiuunt. De primo, Matth. 11. Ecce nos

ce nos reliquimus omnia. 1. Ioan.2. Nolite diligere mundum neque ea quæ in eo sunt Philip. 4. Omnia arbitratus sum vt stercora. De secundo, Ioan.15. Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret: quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus &c. Item, non viuunt secũdum mores mundi. Mores mundi sunt gaudere, delitiis affluere: mores vero sanctorum sunt tristari, flere, & affligi. Ioan.16. Mundus gaudebit, vos autem cõtristabimini. Item dicit Apostolus. Nostra conuersatio in cælis est, & non in mundo. Benignitas notatur in secunda clausula, ibi. Ego elegi vos de mundo. Primo, elegi tam viles seruos quàm eligeretur. Ioan. 15. Non uos me elegistis, sed ego elegi vos &c. Elegit autem Dominus sanctos de mundo propter tria. Primo, propter ipsius mundi malignitatem: secundo, propter pœnarum, quæ in eo sunt, multiplicitatem: tertio, propter per eundi necessitatem. De primo. 1. Ioan. 5. Totus mũdus in maligno positus est. De secundo, Greg. Contemnendus est hic mundus, etiam si rebus prosperis animum demulcet: nunc autem quia tot calamitatibus premit, quid aliud nisi vt contemnatur clamat? De tertio, 1. Ioa.2. Et mundus transit, & concupiscentia eius. Mundi malignitas notatur in tertia clausula, ibi. Propterea odit vos mundus: & apparet magna iniquitas, qua mundus odit sanctos, maxime propter tria. Primo, quia ab ipsis mundus illuminatur. Secundo, quia per ipsos a periculis liberatur. Tertio, quia per ipsos saluatur. De primo, Matth. 5. Vos estis lux mundi. Philip.2. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. De secundo, Gene. 19. Si inuenero ibi decem iustos, parcam eis &c. vnde sequitur quòd sancti sunt causa quòd mundus non perit. Item, mundus per sanctos saluatur: vnde vni ex eis dictum est. Gene. 41. Vocauit nomen eius Saluatorem mundi, & Isa. 19. Mittet eis Saluatorem &c. Patet quòd sanctis istis conueniant verba ista. Ipsi non fuerunt de mundo, sed electi a Deo, ideo mundus odiuit eos, & occidit: & propter hoc venerunt ad uitam æternam, Ad quam &c. De eodem. Propter te mortificamur tota die. *Quære in festo. SS. Ioannis & Pauli.*

In festo omnium Sanctorum ex euangelio.

VIDENS Iesus turbas ascendit in montem. Matth. 5. In his verbis duo notantur, scilicet Dei bonitas,& ipsius maiestas. Vidēs Iesus turbas, quas Deus vidit diuersis temporibus oculis suæ bonitatis. Prima fuit turba angelorum,quam uidit in initio temporis,eos in beatitudine confirmando. Gen. 1. Vidit Deus lucem quòd esset bona, idest,angelicam naturam,dicit Augustinus.Secunda patriarcharum, quam vidit eos fide illuminando.Osee.9.In cacumine eius uidit patres eorum, idest in sublimitate sanctitatis. Tertia turba prophetarum, quam uidit prophetali radio illuminando. Hierem.1.Priusquàm te formarem in utero,nouite.Quarta turba,apostolorum,quam vidit eos ad prædicationis officium mittendo.Matth.4. Vidit duos fratres,& ait illis. Venite post me,faciam vos fieri piscatores hominum.Quinta turba martyrum, quam uidit eos in passione consolando. psal.33. Oculi Domini super iustos.Sexta turba confessorum,quam vidit eos luce scientiæ illuminando.psa.32.Oculi Domini super timentes eum. Septima turba uirginum, quam vidit sibi inseparabiliter copulando: hi sunt autem qui cum mulieribus non sunt coinquinati &c. & post. Hi sequuntur agnum quocunque ierit.Iste sunt septem turbę, de quibus dicitur in euangelio. Primæ turbæ conuenit prima beatitudo,scilicet Beati pauperes spiritu, idest, angeli humiles,qui pauperes extiterant superbia,qua diues & plenus fuit lucifer cum suis sequacibus. Secunda patriarchis, qui fuerunt mites, qui tot minis lacessiti mansuetudinem seruabāt,& ideo data est eis terra promissionis.Tertia prophetis,qui propter mala quæ videbant, fletibus vacabant. Quarta apostolis, qui tantam habuerunt famem iustitiæ, quòd vt satiari possent,eam per totum mundū quærebant. Quinta,scilicet misericordia martyribus, qui ita fuerunt pleni misericordia, vt eam suis persecutoribus impenderint.Sexta virginibus,qui munditiam corpore & mente seruabant.Septima confessoribus,qui vt pacifice possent viuere,ab omni inquietudine se segregabant. In uisione ergo

turbarum apparet eius bonitas, sed in montis ascensione apparet eius maiestas. Ascendit in quàm in montem: ascendit in triplicem montem. Primus mons, patris diuinitas: secūdus, matris virginitas: tertius, cæli sublimitas. De primo, psal. 67. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Dominus enim inhabitat inaccessibilem lucem æternitatis. 1. Timot. 1. Lucem inhabitat inaccessibilem. De secūdo, Dan. 4. Lapis abscisus est de monte sine manibus, quia natus est Christus de Virgine sine opere humano. De tertio, psal. 23. Quis ascendit in montem Domini? Primum montem ascēdit ab æterno in sua a patre generatione: secūdum, in incarnatione: tertium, in ascensione. De primo Matth. vlt. Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, hoc est, Ascendisse me ab æterno, modo apparet. De secundo, Isa. 19. Ascendit Dominus super nubem leuem &c. De tertio, Ephes. 3. In prima ascensione apparet æternitas, in secunda eius humanitas, in tertia eius gloria. In prima est adorandus, in secunda amandus, in tertia desiderandus &c.

De Sancto Martino.

SCIDI PALLIVM meum, euulsi capillos & barbam, & sedi mœrens. Hesth. 9. Hæc verba possunt exponi de B. Martino. Et notantur hic tria, quæ fecit in triplici statu, scilicet in statu militis, in statu monachi, & in statu episcopi. Fuit enim miles, monachus, & episcopus. Miles pallium scidit ad literā, & pauperi nudo dedit. Isa. 4. Cum videris nudum, operi eū. Monachus capillos euulsit, idest, temporalia reliquit, quæ per capillos designant. Episcopus mœrens sedit, quia ad episcopum pertinet peccata subditorū flere. Hierem. 11. Quis dabit capiti meo aquam &c. Moraliter in verbis istis notantur tria necessaria pœnitenti, scilicet contritio, confessio, & carnis maceratio. Primum, ibi. Mœrens. Est enim contritio dolor de peccatis. psal. 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo &c. Secundū, ibi. Euulsi capillos & barbam, idest, peccata mentis & carnis, s. carnalia & spiritualia, quæ radenda sunt nouacula cōfessionis.

fesſionis. Ezech. 5. Sume tibi gladiũ acutũ radens pilũ &c. Carnis maceratio pertinet ad ſatisfactionem, nota ibi. Scidi pallium. Per pallium intelligitur corpus. Cant. 5. Tulerunt pallium meum, ideſt, corpus. Vox eſt Martini &c.

De Sancta Cæcilia.

MVLIER diligens corona eſt viro ſuo, Prou. 12. Hæc verba poſſunt exponi de B. Cęcilia: & notãtur hic tria de ea. Primum, ipſius natura exprimitur: ſecundum, virtus ſubiungitur: tertium, virginitatis præmium exprimitur. Primum, ibi. Mulier: ſecundum, ibi. Diligens: tertium, ibi. Corona eſt viro ſuo. Circa primum ſciendum, quòd B. Cæcilia fuit mulier ſpecioſa, gratioſa, & glorioſa. Specioſa propter tria. Primo, propter virginitatis candorem: ſecundo, propter martirii ruborem: tertio, propter corporis decorẽ. Fuit ergo virgo, martyr, & pulchra. De primis duobus. Cant. 1. Ecce tu pulchra es amica mea. De tertio, in legenda ſua. Gratioſa fuit in tribus, Deo per humilitatem, angelis per puritatem, & hominibus per benignitatem. De primo. 1. Pet. 1. Humilibus dat gratiam. Glorioſa fuit propter tria, in rationabili, propter aureolam prædicationis: in iraſcibili, propter aureolam martyrii: in concupiſcibili, propter aureolam uirginitatis. Fuit enim prædicatrix, martyr, & virgo. Patent hæc in legenda ſua. Circa ſecundum ſciendum, quòd fuit diligens in quinque. Primo, in carnis maceratione: ſecundò, in Dei dilectione: tertio, in deuota oratione: quarto, in eleemoſynarum elargitione: quinto, in aliorum conuerſione. De primo, Cilicio Cæcilia carnem domabat. De ſecundo, Cantantibus organis Cæcilia ſoli Deo decantabat. De tertio, Non diebus, nec noctibus a collocutione Dei & oratione ceſſabat. De quarto, in legenda de pauperibus quos miſit ad Vrbanum. De quinto, patet in conuerſione viri confratris: vnde ſequitur. Corona eſt viro ſuo in vita æterna: corona fuit viro ſuo moraliter. De coronis. *Quære in feſto Sancti Stephani &c.*

D.

De Sancto Clemente.

AQVAE multæ non potuerunt extinguere charitatem &c. Cant. 8. Satis patet quomodo hæc uerba conueniunt B. Clementi. Tanta enim fuit in eo charitas, quòd omnes aquæ maris non potuerunt eam extinguere. Notantur autem hic tria circa passionem eius. Primo, eius passionis acerbitas: secundo, perseuerantiæ constantia: tertio, ipsius charitas. Primum, ibi, Aquæ multæ, idest marinæ, quod est omnium aquarum cõgregatio, in quo fuit submersus beatus Clemens. Secundum, ibi. Non potuerunt extinguere. Nulla enim tribulatio eũ potuit ab amore Christi separare. Rom. 8. Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio &c. Tertium, ibi, Charitatem. Sunt enim quatuor actus charitatis specialiter, qui fuerunt in B. Clemente. Primus actus est unire diligentem cum dilecto, idest hominem cum Deo. Secundus viuificare; & de his duobus. Aug. in lib. de spiritu & anima, Quid est charitas, nisi vita copulans diligentem cum dilecto? Tertius diligere. Diony. Amorem, inquit, siue diuinũ, siue angelicum, siue intellectualem, siue actualem dicimus quandam vnitiuam uirtutem superiora mouentem ad inferiora prouidentiam æquiformem, in socialem vicissitudinem, nouissimam substantiam ad meliorum & superpositorum conuersionem. Quartus actus charitatis est desiderare præsentiam dilecti continuam. Augu. in lib. de moribus. Charitas est rectissima animæ nostræ conuersio, qua nos iũgimur Deo Cãt. 2. Nũtiate dilecto, q̃a amore lãgueo &c.

De Sancta Catharina.

SAPIENS mulier ædificat domum suã, Prou. 14. Hæc verba possunt exponi de B. Catharina: & notantur hic duo. Primum, eius sapientia; secũdum, vtilitas. Primum, ibi, Sapiẽs mulier: secũdum, ibi. Ædificat domum suam. Circa primum sciendum, quòd beata Catharina significatur per tres mulieres sapientes, de quibus inuenitur in textu. Prima mulierem

lier sapiens Abigail.1.Reg.25.Erat autem mulier sapiens & speciosa.Secunda mulier Thecuitis.2.Reg.14. Misit & tulit inde mulierem sapientem.Tertia mulier. Debora.Iudicum.5. Et clamauit mulier sapiens &c. Prima mulier fuit sapiens in ethica:miro enim modo philosophata est de moribus,sicut patet ibidem.Malitiam,inquit, vitæ &c. Secunda mulier sapiens fuit in physica. Locuta est de naturis rerum.Omnes, inquit, morimur, & quasi aquæ dilabimur, inter quæ non reuertimur. Tertia mulier fuit sapiens in logica : est enim logica rationalis scientia inquirens verum.Ipsa rationabiliter loquendo respondebat veritatem. Hæc est quæ dicit.Nõne ego sum quæ impẽdo veritatẽ &c. Et in ista triplici sapientia fuit B.Catharina sicut in legenda sua dicitur.Prima mulier liberauit Nabal per suam sapientiam,secunda Absalon, tertia ciuitatem. B Catharina sua sapientia liberauit philosophos a damnatione perpetua ad Christi fidem conuertendo:liberauit fideles in fide Christi confirmando:liberauit ecclesiam a confusione,regem & philosophos conuertẽdo.Per Nabal qui interpretatur stultus,significãtur illi, quorum sapiẽtiam stultam fecit Deus. 1.Cor.1.Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?Per Absalon fideles interpretantur. Est enim patris luctus,vel amaritudo:Christus autem pro fidelibus fleuit, & passiones & amaritudines sustinuit.2. Pet.2. Christus passus est ꝑ nobis &c.Thren.3.Recordare paupertatis & trãsgressionis meę &c,Ciuitas vero figurat ecclesiam.psal.121. Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas. Fuit ergo sapiẽs mulier, scilicet quia vtilitas sapientiæ eius ædificauit eam tripliciter.Primo,lapides in eius ædificio construendo: secundo,constructos confirmando: tertio, destructori resistendo. Primum patet in philosophis,quos in ędificationem ecclesiæ collocauit: secundum patet in fidelibus, quos verbis & exemplis confirmauit: tertium in rege,quem cõfutauit. Et præter istas sapientias habuit quinque alias sapientias,quę sunt sapientiæ sanctorum.Prima,est Deum timere. Secunda,a malo recedere.De his duobus.Iob.28.Ecce timor Domini,ipse est sapientia,ecce primum:& recedere a malo intelligentia, ecce secundum. Tertia sapientia sanctorum est

bona agere. Quarta, mala pati. Quinta, in his perseuerare. Aug. Sapientia sanctorum est bona agere, & pati mala, & in his perseuerare. In istis sapientiis studere debemus &c.

De Sancto Andrea ex euangelio.

ET illi continuo relictis retibus secuti sunt eum, Matth. 4. Tria docent nos hic isti Apostoli exemplo suo. Primum, continuo Deo obedire: secūdū, retia relinquere: tertium, post ipsum ire. Primū, ibi. Cōtinuo. Secundum, ibi. Relictis retribus. Tertium, ibi. Secuti sunt eum. Circa primum nota, quòd propter quatuor maxime debemus continuo Deo obedire. Primo, quia continuo desinimus: secundo, quia continuo ueniet inobedientibus ira illius: tertio, quia continuo datur obedientibus præmium: quarto, quia continuo sibi irrationales creaturæ obediunt. De primo, Sap. 2. Et nos nati continuo desinimus esse. De secundo, Eccl. 5. Subito ueniet ira illius. De tertio, Isa. 60. Ego sum, subito faciam illud: loquitur de præmio sanctorum. De quarto, Matth. 20. Arefacta est continuo ficulnea, ex quo præcepit ei Dominus. Circa secundum nota, quòd quadruplex est rete quod est cauendū. Primum sunt diuitiæ sæculares. Iob. 18. Misit in rete pedes suos. Secundum, mala mulier. Abacu. 1. Congregauit in rete suum. Bernardus de sorore sua ante conuersionem dixit, quòd erat rete diaboli. Tertium, adulator amicus proditor. Prou. 29. Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo &c. Quartum, vltio diuina. Osee 8. Expandi super eos rete meum. Circa quartum nota, quòd Dominus promittit quatuor sequentibus se. Primo, vitæ claritatem. Io. 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Secūdo, iudiciariam potestatem Matth. 19. Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicātes duodecim tribus Israel. Tertio, thesaurū cælestem. Ibidem. Veni, sequere me, & habebis thesaurum in cælis. Quarto, loci amœnitatem. Io. 11. Siquis mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Primū est præmium rationalis, secundum irascibilis, tertiū concupiscibilis, quartū corporis, Ad quod perducat nos Deus &c.

De

De eodem.

ASCENDAM in palmam, & apprehendã fructus eius, Cant. 8. In his verbis tria notantur ad laudem B. Andreæ, cuius verba hæc possunt esse. Primo, patiendi voluntas, ibi. Ascendam: secundo, passionis qualitas, ibi. In palmam: tertio, passionis vtilitas, ibi. Et apprehendam fructus eius. Circa primum nota, quòd octo sunt gradus ascẽdẽdi in palmã. i. in crucem. Primus gradus, persecutoris aggressus. Secundus, deuota martyrii processio: de his duobus in vita sua. Tertius, deuota de cruce prædicatio. In legenda, ibi. O si scires virtutem crucis &c. Quartus, carceris toleratio, ibi. Iussit eum in carcerem detrudi. Quintus, populorum eum liberare volentium prohibitio, ibi. Nolite sanctum. Sextus, funium protestatio, ibi. Iussit eum funibus cædi. Septimus, deuota, vt pati mereretur, oratio, ibi. O beata crux. Eze. 40. Et septem graduum erat ascensus eius. Circa passionem notandum, quòd passus est desideranter, ibi. Iam concupiscenti animo præparata; confidenter, ibi. Securus: lætanter, ibi. Gaudens venio ad te: constanter, quia numquàm a prædicatione cessabat: longanimiter, ibi. Biduo: gratanter, gratias agendo: perseueranter, quia numquàm nisi mortuus descendere voluit. Circa tertium nota, quòd ipse collegit duodecim fructus de palma illa, idest, duodecim gaudia paradisi. Apoc. 22. Et lignum afferens fructus duodecim per singulos menses &c.

De sancto Nicolao ex epistola.

ECCE sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, Ecc. 44. In his verbis commendatur iste sanctus a sex. Primo, a diuina ad sacerdotium vocatione, ibi. Ecce, quia hic est quẽ Dominus elegit. Heb. 5. Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo. Secũdo, a sacerdotalis officii executione, ibi. Sacerdos, idest, sacer dux, populum per bona exempla ad vitam æternam ducendo. 1. Timot. 4. Sed exemplum esto fidelium in verbo, in cõuersatione, in chari

tate,in fide,in castitate &c. Vel sacra dans,sacramenta deuote tribuendo.Matth.vlt. Baptizantes eos in nomine patris &c.Vel sacra docens,doctrinæ insistendo.2.Tim.4.Prædica verbum.Tertio,a virtutũ splẽdore, ibi. In diebus suis. Habuit enim septem dies.Diem solis,idest,diem sapientiæ: diem lunæ,idest,donum intellectus:diem martis,idest, fortitudinis:diem mercurii,idest,consilii:diem iouis,idest,sciẽtiæ:diem veneris,idest,pietatis:diem saturni, idest timoris. De his septem diebus. Deut.18.Septem diebus non apparebit fermentum , quia in istis diebus nihil habere debemus de hypocrisi , vel inani gloria. Lucæ 12. Attendite a fermento pharisæorum,quod est hypocrisis. Quartum , commendatur a recta intentione,ibi.Placuit Deo, non hominibus.Gal.1.Si adhuc hominibus placerẽ, Christi seru⁹ non essem &c.Quinto,a sancta conuersatione,ibi. Inuẽtus est iustus,idest,apparuit.1. Pet.2. Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam.2.Pet.2. Aspectu enim & auditu iustus erat.Sexto,a deuota oratione,ibi.Factus est recõciliatio:per orationem enim fit reconciliatio.Sap.18.Properans enim homo sine querela deprecari pro populis , proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem alligans restitit iræ, & finem imposuit necessitatis.Nota.Qui in diebus suis placuit Deo. Illos dies debemus studere habere,qui expellunt septem noctes septem vitiorum.Timor expellit superbiam , pietas iram, scientia inuidiam,fortitudo accidiam,consilium auaritiam,intellectus gulam,sapientia luxuriam &c.

De Beata Lucia.

QVI gloriatur,in Domino glorietur.2. Cor.10. Omnis rationalis creatura appetit gloriã, quia ad hoc creata est: ideo Apostolus docet hic vbi inuenitur vera gloria . Est enim gloria falsa in diuitiis temporalibus.psalm.51.In multitudine diuitiarum suarum gloriantur.Vana,in honoribus sæcularibus. psa.9. Gloriantur.in simulacris suis.i.in sæculi dignitatibus. Hie

re.

re.9. Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua &c. Stulta, in voluptatibus: stultũ est.n. gloriari in escis mortalibus 1.Tim. 5. Quæ in delitiis est, viua mortua est. Mala, in iniquitatibus. ps.51. Quid gloriaris in malitia? Prima cõuertetur in inopiã. Iob.27. Diues cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet &c. Secunda, in ignominiam. Osee.9. Gloria eorum in ignominiam commutatur. Tertia, in luctus angustiam. Apocal.18. Quantum se glorificauit, & in delitiis fuit, tantum dat ei tormentum & luctum &c. Quarta, in æterna tormenta. psalm. 10. Pluet super peccatores laqueos. Isa. vltim. Vermis eorum non morietur &c. Vera gloria in Domino est gloriari in eius cognitione. Hiere. 9. In hoc glorietur qui gloriatur scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra. Item, in mirabilium eius consideratione. Eccl.18. Gloriari in mirabilibus eius. Itẽ, in Dei dilectione. psal.5. Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuũ. Item, in Dei laudatione. psa.105. Gloriemur in laude tua. Item, in Dei perfruitione. psal.16. Satiabor cum apparuerit gloria tua &c.

De sancto Thoma Apostolo.

DEDIT Abyssus vocem suam: altitudo manus suas leuauit, Abacuc.3. Possunt hęc verba exponi de beato Thoma. Et notantur hic duo. Primũ, Thomæ fidelitas, ibi. Altitudo manus suas leuauit. Secundum, diuina bonitas, ibi. Dedit abyssus vocẽ suam. Abyssus dicitur Thomas propter tria Primo, propter nominis rationem: secundo, propter etymologiæ significationẽ: tertio, propter diffinitionẽ. Propter nõis rationẽ, quia Thomas interpretatur abyssus. Propter etymologiæ significationẽ, quia abyssus dicitur ab.a. quòd est sine, & byssus quod est pannus candidus, idest, sine candore lucis: fuit enim aliquando sine candore & luce fidei. Propter diffinitionẽ, quia abyssus est profunda aquarum congregatio. Aquæ profundæ sunt verba profunda, quę fuerũt in beato Thoma. Prou.

18. Aqua profunda verba ex ore viri. Hic abyssus dedit quintuplicem vocem. Prima fuit dilectionis. Io. 11. Eamus & nos, & moriamur cum illo. Secunda, dubitationis. Ioannis. 20. Nisi videro in manibus eius fixuram clauorū, & mittam digitum in locum clauorum, & mittam manum meā in latus eius, nō credā, &c. Tertia, cōfessionis. Io. 20. Dominus meus, & Deus meus. Quarta obedientię. Domine, quo vis mitte me. Quinta, iustitiæ, quando rogauit vt ille qui eum percusserat, puniretur in præsenti. Dedit etiam & sextam vocem, scilicet prædicationis Iudęorum, & sponsi & spōsę cōuersionē. Bonitas Dei notatur, ibi. Altitudo manuū suarū leuauit. Altitudo Chrs, quia tunc manus ad literā leuauit, quando eas Thomæ ad dandam fidem de sua resurrectione vera ostendit. Leuauit autem Dominus manus ad quatuor. Primo, ad offerendum sacrificium pro mundi expiatione. Ps. 140. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Secūdo, ad dandam benedictionem. Lucæ vlt. Eleuatis manibus benedixt eis. Tertio, ad potentiæ suæ ostēsionem. Deut. 32. Et leuabo manus meas ad cælum. Quarto, ad malorum percussionem. Eccl. 3. Alleua manum tuā super gentes alienas. Pro prima alleuatione debemus eum diligere: pro secūda, ei gratias agere: pro tertia, eum timere: pro quarta, sibi obedire. De prima, Bernard. Super oīa &c. De Secunda, Ephes. 1. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus. De tertia, Matth. 10. Eum timete, qui potest & animam, & corpus perdere in gehēnā &c. De quarto, Deut. 18. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam, Ad quā benedictionem perducat nos Christus. Amen.

Finis Sermonum Dominicalium & festiuorum Diui Thomæ de Aquino Doctoris Angelici, in Bibliotheca Vaticana nuperrime repertorum.

EIVSDEM

EIVSDEM. S. THOMAE DE AQVINO DOCTORIS ANGELICI

SERMONES DE VENERABILI sacramento Altaris, qui etiam habentur in tomo decimoseptimo Opusculorum, Opusculo. 58.

CAP. I.

De tribus causis institutionis sacramenti corporis Christi.

VENITE, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Prouerb. 9. His verbis Dominus nos inuitat ad salutare cōuiuium, in quo præparauit pretiosum cibum, scilicet corpus & sanguinem suum, iuxta illud Prouerb. 6. Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum ne reueles extraneo. Res secreta est altaris sacramentum, quasi sacrum secretum, cuius causa non infidelibus, sed fidelibus est reuelanda. Nota quòd causa institutionis est triplex. s. memoria Saluatoris, sacrificium altaris, cibus hominis. Hæc tria disposuit in hoc sacramento diuina sapientia contra tria vetera mala, scilicet contra obliuionem Dei, contra debitum rapinæ alienæ rei, contra corruptiones pomi mortiferi. Primi enim parentes in hæc tria mala inciderunt serpētina fraude decepti, & ꝑ eos successores sunt deprauati.

De primo, Ecclesiast. 10. Initium superbiæ hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor eius scilicet per obliuionem in occupatione damnosæ negotiationis cum serpente: quod sæpe adhuc quibusdam stultis solet euenire. De secundo, Genesis 3. Videns mulier lignum quod esset bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, tulit de fructu, & comedit, deditque viro suo, & sic ambo rapinam cõmiserunt. Huius rapinæ similitudinem faciunt, qui in vsu creaturarum & rerum per alium iustitiæ mensuram excedunt. De tertio, Genes. 3. De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris, & in bono immortalitatis corporis. psa. 13. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt. Sic qui peccati venenum in vsum sumũt, animas occidunt & corrumpunt. Igitur contra triplex vetus malum institutum est hoc sacramentum. Luc. 22 Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Ecce prima causa, scilicet memoria Saluatoris contra obliuionem. Quod pro vobis tradetur, idest, vt agnus Dei offerretur. Ecce secunda causa, scilicet sacrificium altaris contra rapinam. Accipite & comedite Ecce tertia, scilicet cibus medicinalis contra corruptionem. Memoria ergo Saluatoris contra obliuionẽ est prima causa, vt hoc scilicet admoniti, totam mentem, & omnes sensus nostros quos a Deo auertimus, & cũ prauis quandoque cogitationibus & delectationibus vagari permisimus, a noxiis abstrahentes integraliter ad Deum referamus. Hinc dicit, Hoc facite in meam commemorationẽ. Eusebius. Quia corpus assumptum Dominus ablaturus erat ab oculis, & illaturus syderibus, necessarium erat vt die cœnæ sacramentum nobis sui corporis & sanguinis cõsecraret, vt offerretur iugiter per mysterium, quod offerebatur semel in pretium, & perénis victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia. Nota, ad habendam semper memoriam Saluatoris cogunt nos tria argumenta suæ charitatis. f. remissio peccatorum, redemptio impignoratorum, continuatio beneficiorum. De primo, Isai. 43.

Ego

Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum nō recordabor, reduc me in memoriam. De ſecūdo, Eccleſiaſt. 29. Gratiā fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris, quin.ſ.eū pro ea diligas, & quin orationibus & bonis operibus debitum ei reddas. Canti. 5. Aperi mihi ſoror mea, amica mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Aperi mihi.i.ſuſcipe me in mentē tuā in memoriam & dilectionem, quia caput meum.ſ.diuinitas, plenum eſt rore.i.miſericordia ad dimittendum peccata, & cincinni mei.i.humanitas, guttis noctium.i.effuſione ſudoris lacrymarum, & ſanguinis paſſionum, ad redimendum hæreditatem tuam pro ſatisfactione peccatorum tuorum impignoratam. De tertio, Deute. 8. Obſerua, & caue ne quando obliuiſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius, ne poſtquàm comederis, & biberis, & ſatiatus fueris, habuerisque cunctarum rerū copiam, eleuetur cor tuū, & non reminiſcaris Domini Dei tui. Gloſ. Eccle. 17. Sicut nullum momentum eſt quo nō vtitur homo Dei bonitate, ita ſemper debet eſſe in memoria præſens. Secunda cauſa inſtitutionis eſt ſacrificium altaris contra quandam quotidianam delictorum noſtrorum rapinam, vt ſicut corpus Domini ſemel oblatum eſt in cruce pro debito originali, ſic offeratur iugiter pro noſtris quotidianis delictis in altari, & habeat in hoc eccleſia munus ad placandum ſibi Deum ſuper omnia legis ſacrificia pretioſum & acceptum. Mala. 3 Placebit Domino ſacrificium Iuda, & Hieruſalem quaſi regis & militiæ.i.Chriſti eccleſiæ Alexander Papa. Nihil in ſacrificiis eccleſię maius eſſe pōt q̄ corp⁹ & ſanguis Chriſti. Nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed omnes pręcellit, quę pura conſcientia Deo offerenda eſt, & pura mente ſumenda. Et ſicut potior eſt prę cęteris, ita potius venerari debet. Ad hoc ſacrificium approbādum notatur triplex ratio mutandi vetus ſacrificiū. Prima authoris noſtri ſacrificii potētia.ſ.Chriſti, qui nō ſolum ex eo quòd eſt Dominus & rex vniuerſæ terræ, ſed ex ſummi ſacrificii ad eum translationę potuit & debuit ſuum in melius ſacrificium commutare. Pſal. 109. Iurauit Dominus, & nō pænitebit eum, &c. Non dicit ſecundum ordinem Aaron, vel ſecundum ritum Leuitarum,

tarum, qui obtulerunt carnes hircorum & taurorum, sed secundum ordinem Melchisedech, qui obtulit panem & vinum. Heb. 7. dicitur. Quòd fuit necessarium ſm ordinem Melchisedech alium exurgere sacerdotem, & non secundũ ordinem Aaron. Translato enim sacerdotio necesse est vt legis translatio fiat. Manifestum est autem quòd ex tribu Iuda ortus est Dominus noster, de qua ſm legem non erant sacerdotes. Secunda est debitorum nostrorum exigentia. Tã magnum enim erat debitum primorum parentum ex rapinæ magnitudine, ex raptoris ingratitudine, ex læsi. s. creatoris maiestate, quòd non solum legis sacrificia, sed totus mũdus cum omni creatura non sufficit pro satisfactione. Ad Heb. 10. Christus ingrediens mundum dicit. Hostiã & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Glo. ingrediẽs, idest, homo factus dicit. Hostiã de animalibus, & oblationem de aliis rebus noluisti. i. non placuerunt tibi: corpus autẽ quod præ omnibus sacrificiis est, quia sine peccato, aptasti mihi. i. aptum & idoneum dedisti mihi viuendo, quod pro omni redemptione valeat offerri. psalm. 58. Quæ non rapui, tunc exoluebam, quando. s. pro debitis omnium sufficiens sacrificium in cruce offerebam. Tertia ratio mutandi est ipsorum sacrificiorum legis insufficientia. Et hoc probatur a tribus, quia. s. Deo non placuerunt, quia peccata non abstulerunt, quia gratiam nõ contulerunt. De primo, Hiere. 6. Holocausta vestra non sunt accepta, victimæ vestræ non placuerunt mihi. Osee. 6. Misericordiam volo, & non sacrificium. De secundo, psal. 9. Holocaustum & pro peccato non postulasti. Ad Ro. 3. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram Deo. Ad Hebr. 10. Impossibile est sanguine hircorum & taurorum auferri peccata. De tertio, Ezec. 20. Dedi præcepta non bona, & iudicia in quibus nõ viuent: præcepta non bona. i. minus bona, & sacrificia. s. cæremonialia, in quibus non viuent, quia vitam gratiæ non conferebant. Ad Heb. 7. Reprobatio quoque fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatẽ, quasi propter eius sterilitatem, quia non conferebat gratiam. Tertia institutionis causa est cibus hominis. Cibus, inquã, medicinalis contra pomi mortiferi corruptionem, quæ tã praua in-

ua infusa est per primos parentes humano generi, vt esset incurabilis, nisi subueniret medicina optima, quam posset facere prudentia Dei. Ecc. 38. Altissimus de terra, idest, carne Virginis, creauit medicinā, & vir prudens non abhorrebit eam. Ambro. Corpus Christi medicina spiritualis est, quæ cum reuerētia degustata sibi deuotos purificat. Ad cognoscendum rationem necessitatis medicinę corporis Christi, sciendum quòd serpēs malignus infudit homini per venenum cibi vetiti triplicem corruptionem, in anima. s. tenebras ignorantiæ, in corpore morbum prauæ concupiscētiæ, & mortem vtrobique: contra hoc institutum est corporis Christi medicamentum tenebras ignorantiæ illustrans, morbum cōcupiscentiæ sanans, & mortem nostram mortificans. Propter hæc tria potest comparari triplici dulci cibo & medicinali. s. melli propter primum, ficui propter secundum, fructui vuæ propter tertium. De primo Proue. 24. Comede fili mel, quoniam bonum est. Mel corpus Christi dulce significat. Hoc bonum est, quia tenebras mentis illuminat. 1. Reg. 14. Vidistis, quoniā illuminati sunt oculi mei, eo ꝙ gustauerim paululū de melle? Esaiæ 7. Butyrū & mel manducabit oīs qui relictus fuerit, vt. s. sciat reprobare malū, & eligere bonū. Psal. 26. Dn̄s illuminatio mea &c. Accedite ad eū, & illuminamini. De secundo Hiere. 24. Ficus ficus bonas, bonas valde. Ficus bis dictæ dulce corpus Christi Dei & hoīs significant. Hę bis bonæ sunt valde, quia mētem & carnem a morbo prauæ concupiscentiæ sanant. 4. Reg. 20. Isaias iussit afferri massam ficorū, quā cū posuisset sup vlcus regis, curatus est. Vlcus regis est concupiscentia carnalis, massa ficorū corpus Christi cōtinēs dulcedinē multorū bonorū ad medicinā malorū desideriorū. De tertio Lucæ. 1. Benedictus fructus ventris tui, corpus. s. Christi, quod est fructus vitæ valens ad destructionē gehennæ, & acquisitionem vitæ æternæ. Prou. 3. Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam. s. sapientiam Dei incarnatam. Hinc dicitur Osee. 13. Ero mors tua o mors. Io. 6. Ego sum panis vitæ &c. Qui manducat meam carnem &c. Itē. Qui manducat me, viuet propter me. Hilarius. Accepta carne Dn̄i, & hausto sanguine, id efficitur vt nos in ipso, & ipse in nobis sit.

Hæc

Hæc eſt ergo cauſa vitæ noſtræ, quod in nobis carnalibus per carnem Chriſtum, qui vere vita eſt, manentem habemus, victuri per eum ea conditione, qua viuit ipſe per patrem qui in eo eſt.

CAP. II.

De prima cauſa inſtitutionis per ſe, ſcilicet memoria Saluatoris, & de præparatione eius ad iudicium.

VEnite comedite panem &c. cauſam tuam &c. Speciale. Item, in memoria æterna. Hoc facite in meam commemorationem. Lucæ, 22. Thema. Item, Eſtote parati, quia qua hora. Lucæ 12. Prima cauſa inſtitutionis ſacramẽti dominici corporis eſt memoria Saluatoris, circa quam tria poſſunt quæri. Primo, quid mali ſequitur, ſi memoria Domini fuerit relicta. Et dicendum quod triplex. ſ. amiſsio gratiæ diuinæ, ſubiectio poteſtatis diabolicæ, magna deformitas culpæ. De primo, Deuteron. 32. Deum qui te genuit, dereliquiſti &c. Et ait, Abſcondam faciem meam, & cõſiderabo. i. ſubtraham gratiam. Vbi fons perit, riuus areſcit. Eſaiæ 17. Eris deſerta, quia oblita es Dei creatoris tui. Eccleſiaſtici viceſimo. Oratio fatuorum effundetur. De ſecundo, Iudic. 4. Obliti ſunt Dei ſui, & tradidit eos in manus Siſare, ideſt, poteſtati diaboli. Thobiæ 6. Qui coniugia ita ſuſcipiunt vt Deum a ſe, & à ſua mente excludant, in his habet poteſtatem dæmon. De tertio ad Rome. Sicut non probauerunt. i. noluerunt Deum habere in notitia, tradidit illos in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt. Et, heu, hoc ſæpe fit vſq; ad mortem. Pſal. 9. Non eſt Deus in cõſpectu eius &c. Ioel. 1. Cõputruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Iumenta impudica & inſipientia ſunt homines ſtulti, carnales, Deum præ oculis non habentes. Huiuſmodi in ſtercore ſuo putreſcere, eſt in luxuria, & aliis peccatis vitam finire. Secundo, quæritur de quibus de noſtro Saluatore memoria ſit habenda. Et dicendum de tribus, de præterito, de præſenti, de futuro. De præterito, vt noſtri redemptoris, quia propter nimiam charitatẽ a morte mala morte ſua liberauit

berauit nos. De præsenti, vt omnium inspectoris, qui per occultam præsentiam omnia nostra semper cernit. De futuro, vt iusti iudicis, qui per omnipotentiam suam omne prauum incorrectum districte iudicabit. De primo, Trenorum 3. Recordare paupertatis meę, & transgressionis, idest, maximæ humiliationis. Absynthii & fellis, idest, amaræ passionis. Ezechiel. 9. Signa Thau super frontes virorum dolentiũ & gementium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in ciuitate hac. Thau, figurã crucis habet, idest, passionis Christi, quæ semper est bonis in mente ferenda. De secũdo, Psal. 99. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, omnia scilicet implens, omnia videns, vbique præsens. Hinc ait, Prouidebam dominum in conspectu meo semper. Psal. 5. Ecclesiast. 39. Opera omnis carnis coram Domino, & non est quicquã absconditum ab oculis eius. Cant. 2. En ipse stat post parietem nostrum, idest, indutus parietem carnis nostræ: prospiciens per cancellos, quia licet intus degens occultus a nobis videri non possit, tamen omnia nostra videt. De tertio, Isai. 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius & grauis ad portãdum. Ecce venit, idest, attendite, quia cito veniet ad districtum iudicium. Matth. 24. Vigilate &c. Hieronymus siue comedo, siue bibo, siue aliquid aliud facio, semper intonat in auribus meis quasi tuba vehemẽs vox illa terribilis, Surgite mortui, venite ad iudicium. De omnibus tribus simul. Psal. 110. Memoriam fecit mirabilium suorum, quasi diceret. Dominus dedit nobis escam, scilicet seipsum ad memoriam suorum mirabilium: præteritorum, ꝙ nos redemit: præsentium, quód omnia nostra respicit: futurorum, quòd districte tandem iudicabit. Tertio, quæritur quid valeat memoria nostri Saluatoris. Dicendum ad tria. Primæ, enim rei memoria, scilicet passionis Christi valet ad cor nostrum eius amore inflammandum. Secundæ rei, scilicet eius continuæ inspectionis, valet ad nos a peccato custodiendum. Tertiæ rei, scilicet districti iudicis, valet ad excitãdum nos vt præparemur contra futurum iudicium. Primũ facit nos bonum diligere, secundum malum odire, tertium imminens periculum præcauere. De primo, Lucæ 12. Ignẽ veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Ignem

veni,

parate vos ad iudicium pænitentiam agendo, & peccata mundi non faciendo: & per talem prouidentiam euadetis eius pœnam. Luc. 12. Si sciret paterfamilias &c. Gloss. Nesciente patrefamilias, domum fur perfodit, quia dum a sui custodia spiritus dormit, improuisa mors carnis habitaculum irrumpit, & animam ad supplicia trahit. Furi autem resisteret, si vigilaret, & aduentum iudicis occulte præuenientem præcauens, iudici pænitendo occurreret, & sic vtique dormientium, idest, non præparatorum pœnam euaderet. De tertio, Matth. 25. Cum fatuæ virgines, idest, animæ non paratæ, irent emere ad forum diaboli cum Eua, vel cum Dina, vbi pro modica reddant multa bona, venit sponsus, & quæ paratæ erant &c. Ecce triplex lucrum præparationis ad iudicium, scilicet possessio cælestis regni, societas amabilis sponsi, delitiæ totius boni. Primum notatur ibi, Intrauerunt: secundum ibi, Cum eo: tertium ibi, Ad nuptias. De primo, Matth. 25. Venite benedicti patris mei. De secundo, 1. Thessaloni. 4. Semper cum Domino erimus, sine quo nulli bene, cum quo nulli male esse poterit. Ioan. 17. Pater, quos dedisti mihi, volo &c. Vt videant claritatem quam dedisti mihi. De tertio, Isa. 66. Gaudete cum Hierusalem, idest, cum beatorum omnium pacifica & iucunda societate, vt repleamini ab vberibus consolationis eius.

CAP. III.

De secunda causa institutionis sacramenti Eucharistiæ, scilicet sacrificio altaris.

VENITE comedite &c. Item causam tuã &c. Thema proprium, Sacrificium Iuda, quasi regis, & militiæ, idest, Christi, & ecclesiæ, Malach. 3. Secunda causa institutionis sacramẽti Dominici corporis ẽ sacrificiũ altaris. Circa quod sacrificiũ notantur tria. s. forma offerendi, quæstio de sacrificio legali, & excellentia nostri sacrificii. De duobus primis hic põt dici, de tertio in sequẽti. Primo notatur

forma,

forma,& hæc eſt triplex. Prima in oblationum veterum præ figuratione, ſecunda in humanæ formæ veritate, tertia in panis & vini ſpecie. Prima eſt ſynagogæ commendata ſub lege, ſecunda charitatis diuinæ oblata in cruce, tertia fidelis animæ conſecrata in menſa eccleſiæ. Prima data eſt in ſignũ ſecunda in pretium, tertia in ſolatium. De prima Leuitici. 4. Si omnis Iſrael per ignorantiam peccauerit, offerat pro peccato ſuo vitulum, ideſt, Chriſtum. dicit Gloſſ. Hoc autem non erat in perſona, ſed in figura, Exodi 12. Similiter agnus immaculatus, quem occidebant in Paſcha, & eius carnes edebant, figura Chriſti erat, vt dicit Gregor. De ſecunda forma Iſaiæ 53. Sicut ouis ad occiſionem ductus, vulneratus eſt propter & cæt. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Hoc vere ſecundum formam humanam in cruce. Hebræorum. 10. Sanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel, ſcilicet in cruce. De tertia. Pſalm. 109. Tu es ſacerdos in æternum & cæt. Qui vt dicitur. Geneſis 14. Obtulit panem, & vinum, ſic Chriſtus dat corpus, & ſanguinem ſuum in ſacrificio altaris ſub panis & vini ſpecie. Matthæi 26. Accepit Ieſus panem, & benedixit, & ait. Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, ideſt, vaſculum cum vino, gratias egit dicens, Hic eſt ſanguis meus & cæt. Secundo notatur breuis quæſtio de ſacrificio legali, in qua tria fiunt. Primo, contra inſufficientiam quæ imponitur ſacrificiis legalibus, opponitur: ſecundo, contrarietas ſoluitur: tertio, cauſa illius ſacrificii aſſignatur. Primo contra inſufficientiam, quòd Deo non placuerunt, & quòd peccata non abſtulerunt, ſecundum illud. Hierem. 6. Holocauſta veſtra non ſunt accepta, victimæ veſtræ non placuerunt mihi, & contra his ſimilia opponitur. Leuitici 4. Si peccauerit autem quis de populo terræ, offeret capram immaculatam, & adolebit eam ſacerdos ſuper altare in odorem ſuauitatis Domino, & dimittetur ei. Ergo videtur, quòd vetus ſacrificium placuerit Deo, & propter hoc peccata dimiſit. Hebræorum 11. Omnia pene in ſanguine mundantur ſecundum legem, & per ſanguinem animalium ſacrificatorum remittuntur peccata delinquẽtium. Ergo illa ſacrificia

Deo

Deo placuerunt, & peccata dimiserunt. Secundo, horum contrarietas sic potest solui. In sacrificio semper tria fuerunt, scilicet ipsum sacrificium, personæ offerentium, peccatorum remissio. In singulis istorum duo attendebantur in sacrificio caro, & sanguis animalis quod offerrebatur. Et præterea, multo melius scilicet res spiritualis quæ ibi figurabatur, ut in agno, uel uitulo Christus, in capra pœnitentia, in boue uita robusta & actiua, in aue sublimis & contemplatiua, & sic de cæteris. Item, personæ offerentium duæ sunt species, aliæ dignæ, aliæ indignæ. Indigni erant qui illa sacrificia tantum carnaliter attendebant. Digni autem qui ea spiritualiter attendebant, & in eis Christum figuratum, uel explicite, uel implicite credebant, & secundum intellectum spiritualem uitam suam regebant. Item, ibi erat remissio peccatorum, & hoc quantum ad duo, scilicet quantum ad pœnam, idest, quantum ad legis irregularitatem: uel quantum ad culpam, idest, quantum ad conscientiæ maculam. His uisis, facile soluuntur quæ de sacrificiis in scripturis sacris contraria dici uidentur. Reuera enim illa sacrificia secundum se, scilicet opera operata, idest carnes & sanguis hircorum, nec placuerunt Deo, nec propter ea remisit culpam quantum ad culpam, idest, conscientiæ maculam: sed tamen apud homines remissa reputabantur quantum ad quandam legis pœnam. Vnde cum Apostolus uno loco dicat. Impossibile est sanguine hyrcorum auferri peccata, & in alio. Omnia pene in sanguine mundantur secundum legem. Primum intelligendum est quantum ad animæ culpam. Secundum quantum ad carnis pœnam: unde ad Hebræos. 9. Sanguis hircorum, & uitulorum, & cinis uitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis. Glossa, sanctificat, idest, a peccato mundat, idest, a pœna legis, ad emundationem ualent non animæ, sed carnis. Veruntamen iustorum sacrificia non secundum se, ut dictum est, sed propter fidem Saluatoris, quem in illis uenturum, & pro rademptione mundi credebant, Deo placebant, & eis remissionem peccatorum quantum ad pęnam supradictam, & quantum ad culpam animæ ualebant, Ad Galat. 3. Ex operibus legis non iu-

ſtificabitur homo, niſi per fidem Ieſu Chriſti. Hebræorum 11. Fidem plurimam hoſtiam Abel, quàm Caim obtulit Domino: plurimam, ideſt, acceptabiliorem, & plus ſibi ualentem. Intellexit enim, & credidit in agno, quem Deo obtulit, hoſtiam meliorem, ideſt, Saluatorem, quod non Caim, & cæteri indigni. Geneſis 10. Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Tertio, cauſa inſtitutionis legalium ſacrificiorum eſt aſſignanda. Cum enim a Deo inſtituta ſint, qui nihil ſine cauſa facit, & tamen mutanda erant, quæri poteſt cauſa inſtitutionis eorum. Ad hoc breuiter dicendum, quòd licet per ſe non ualuerat ad remiſſionem culpæ, tamen multum utilia fuerunt ad doctrinam ſapientiæ. Data ſunt quippe ſeruis ad tempus tamquàm ſigna rerum meliorem, & quaſi paruulis tamquam characteres librorum, in quorum proprietatibus, & modulis offerendi proficerent in diſciplina ueræ fidei, ut adepta uera ſcientia, deficerent elementa, & collata ueritate ceſſarent umbræ, & ſigna. Deuteronom. 11. Ponite uerba mea in cordibus ueſtris, & ſuſpendite pro ſigno in manibus, & ſcribite ea in poſtibus, & ianuis. Ponite in cordibus legalia, ſcilicet quantum ad moralia, quæ ſemper ſunt ſeruanda: ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, quantum ad manufacta tabernacula, & huiuſmodi, quæ pro tempore ſunt tollenda: ſcribite in poſtibus, & ianuis ſacrificia, ſcilicet oues, & boues quaſi literas paruulorum, in quibus multa bona ſunt diſcenda, & præcipue ſcilicet fides Saluatoris, forma de moribus, ſpes de cæleſtibus. Primum poterant diſcere de ſacrificiis ouium: ſecundum in ſacrificio taurorum: tertium in ſacrificio animalium extra caſtra combuſtorum. De primo Iſaiæ 53. Sicut ouis &cæt. Cum ergo ouis offerebatur, poterant tria de uera fide diſcere, ſcilicet Saluatoris innocentiam, manſuetudinem humani generis, per mortem Chriſti redemptionem. De ſecundo. Daniel. 3. In ſpiritu humilitatis &cæt. Sicut in holocauſtis arietum, & taurorum. Cum ergo cornuta animalia in holocauſtum, ideſt, per ardorem ignis in cinerem redigenda offerebantur, poterant de bonis moribus tria diſcere, ſcilicet ut dæmonibus, & uitiis reſiſterent

flerent, Dei & proximi amore arderent, cordis & corporis humilitatem in omnibus conseruarent. De tertio, Leuitici 4. Hebræorum 12. Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra, sanguis animalium significat animas iustorum. Cum hæc fiebant, poterant tria discere de spe obtinendæ cælestis gloriæ, quæ sunt pænitentia uiuentium, Saluatoris officium, bonorum suffragium. Primum discimus in illo, quod corpora extra castra cremabantur, quia ibi corpora cremare, est fideles extra delitias & uoluptates sæculi pænitentiam agere. Secundum in eo, quod sanguis inferebatur per Pontificem in sancta sanctorum, quia hoc est animas iustorum post hanc uitam beneficio Christi in cælum assumi. Tertium in eo, quod sanguis per Pontificem in sancta delatus ualuit ad remissionem peccatorum hominum uiuorum; quia hoc est, animas bonorum iam per Christum in cælum subleuatas intercedere pro peccatis exulum adhuc in mundo relictorum. De primo secundæ Timoth. Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, scilicet agendo pænitentiam: & uiuemus recipiendo uitam æternam: si sustinebimus, & conregnabimus, Ad Romanos. 8. Non sunt condignæ passiones & cæt. Ecce quod pænitentiam agere, & mala in hoc mundo sustinere, ualet ad spem obtinendæ cælestis gloriæ. De secundo, Ioannis 14. Iterum uenio, & accipiam uos ad me, ecce quod Domini pietatis officium ualet ad spem cælestium, Canticorum. 5. dicunt huiusmodi. Quo abiit dilectus tuus ò pulcherrima mulierum? respondit beata Virgo. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascat in hortis, & lilia colligat, idest, animas beatas, uel castas de mundo assumat, & ad cælestia perducat. De tertio, Osee. 1. Ego exaudiam cælum, & illi exaudiant terram, idest, sanctorum precibus qui sunt in cælis, saluantur qui habitant in terris: ecce orationes sanctorum ualent ad spem cælestium. Apocalypsis 8. Ascendit fumus aromatum de orationibus, scilicet de manu angeli coram Deo, quia scilicet sancti offerunt orationes pro nobis Christo, & Christus patri suo, ut

peccatorum recipiamus remissionem, & ad eorum perueniamus societatem.

CAP. IIII.

De tertio circa sacrificium notando, scilicet sacrificii nostri excellentia.

Venite comedite &c. Tertio notatur nostri sacrificii, scilicet corporis Christi excellentia, quæ præcellit omnia legis sacrificia triplici ratione scilicet honestatis, quo ad sęculum: dignitatis, quo ad Deum: uirtutis, quo ad suæ bonitatis effectum. Primo excellit ratione honestatis, quod probatur a tribus, ab exteriori specie, a uirginali origine, a spirituali dulcedine. Primo, probatur huiusmodi honestas ab exteriori specie, quia sub nulla alia qualitate cibi posset tam munde, tam pulchre, tam honeste ministrari, sicut sub specie panis & uini. Non enim sequuntur hoc inconuenientia multa, quæ sequebantur illa crueta legis sacrificia, Prouerbiorum 14. Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena uictimis cum iurgio. Buccella sicca est sacrificium nostrum sub munda specie panis, & honesta. Zachariæ. 9. Quid bonum, & quid pulchrum eius, nisi frumentũ electorum, & uinum germinans uirgines? Secundo, probatur honestas eius, quod a nulla corruptione, sed a uirginali flore sumpsit exordium. Ecclesiastici 24. Flores mei fructus honoris &c. Quasi diceret. Flores pudicitiæ & uirginitatis uersi sunt in fructum nobilissimæ honestissimæ prolis. August. Nobilitas matris est ex deitate prolis, & nobilitas prolis ex uirginitate matris, Canticorum 3. Egredimini, glossa ab ignorantia infidelitatis, & uidete regem, idest, Iesum Christum, in diademate, idest, carne, quo coronauit eũ mater sua, idest, honestauit in hoc quòd est uirgo. Tertio probatur honestas huius sacrificii a spirituali dulcedine pietatis, qua cunctos christianos ad se attrahit. Vt enim dicit Tull. Honestum est, quòd sua ui nos ad se trahit & allicit, ut scilicet res uirtuosa, maxime uero talis qui abundat

dat dulcedine pietatis,& talis res est sacramentum dominici corporis, Eccles. 49. Memoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarii,memoria Iosiæ est memoria le Saluatoris,vel sacrificium altaris.Hoc factum est opere pigmentarii,scilicet ex pretiosis operibus diuinitatis, & humanitatis suæ,ut suauissimo honestatis & pietatis odore ad se trahat fideles ecclesiæ,Canticor.1.Oleum effusum nomen tuum.Hinc omnes qui uere credunt, ob spem gratiæ & deuotionis ad hoc sacrificium uidendum , & adorandū ad ecclesiam frequenter & feruenter accurrunt. Secundo excellit ratione dignitatis, quod probatur a tribus rebus pretiosissimis,ex quibus consistit, scilicet ex carne Christi mundissima,anima iustissima,deitate altissima. Hæc tria in agno paschali figurata sunt,in nostro sacrificio uere perfecta sunt,Exod.12.Caput agni cum pedibus & intestinis uorabitis.Caput agni significat deitatem,intestina animā, pedes carnem:ecce in Christo Deus,anima,& corpus, propter quod dicitur. Aue salus mundi,deitas integra, uerus homo,ex carne scilicet & anima propter tantæ dignitatis excellentiam habet sacrificium nostrum præ aliis triplicē prærogatiuam.Deo namque secundum se acceptum est,angelis reuerendum,hominibus adorandum. Primū est propter animam iustam,secundum propter carnem mundam, tertium propter diuinitatem summā.De primo Malachiæ. 3.Placebit Deo sacrificium Iuda,idest, Christi iusti regi. Sacrificium Iuda Domino placet,quia corpus Christi oblatum Deus pater approbat,in quo scilicet se maxime humiliauit usque ad mortem patri obediendo,de diabolo triumphando,& genus humanum redimendo.Eccles. 30. Sacrificium iusti acceptum est, & odor suauitatis in conspectu altissimi.De secundo,Matth.22.Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.Leo Papa.Circa corpus Domini aquilæ sunt quæ spiritualibus alis circumuolant, uidelicet angeli sancti,spiritus mundi,munditiam amantes, mundum corpus Domini uenerantes, & præsentes fideles protegentes.Greg.Quis fidelium dubium habere possit in ipsa hora immolationis cælos aperiri,& in illo Christi mysterio angelorum adesse choros,summa & ima sociari. De

tertio Psal.95. Adorate scabellum. Et Isa.66. dicitur. Terra autem scabellum pedum meorum. Terra scabellum Dei significat carnem Christi, quæ originaliter de terra est. Hæc est nobis adoranda, quia sancta, quia Deo unita. August. Sciendum quia in Christo terra, idest, caro sine impietate adoratur. Qui enim terram adorat, non terram intuetur, sed illum potius cuius scabellum est, propter quam adorat. August. Dicunt hæretici, quid est quod carnem illius, quam creaturam non negas, cum diuinitate adoras, & ei non minus quam diuinitati deseruis? Respondeo. Dominicam carnem perfectam humanitatem ideo adoro, quia a diuinitate suscepta, & diuinitati in unitate personæ unita. Si hominem separaueris a Deo, illi non credo, nec seruio. Velut si quis purpuram, uel diadema regis per se iacens inueniat, numquàm eam adorabit. Cum uero ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si eam cum rege adorare contempserit. Sic etiam in Christo humanitatē non solam, uel nudam, sed diuinitati unitam, scilicet vnum filium Dei, verum Deum & uerum hominem si quis adorare contempserit, æternaliter morietur. Alexander Papa. Nihil in sacrificiis maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi. Tertio, excellit ratione uirtutis, idest, propter effectum suæ bonitatis. Habet enim triplicem bonum actum in triplici statu fidelium, in mundo, in purgatorio, in cælo. In primo statu peccata relaxat: in secundo pœnam grauem alleuiat: in tertio gaudium magnum generat. Hinc est, quod tripliciter Missæ celebrari solent pro salute uiuorum, pro requie defunctorum, & pro gloria beatorum. Vnde & hostia in tres partes frangitur, ut uirtus sacrificii corporis Domini in prædicto triplici statu demonstretur. De primo, Leuitici 5. Anima quæ peccauerit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum, idest, Christum. Gloss. Vnde canitur. Agnus Dei &c. Gregor. Dominus dedit nobis sacramentum salutis, ut quia quotidie peccamus, & ille iam pro nobis mori non potest, per hoc sacramentum remissionem consequamur. De secundo, Leuitici 17. Dedi uobis sanguinem, ut super altare meum expietis pro animabus uestris, & sanguis pro animæ piaculo

sit,

sit, & ideo caro & sanguis Christi recte pro animabus defunctorum offeruntur, ut a pœna purgatorii, qua pro residuo pænitentiæ ligati sunt, absoluantur. Augustin. Orationibus, & eleemosynis sanctæ ecclesiæ, & sacrificio salutari non est dubium defunctorum animas releuari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt in hoc mundo. De tertio, Leuitici 10. Pectusculum sacrificii, quod oblatum est, edetis in loco mundissimo tu, & filii tui, & filiæ tuæ tecum. Pectusculum, quod scilicet optimum est & dulcissimum animalis, significat dulcedinem corporis Christi, inquantum comeditur in loco mundissimo, idest, inquantum delectat beatos in cælo, in eo quòd plurimum gaudent & congratulantur in hoc sacrificio de memoria redemptoris, de aspectu nostræ salutis, de admiratione diuinæ bonitatis. Vel certe pectusculum comedetur in loco mundissimo, quia dulcedine corporis Domini, qua hic pascimur in uelamine & sacramento, ea fruuntur beati uisione manifesta in cælo, Apocalypsis secundo. Vincenti dabo manna absconditum. gloss. meipsum, qui sum panis uitæ, quod manna & si nunc manet absconditum, tunc fiet manifestum habens omnis saporis suauitatem. Hinc dicit collecta. Perficiant in nobis, Domine, sacramenta quod continent, ut quæ specie gerimus, rerum ueritate capiamus, idest, Christi corpore manifesta uisione perfruamur, secundum illud. Qui diligit me, diligitur a patre meo, qui est in cælis: in illa Domini uisione erit nobis omnia boni plena fruitio. Psalm. 16. Adimplebis me lætitia cum uultu tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua.

CAP. V.

De tertia causa institutionis, qui est cibus hominis.

CARO mea uere est cibus. Thema propriũ, quod corpus datur in cibũ. Tertia causa institutionis est cibus hominis. Circa hoc quòd Dominus corpus suum dat in cibum, triplex potest ratio sa-

pientiæ Dei assignari, scilicet diuinæ liberalitatis magnitu do. Cum enim summæ sit bonus, summa eum decet liberalitas: sed nulla hac maior esse potest. Probatur autem eius liberalitas in hoc facto quantum ad tria. Primo, quantum ad magnificentiam doni: secundo, quātum ad nobilitatem dantis: tertio, quantum ad utilitatem accipientis. Primo, quantum ad magnificentiam doni, quia largitor omnium bonorum in hoc sacramento dat seipsum, & hoc largissime, quia dat proprium corpus in cibum, secundum quod dicit, Accipite & comedite. Hic est summus gradus diuinæ largitatis quantum ad donum. Hic gradus quidam propo ni possunt diuinæ largitatis, quibus homini largitus ē omnia bona sua, & sic patebit quòd hic est summus. Primus gradus est, quòd largitus est homini cælum & terram, & omnes irrationabiles creaturas ad seruiendum, Ecclesiastici 17. Deus creauit de terra hominem, & dedit ei potestatē eorum quæ sunt super terram, Genesis 2. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, Deuterono. 4. Solem, & Lunā, & omnia astra cæli creauit Deus in ministerium cunctis gentibus. Matthæi. 5. Deus solem suum faci t oriri super bonos, & malos. Actuum 13. Deus non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciēs, de cælo dās pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra, non sine testimonio se reliquit benefaciens, idest, per beneficia, & creaturæ se Deum & liberatorem testatus est, Psal. 18. Quid est homo quòd memor es eius. Secundus gradus est, quod homini largitus est illas nobilissimas creaturas rationabiles, & cælestes, scilicet sanctos angelos ad ministrandum, Hebræorum. 1. Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, Matthæi 18. Angeli eorum semper ui dent faciem patris. Angeli dicuntur, quia unicuique a natiuitate datus est angelus ad ministrandū. Hinc leguntur hominibus sæpe obsequia impendisse, & faciunt quotidie peccatores conuertendo, multos a malis defendendo, iustos ad cælos deducendo. Exod, 14. Ecce ego mitto angelū meū, qui præcedet te, scilicet lumen uirtutum ostendendo, & cu stodiat in uia, in igne purgatorii defendendo, & introducat te ad

te ad sydera cælestis regni perducendo. Tertius gradus est, quod largitus est seipsum, Lucæ. 1. Benedictus dominus Deus Israel. Dedit autem se multis modis. Primo, in sociũ nostræ peregrinationis. Baruch 3. Hic etiam Deus noster qui adinuenit omnem uiam disciplinæ, & tradidit illam Israel dilecto suo, & post hæc in terris uisus est &c. quasi diceret. Quia Deus fecit homini uias peregrinationis, dans mandata bonæ conuersationis ne deficiat, & ne uia homini uideretur grauis nimis, factus homo ẽ Deus, & per hoc socius uiæ & peregrinationis Lucæ 8. Iter faciebat Iesus per castella, & ciuitates prædicans, & euangelizans regnũ Dei, & duodecim cum illo, & mulieres quæ erant curatæ a spiritibus immundis, & Maria Magdalena, & Ioanna, & Susanna, & aliæ multæ, & turba multa uenit ad eum. Et uere bonus se dedit in bonum socium, quia socios uiæ lassos optimis uerbis confortauit, in periculis liberauit, infirmos curauit, mortuos suscitauit. Quartus gradus, quod dedit se in seruum nostræ necessitatis, Ad Philippenses 2. Exinaniuit semetipsum formã serui accipiens &c. Hinc sitiẽtes potauit, esurientes pauit, discipulorum pedes lauit. Matthæi 20. Filius hominis non uenit ministrari &c. Lucæ 22. Ego in medio uestrum sum, sicut qui ministrat. Quintus gradus est, quod dedit se in pretium redemptionis nostræ. Ad Philippenses 2. Christus dilexit nos, & tradidit se pro nobis hostiam & oblationem Deo in odorem suauitatis, Matthæi 20. Filius hominis uenit dare animam suam in redemptionem pro multis. Sextus gradus est, & summus, quod dat homini corpus suum in cibum, Osee. 11. Ego quasi nutritius Effraim, & declinaui ad eum ut uesceretur, Ioannis 6. Panis quem ego dabo. Gregorius. Bonus pastor Dominus animam pro ouibus posuit, ut in sacramento nostro corpus suum, & sanguinem uerteret, & oues quas redemerat carnis suæ alimento satiaret, & in hoc est expressio summæ largitatis, & præcipui amoris. Magnum est enim dare se in socium peregrinationis, & in seruum necessitatis, maius in pretium redemptionis, tamen tale donum adhuc est in aliqua separatione ab eo cui datur, sed cum datur in cibum, datur non ad separationem aliquam, sed ad omnimo

dam unionem. Vniuntur enim in unitate corporis cibus & sumens, Ioan. 6. Qui manducat meam carnē, in me manet & cæt. Et sic apparet in tali dono summa largitas diuinæ bonitatis. Secundo, probatur excellens liberalitas Dei in hoc facto quantum ad nobilitatem dantis, quæ tam excellens est in hoc sacramento, ut corpus suum largiatur large & diffuse, quia non solum dat illud dignis & amicis, sed non subtrahit indignis, malignis, & inimicis. Psal. 26. Appropriant super me nocentes, ut edant & cæt. Qui enim se permisit manibus malignorum semel crucifigi, permittit se sceleratorum manibus tractari, & inimicorum, & immundorum dentibus in sacramento lacerari. Hinc hosti, & traditori suo Iudæ in cœna cum aliis dicitur corpus suū dedisse. Veritatem enim præsentiæ suę ad instar solis oriri facit super bonos & malos exhibens se in hoc sacramento dignis, & indignis, licet non ab omnibus effectus suscipiatur æqualis. Nam dignus effectus bonitatis Dei suscipit, indignus seueritatis, exemplum de sole, & oculo ægro & sano. Nota, quod magnum est dare magna dona proximis & amicis, maius dare seruis & ancillis, maximum ignotis & peregrinis, sed nimis inimicis. Vnde arguuntur de magna ingratitudine, Iob. 19. Quare me prosequimini sicut Deus, & carnibus meis saturamini? Ad Romanos 2. An diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pænitentiam te adducit? Copiosa bonitas, & benignitas, & liberalitas nobilitatis Dei, quæ inimicis, & multis contra eum peccantibus tot bona facit, maxime cum tales corpus eius sumere permittit, ut tanta eos liberalitate conuertat. Tertio, probatur quantum ad utilitatem suscipientis, quia in hoc sacramento digne suscipiens efficitur deiformis, idest, per gratiam bonitatis, siue per imaginationem imitationis Deo quodammodo similis. Ioan. 1. Quotquot autem receperūt eum &c. idest, per gratiam bonitatis Deo similes. Ambrosius. Quia dominus Iesus consors est diuinitatis, & corporis, & tu qui accipis carnem eius, diuinæ eius substantiæ in illo participas alimento, diuina substantia bonitas est. In hoc ergo alimento diuinæ substantiæ participare, est assimilari

milari per gratiam diuinę bonitati, Prouerb. 12. Qui bonus est, hauriet sibi gratiā a Domino: gratia uero est influētia diuinæ bonitatis in animam, per quam assimilata Deo fit ei gratia, & uitæ ęternæ digna. Non enim sufficit liberalitati diuinæ, quod in sacramento, uel in cibo intellectū illuminat, quod effectum sanat, quod memoriam delectat, quod totum hominem in bono confortat; & corpori suo mystico associat, quin insuper Deo assimilet in præsenti per gratiam, & in futuro per gloriam: non enim potest ulterius promoueri.

CAP. VI.

De duabus aliis rationibus, quibus datur corpus Christi in cibum.

VENITE; comedite &c. & alia themata, ut supra. Secunda ratio quare Dominus corpus suū dat in cibū, est humanæ naturæ corruptio, quæ huiusmodi cibi exigebat medicamentū, & hoc quantū ad tria. Primo, quantum ad congruā curationis inchoationē, quia sicut initiū corruptionis & mortis cœpit a cibo uetito. s. a ligno scientiæ boni & mali, sic initium iustificationis & uitę incipere debuit a cibo. s. ligno uitæ. i. a corpore dominico. De primo, Genes. 2. de ligno sciētiæ &c. De secundo, Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filii hominis &c. Secundo, exigebat talem cibum quantum ad integram corruptionis curationem. Serpens enim malignus infudit homini per uenenū pomi uetiti triplicē corruptionem, in anima tenebras ignorantiæ, in carne morbū prauæ concupiscentiæ, & mortē in utroque. Gen. 3. Serpens decepit me. De primo. Psal. 48. Homo cum in honore esset &c. Gene. 1. Tenebræ, idest, ignorantiæ erant super faciem abyssi, idest, humani cordis ex diaboli deceptione; De secundo, Ad Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum; Ad Romanos 7. Video aliam legem in membris meis repugnantē legi mentis meę. Lex in membris est morbus concupiscentię mouens membra ad actum malitię. De tertio, Sapien. 1. Inui-

1. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. De omnibus Augu. Si angelus de proprio ruens paradiso non esset auditus, non præcipitaremur in mortem, sed uenit de cælo lassus serpens foris, & emisit uenenum de proprio, locutus est de suo, gustate, & eritis sicut dii, & illi appetentes quod non erant, amiserunt quod acceperant, scilicet uim intellectiuam, uitæ iustitiam, non moriendi possibilitatẽ. Quia ergo per cibum uenenosum triplicem infudit corruptionem, necesse fuit, ut ad integram curationẽ medicus, idest, saluator noster, cibum medicinalem contra hæc tria daret, & hoc est corpus suum, quod pie recipientium ignorantiæ tenebras illuminat, morbum prauæ concupiscentiæ sanat, & mortem destruendo triumphat. De primo. ps. 6. Dominus illuminatio mea &c. & Psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini. Corpus enim Christi est uerbũ Dei, idest, uera lux in carne humana quasi in lucerna, qua illũminatur fidelis anima. De secundo. Psal. 77. Pluit illis manna ad manducandum &c. Exodi 16. Mane ros iacuit in similitudine pruinæ super terram. Panis igitur cælestis in similitudinem pruinæ, rorisque apparebat, quia corpus domini a feruore prauæ concupiscentiæ refrigerat. De tertio, Ioan. 6. Patres uestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, ut si quis manducauerit ex ipso non morietur, & sic iste cibus mortem destruit. De his tribus supra primo sermone circa finem actum est. Tertio, exigebat talem cibum quantum ad firmam sanitatis conseruationem. Quidam enim ad tempus de peccatis compunguntur, & quodammodo curãtur, sed tempore tentationis per recidiuum iterum corrumpũtur. Psalm. 37. Putruerunt, & corruptæ sunt &c. Ad conseruationem autem sanitatis animæ, & incorruptionis bonæ uitæ, ualet cibus iste, Cantic. 1. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Sicut enim myrrha incorrupta seruat corpora, sic corpus Domini pie sumptum corda. Tertia ratio sapientiæ Dei, qua Dominus dat homini corpus suum in cibum, est humanæ naturæ conditio quæ rationalis creata est, & corpori coniuncta. Rationalis autem creatura potest tribus modis considerari, & secundum hoc indiget tri

plici

plici cibo. Primo modo, consideratur secundum quod est incorporea, & pure spiritualis, ut natura angelica. Secundo modo, secundum quod est corpori coniuncta, sicut dissimilis dissimili, spiritus carni. Tertio modo, secundũ quod illæ duæ naturæ, scilicet corpus & anima in singulis personis hominum sunt familiari societate, miroque amore coniunctæ. Sed quocumque istorum trium modorum consideratur rationalis creatura secundum conditionem suam cõuenienti indiget alimonia. Primo modo exigit alimentum, per quod uiuat & subsistat, scilicet uerbum Dei æternum secundum se incorporeum, quod est æterna Dei sapientia, Thob. 12. Ego cibo inuisibili & potu qui ab hominibus uideri non potest, utor. Prouerb. 3. Lignum uitæ est his qui apprehenderint eam, scilicet Dei sapientiam, Ecclesiasti. 1. Fons sapientiæ uerbum Dei in excelsis reficiens, scilicet angelos in cælis. Secundo modo considerata rationalis creatura, ut est corpori coniuncta, sicut dissimilis dissimili, spiritus carni, pretiosum uili, secundum conditiouem utriusque natutæ indiget pro utroque cibo conuenienti sibi, sed dissimili: quia spiritus spirituali ad modum angeli, corpus corporali ad modum bruti. De primo, Psal. 77. Panem angelorum &c. 1. ad Corinth. 10. Patres nostri omnes eãdem escam spiritualem manducauerunt &c. Sapientiæ. 9. Si quis erit consummatus inter filios hominum sibi ab illo effugerit sapientia tua, in nihilum computabitur: quia qui spirituali cibo, qui est Dei sapientia caruerit, a uita spirituali deficiet, Ecclesiast. 15. Cibauit eum Dominus &c. De secundo, 2. Regum 12. Pauper quidam habebat ouiculam de pane suo comedens, Ecclesiastici. 39. Initium necessariæ rei uitæ hominum lac & panis, mel & uuæ, & oleum, hæc omnia sanctis in bona, & impiis in mala conuertentur. De vtroque. Deutro. 8. & Matth. 4. Non in solo pane &c. Aug. Sicut anima uita est corporis, sed non uiuificat sine cibo corporali: ita Deus uita est animæ, sed non uiuificat illam sine cibo spirituali, idest, sine uerbo Dei, & sic hæc & illa natura hominis sibi dissimiles dissimilem cibum habuerunt, & alio modo, & longe ab inuicem comederunt, nec cibus corporis congruebat spiritui, nec cibus spiritus corpori.

pori. Tertio modo, considerata rationalis creatura secundũ quod illæ duæ naturæ, idest, corpus & anima, sunt in singulis personis hominum familiari societate & miro amore coniunctæ, tunc exigitur ad æternam saluationẽ utrorũq; unus cibus toti homini, idest, utrique naturæ conueniens spiritualis simul & corporalis, scilicet Verbum caro factũ, quem simul sub quodam sacramento comedant, cuius uirtute anima de præsenti miseria ad uitam æternæ beatitudinis perueniat, & corpus ad modicum tempus seruatur in terra, ut tandem gloriose resurgat. De hoc cibo, Ioan. 6. Caro mea, idest, caro Dei, caro humana unita Dei uerbo, uere est cibus, scilicet totius hominis ualens animæ & corpori, Ecclesiastici. 1. Vnus est altissimus creator omnium, ipse creauit sapientiam spiritu suo, & secundum datum suum præbet illam diligentibus se Creauit sapientiam spiritu suo, idest uirtute sua, scilicet creaturam carnis de Virgine sumpsit, & sapientiæ suæ uniuit, & secundum datum suum, idest, liberalitatem præbet illam in cibum diligentibus se, scilicet fidelibus, ut prosit, sicut dictum est, corpori & animæ. De hoc conuiuio corporis & animæ Isa. 9. Vitulus & vrsus pascentur simul. Vitulus significat corpus, qđ in sacrificio Deo est mactandum: vrsus spiritum, qui sicut vrsus bestiis, sic terribilis esse debet bestialibus motibus & moribus. Hi pascentur simul, scilicet uero cibo, idest, carne Christi, ut prosit animæ & corpori. De primo Ioan. 6. Qui manducat carnem meam &c. De secundo sequitur, Et ego resuscitabo eum &c.

CAP. VII.

De forma donationis, uidelicet qua ex causa detur uelatum hoc sacramentum.

VENITE comedite panem &c. Thema speciale, Quomodo potest nobis carnẽ suam dare &c. Thema proprium. Sacramentum regis abscondere bonum est, Thobiæ. 12. Secundum principaliter circa sacramentum dominicum notandum, est forma donationis,

nis,& circa hanc tria sunt consideráda. Primum, quod Dominus corpus suum dat uelatum: secundum, quod dat uelatum sub specie panis: tertium, quòd dat uelatum sub specie panis triticei. Circa primum sciédum, quod datur uelatum non nudum, secundum illud Apocal. 2. Dabo manna absconditum quasi cibum cælestem uelatum: sed quia hic humanus sensus hæsitat, & miratur cũ aliud uidetur, huius uelaminis quadruplex est ratio. Prima est indignitas malorum, quæ exigit ut ueletur, sicut æger oculus ut sibi sol, & quodlibet lumen tegatur & in hoc benignissime agit, cũ eis misericordia Saluatoris, si praui nudum aspicerent, & hoc a fidelibus manducari ex ipso aspectu scandalizarentur, & tripliciter male perirent, uidelicet in corde per horrorem, in ore per detractioné, in anima per spiritualé mortem. De primo, Io. 6. Vbi Dominus dicit, Caro mea uere est cibus, &c. Sequitur. Ex hoc multi discipuli abierũt retro, quasi abhorrétes uerba de humana carne comedéda. Ambr. Forte dices, Quomodo uerus sanguis? quia similitudiné non uides carnis. Attende uerba Christi, Audientes, quòd carné suam daret manducare recedebant, solus Petrus dixit, Verba uitæ æternæ habes, ad quem ibimus? Ne ergo plures scandalizentur, & ne uelut quidam esset horror humanæ carnis, sed magis maneret gloria redemptoris, ideo in similitudine accipis sacramentum: sed ueræ naturæ gloriam uirtutemque consequeris. De secundo in eodem, vbi Dominus dixit. Panis quem ego dabo, caro mea est &c. Litigabant ideo Iudæi &c. Litigatio hæc murmur & detractio est, & ideo debuit velari. Psal. 54. Si is qui oderat me &c. De tertio. Num. 4. Aaron & filius eius intrabũt, ipsique disponét opera, idest, operiét sacramenta, alii nulla curiositate uideant quæ sunt in sanctuario priusquã inuoluantur, alioquin morientur. 1. Regũ 6. Percussit Dominus multos, eo quod uidissent arcã Domini, quia. s. non licebat eis uidere eam detectam. Arca significat corpus Christi, quod malignis est uelandum, ne spiritualiter moriantur si uideant: quia causa suæ cæcitatis putarent esse phãtasticũ, Ecclesiastes 3. In pluribus operibus Dei non fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt

videre

uidere oculis tuis. Secunda ratio quare uelatum datur, est fides bonorum, & hæc ratio potest in tria distingui, quæ exigunt hoc uelari, scilicet fidei, esse verum infidelitatis prauæ remedium, fidei meritum. Primo fidei esse uerum exigit ut uelatum detur corpus Christi. Ad Hebræos 10. Fides est rerum non apparentium, ut dicit August. Fides est credere, quod non uides, scilicet credere uerbis de re occulta quæ uere est, & tamen eam oculis non uides. Nam de re quam uidemus, scientiam potius quam fidem habemus. 1. Petri primo. Christus est in quē non uidentes creditis. Secundo, infidelitatis remedium exigit ut uelatur corpus Christi, quatenus culpæ infidelitatis respondeat modus cō gruus satisfactionis. Vnde sicut primorum parentum incredulitas incępit ex auditu uerbi diaboli suadentis cibū habentem mortem uelatam, & in eo sunt sensus eorum uane delectati, sic congruit ut fides saluandorum incipiat ex auditu uerbi Saluatoris suadentis cibum habentem ueram uitam absconditam, & in quo nostri sensus pie sunt decepti præter auditum, ut sit fides ex auditu tantum, & nō ex uisu, uel aliis sensibus, auditus autem per uerbum Christi. Hoc pulchre figuratur, Genes. 27. In benedictione Iacob, ubi sensus Isaac sunt decepti putantis sentire Esau, dum sentit similitudinem eius, qui uelatus erat, Iacob. Vnde sciendum, quod in illa figura dominici corporis quatuor erant personæ, scilicet Isaac, & Rebecca, quasi masculus, & femina significant duas naturas in nobis, idest, corpus, & animam, masculus qui magis solet esse manifestus, & exterioribus plus intendit, significat exteriorem hominem, corpus cum suis sensibus: femina, quæ boni residet & familiam regit, interiorem hominem, idest, animam quæ saluti suę & aliorum gerit curam. Iacob bonus, & formosus habitans in tabernaculis, quem diligit Rebecca, idest, fidelis anima, significat uerum corpus Christi. Esau quem amabat Isaac, idest, corpus, eo quòd de cibis suis uescitur, significat substantiam panis cum suis accidentibus, scilicet colore, sapore, & cæteris. Dum itaque Isaac quasi homo exterior, idest sacerdos benedicere debet, Esau, idest, substātia panis recedit, sed similitudo Esau

ſcilicet veſtes cum odore,pelles piloſæ, cibus cum ſapore, ideſt,accidentia panis,ſiue ſimilitudo, ſcilicet color, ſapor, odor,durities manent circa Iacob,& ſenſus noſtri fallũtur. Ibi fallitur viſus Iſaac caliginoſus,ideſt,debilis corporis noſtri,quia putat præ oculis habere Eſau,ideſt,panem,& tantum veſtes eius, ſcilicet ſpeciẽ panis, & ſub illa latet Iacob velatus,ideſt,corpus Chriſti.Ibi fallitur guſtus,quia putat comedere cibum Eſau,ideſt, panem,& guſtat tantum ſimilitudinẽ eius. Ibi fallitur olfactus, quia putat ſentire odorẽ. Eſau,ideſt,panis,qui vere non eſt ibi: ſed ſentit odorem veſtimentorum eius, ideſt, formam panis, quibus veſtitus eſt Iacob,ideſt,corpus Chriſti. Sapiens erat Iſaac,ſed in iudicio cognoſcendi Eſau fallebatur,ſic homo noſter exterior in iudicio panis altaris fallitur,præter quàm auditu, vnde ait. Vox quidem uox,Iacob &c.Manus quas tango ſunt Eſau, nihil falſius:ſed uox quam audio dicẽtem,ego ſum, uox eſt Iacob,nihil verius.Similiter ſacramentum quod tãgo, ſubſtantia panis eſt, nihil falſius: vox Chriſti dicentis, Hoc eſt corpus meum,nihil verius. Primo, igitur fidelitatis remedium exigit, quòd corpus Chriſti velatũ detur, vt quia ſenſus primi hominis in cibo perditionis vane delectabantur; ſenſus noſtri corporis in cibo benedictionis ad inſtar Iſaac decipiantur,ita tamen quòd Rebecca,ideſt, anima in fide ſua non fallatur. Credit enim vere in benedictione ſacra eſſe Iacob, ideſt, corpus Chriſti velatum ſimilitudine Eſau,ideſt,ſpecie panis.Tertio fidei meritum exigit,vt veletur corpus Chriſti,quia vt dicit Greg.fides nõ habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum, ſupple ſufficiens. Velatum dare voluit Dominus corpus ſuum, quia in hoc potius credere verbis ſuis quàm ſenſibus noſtris magnũ habet meritum. Io.vlt.Beati qui non viderunt Huius meritum fidei,ſiue fructus triplex eſt,ſcilicet ſpiritualium bonorum plena copia,temporalium abundantia,æternorum ſuperfluentia. Hinc ait Rebecca,ideſt,fidelis anima, In me ſit iſta maledictio fili mi,ideſt,hęc triplex benedictio. Det tibi Deus de rore cæli, quantum ad primam: & de pinguedine terræ abundantiam, quantum ad ſecundam:abundantiam frumenti, vini & olei,quantum ad tertiam, De primo Ioan.

7. Qui credit in me, flumina &c. Osee 14. Ero quasi ros &c. De secundo ad Hebr. 11. Sancti per fidem adepti sunt repromissiones, scilicet temporalium. Isaiæ 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Matthæi 6. Primum quærite regnum Dei, recte credendo: & iustitiam eius, iuste viuendo, & hæc omnia &c. De tertio 1. Pet. 1. Credentes in Christum quem non videtis, exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum. Prouerb. 1. Qui audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur timore malorum sublato.

CAP. VIII.

De duabus alijs rationibus, quibus datur corpus velatum.

VEnite comedite &c. Quomodo potest sacramentum regis. Tertia ratio, quare corpus suum dat velatum, est instructio morum. Iob. 28. Trahitur sapientia de occultis. Tria vero in hoc sacramento occultantur, in quibus mores instruũtur, scilicet persona Saluatoris, pulchritudo magnæ claritatis, mirum opus omnipotentis. De primo, Isa 45. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator. De secundo. Isai. 7. Expectabo Dominum qui abscondit faciem suã. De tertio. Ecclesia. 43. Multa abscõdita sunt maiora his, pauca enim vidimus. In his discimus in nobis quandoque tria virtuose abscõdi posse, nostram personam, pulchritudinem corporalem, bonorum operum intẽtionem. Primum a persecutorem furore, secundum a stultorum inspectione, tertiũ ab humano fauore. Primo discit iustus abscondere personam propter tria, vt scilicet persecutor quiescat, vt præceptum a Domino opus perficiat, vt gloriosiorem coronam acquirat. De primo. Isa. 26. Vade popule meus abscõdere modicum, donec pertransieat indignatio mea in persecutore, quod multi iustorum leguntur fecisse. De secũdo. 2. Cor. 11. Damasci præpositus &c. Similiter Thobias cũ eũ rex iuberet

ret occidi, fugiés nudus latuit, vt. ſ. opera miſericordiæ quę cœperat, impleret. De tertio 1. Reg. 26. Cũ fugeret Dauid a facie Saul, abſcõditus eſt in colle Achile, ideſt, in Domino. Achila interpretatur eum ſuſcipiens, vnde Dominus ſuſceptor meus. Abſcõditus eſt autem in Domino, vt per inclyta opera glorioſa regni ſibi reſtaret corona. Io. 8. Tulerunt lapides iudęi, vt iacerentur &c. Secundo diſcit iuſtus abſcõdere pulchritudinem corporalem ab omnium inſpectione, quia exterior pulchritudo, & ornatus multis fuit occaſio caſus. Decor ergo corporalis abſcõditur tribus modis, per habitus vilitatem, per ieiuniorum auſteritatem, per boni operis aſſiduitatem. De primo, Iob. 16. Saccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam. Gen. 24. Rebecca conſpecto Iſaac tollens palium operuit ſe. 1. ad Cor. 11. Mulier debet habere velamẽ ſuper caput propter angelos, ideſt, propter bonos. De ſecundo, Galat. 6. Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mũdo, quaſi diceret: Vilis eſt mihi mũdus propter pœnam ſuæ ſollicitudinis, & ego vilis mundanis, propter corporis mei macerationem. Auguſ. Carnem veſtram domate &c. De tertio, Pſal. 38. Tabeſcere feciſti ſicut araneam &c. Sicut aranea ex ſuis viſceribus trahẽs opus naturę tabeſcit exinde, ſic iuſtus frequentans opera laborioſa ex vera charitate maceratur, & palleſcit in corpore. Eccleſiaſtici. 33. Iugum, & lora curuant collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſsiduæ. Cant. 1. Nolite me conſiderare &c. Sol effectus ardoris, ideſt, opus amoris, Chriſtus formam ſerui accepit, in qua claritatem diuinitatis abſcondit. Vnde Iſa. 53. Non eſt ſpecies ei, neque decor &c. & abſconditus vultus eius, & deſpectus. Tertio, diſcit abſcondere virtutum & bonorum operum intentionem ab humano fauore, Mat. 13. Simile eſt regnum cęlorum, gloria, ideſt, conuerſatio iuſtorum, theſauro, ideſt, bono operi abſcondito in agro. i. in corde. Gregor. Sic ſit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, vt de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua ſoli Deo placere cupimus, ſemper optemus ſecretum. Triplex vero bonum precipue debemus abſcondere a fauore hominum, ſcilicet. eleemoſynam, oratio-

nem, & ieiunium. De primo, Matth. 5. Cum facis eleemosynam: noli tuba canere ante te, tuba tumoris & iactantię, sicut hypocritæ faciunt, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat &c. sinistra, id est intentio praua: dextera, id est dilectio pura, vt sit eleemosyna tua in abscondito &c. De secundo, Matth. 5. Et cum oraueris, intra cubiculum &c. i. secretum mentis, & clauso ostio ora patrem tuũ in abscondito intentionis, & reddet tibi. De tertio ibidem, cum ieiunas: vnge caput tuum, id est, refice Christum operibus misericordiæ, quod tibi subtrahis, membris eius. i. pauperibus largiendo: & faciem tuam laua, peccata cordis, & sensuum lacrymis pænitentiæ purgando, ne videaris ab hominibus ieiunans, sed patri tuo. Quarto, datur velatum ratione imbecillitatis nostræ. Hoc enim exigebat imbecillitas hominum: quod probatur tribus modis. Primo, a figura legali, Exodi. 30. Videntes filii Israel ex consortio domini cornutam faciem Moysi, timuerunt prope accedere, vnde posuit velamen super faciem suam, quando loquebatur ad eos. Facies enim Moysi tam magnam recepit radiositatẽ ex frequenti & familiari appropinquatione ad diuinũ lumen, quòd videbatur humanis oculis quasi cornuta, vnde non poterãt claritatem vultus eius sustinere nisi velatam: sic nimirum, immo multo magis corpus Christi in resurrectione eius glorificatũ, & spiritale ac deiforme factum, nullus potest mortalibus inspicere oculis, nisi alia specie velatum. Secundo, probatur ex hoc quod accidit matri Dei Mariæ, quæ non potuit sustinere claritatem præsentiæ filii, & gloriam, nisi esset obumbrata. Carne autẽ virginis velata, maiestas spiritussancti operatione facta est possibilis a Virgine, & etiam a nobis videri, vnde verbum caro factũ est. Sed carne illa post passionem per resurrectionem glorificata, & ad similitudinem Dei clarificata, secũdum illud Io. 17. Clarifica me pater, facta est impassibilis ab oculis mortaliũ in propria forma nuda videri, nisi esset velata aliqua specie visibili. Eccl. 11. Mirabilia opera altissimi, & gloriosa, & absconsa, & immensa. Exodi 32. Non videbit me homo, & viuet. s. in specie propria. 1. ad Corinth. 13. Videmus nunc per

speculum

ſpeculum.ſ.rationis, & in ænigmate.i.figura panis. Tertio, probatur idem ratione naturali, quæ eſt nimia diſsimilitudo luminis oculi noſtri ad claritatẽ luminis corporis Chriſti. Oculus enim noſter anguſtus, æger, & corruptibilis eſt. Illius vero claritas incorruptibilis, & quodammodo immẽſa, vt dictũ eſt de informis. Hæc eſt enim ratio viſibilitatis omnis luminis ſimilitudo aliqua vidẽtis ad lumẽ. Et quãto maior ſimilitudo ad lumen maximum, tanto limpidior, & dulcior eſt viſio. Hinc eſt, quòd ſanus oculus poteſt aliquatenus videre nudum corpus ſolis, & non corpus Chriſti: quia cum illo habet aliqualem ſimilitudinem luminis & corruptibilitatis, quam non habet corpus Chriſti. Niſi enim oculus ex aliqua parte cæleſti lumini ſimilis eſſet, nequaquam illud videre poſſet, ſicut nec auris, aut digitus, aut etiam oculus cæcus.ſ. propter nimiam diſsimilitudinẽ. Quia ergo ob noſtram imbecillitatem, & corporis Chriſti nimiam claritatem magnificatam, & vſque ad incorruptionem roboratam nõ poſſumus videre dulciter oculo ad oculum dominici corporis claritatem, ſaltem oculo mentali.i. pura cordis intentione ipſum debemus reſpicere, ſecundũ illud Lucæ 11. Si oculus tuus ſimplex fuerit.i.intentio cordis pura, totum corpus tuum lucidum erit ad videndam claritatem Chriſti. 1. Ioan. 3. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles illi erimus, & videbimus eum ſicuti eſt. Dignum quidem videtur per ſuperiores oculorũ feneſtras veritatem intrare debere ad animam. Sed hoc nobis, o anima, ſeruatur in poſterum, cum videbimus eum facie ad faciem. Et hæc viſio erit vita æterna.

CAP. IX.

De forma donationis, quæ datur ſub ſpecie panis.

VEnite comedite. Thema proprium. cibauit eũ pane &c. Glo. interlinearis.i.corpore Chriſti. Secundo dat Dñs corpus ſuum ſub ſpecie panis propter tria. Propter collatã ſibi præ cæteris cibis habilitatem. Sub vna enim alia ſpecie cibi tam reſpectu miniſtrantium, quàm accipientium poſſet

actus exhiberi. Et hoc triplici cōsideratione. Primo, scilicet quantum ad inuentionem habilior est species panis, quàm cibi alterius, quia omni loco, omni tempore facilius inueni tur quàm alius cibus. Item, quantum ad conseruationem habilior est quia si debet leuari, portari, siue custodiri, commodius fit sub specie panis quàm cibi alterius. Psal. 109. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eū, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, qui nec oues, nec boues, nec capras, sed panem & vinum obtulit. Item, quantum ad administrationem habilior est, quia mundius & honestius tractari potest, in altari melius diuidi, conuenientius à sanis & infirmis sumi potest, quàm alius cibus. Secundo, dat sub specie panis propter faciendum significationis suæ cognitionem & fidem. Aug. Signum est res præter speciē quā ingerit sensibus, aliquod aliud ex se faciens in cognitionem venire. Signorum autem tria sunt genera, naturale, artificiale, sacramentale. Signum naturale secundum naturam significat, sicut fumus significat ignem, rubor cæli vespertinus significat futuram serenitatem. Matth. 16. Facto vespere dicitis serenum erit, rubicundum est enim cælum. Signū artificiale secundum impositionem hominis significat, & hoc est duplex. Aliud enim non continet quod significat, vt circulus vini. Aliud continet quod significat, vt pluuiarum continet pluuias & significat eas, pastillum significat carnes & continet. Signa sacramentalia secundum impositionem Dei significant, & sunt similiter duplicia. Alia enim non continent quod significant, vt sacramenta legalia, sicut serpens æneus erectus in eremo significabat quidem Saluatorem, sed non continebat eum sicut circulus suspensus ante domum signi ficat vinum, quod tamen nō est contentum. Numeri. 21. Fecit Moyses serpētem æneū & posuit eum pro signo, quem si percussi aspiciebant, sanabātur. Sapien. 16. Habentes signum salutis non per hoc quod videbāt sanabantur, sed per te omniū Saluatorem. Similiter agnus paschalis, & circuncisio significabant rē figuratā, sed non continebant quia fm se non iustificabant. Ad Roma. 3. Ex operibus legis nō iustificabitur omnis caro corā Deo. Item, alia sunt signa sacramentalia, quæ etiam secundū im

positionem

positionem significant, vt sacramenta euangelica, sicut baptismus, & eucharistia. Hugo. Sacramentum euangelicum est materiale elementum foris sensibiliter propositum ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam gratiam specialem. Baptismus significat animæ purificationem, & continet eã, quia efficit quod figurat, scilicet remissionem peccatorum. Actuum 2. Petrus ait. Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum. Similiter sacramentum altaris significat vere corpus Christi, & vere continet illud, quia post consecrationem panis sub specie eius, idest, sub illo signo panis, quod Deus posuit ad significandum corpus Domini, totus est Christus, sicut sub signo positiuo hominis, scilicet in pastillo, sunt occultatæ carnes. Matth. 26. Accepit Iesus panem, & benedixit, & ait Hoc est corpus meum, significatum sub specie panis. Ioannis. 5. Filius hominis dabit vobis panem, qui permanet in vitam æternam. Hunc panem significauit Deus. Igitur si cum video signum positiuum hominis credo ibi sub tenui pane esse carnes, multo magis cum video signum positiuum Dei, vt sacramentum altaris, credere debeo ibi sub specie panis esse verum corpus Christi propter rerum ibi significatarum similitudinem. Tres enim ibi res significantur, quarum species illa panis est sacramẽtum, idest sacrum signum, expressam habens in se illarum similitudinem. Prima res ibi significata est naturale corpus Domini, quod ibi continetur. Secunda res corpus eius mysticum, quod ibi significatur, & non continetur. Tertia res est effectus sacramenti in anima fideli. Primo. species panis primæ rei ibi significatæ. i. veri corporis Christi, habet similitudinem nõ ratione sui, sed ratione subiecti, quod habuit ante consecrationem. i. panis qui prius fuit. Sicut enim ex pluribus & puris granis conficitur, sic corpus Christi ex pluribus membris puris & immaculatis consistit. Cant. 7. Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis Exo. 25 Arcam de lignis sethim compingite. Glo. Arca corp⁹ Chri significat. Hęc fit de lignis sethim, ĩputribilibus, q̃a corpus Chri cõsistit ex mẽbris purissimis & ab oĩ vitio mundis. Secũdo, species panis secundæ rei ibi

ſignificatæ tenet ſimilitudinẽ,ideſt, myſtici corporis Chriſti ſignificati, ſcilicet Eccleſiæ, quæ eſt vnitas fidelium. Sicut enim ex multis granis puris conficitur vnus panis, ſic ex multis fidelibus puris a culpa mortali mundis,& vinculo charitatis vnitis eccleſiaſtica vnitas conſiſtit. Primæ ad Corinth.9.Hic eſt ſciendum,quòd in pane triplex vnio attenditur,per quam triplex fraternitas,ſiue cauſa & vinculum amoris,quod inter fideles eſſe debet, ſignificatur. Primo,grana nobilia & ſimilia colliguntur.Secũdo,farina cõſpargitur per aquam,& paſta conficitur.Tertio,vt panis ſolidus fiat,igne decoquitur.Primum,grana ſimilia ſignificãt fraternitatem & amorem naturalem, quia omnes de vno, & primo parente ſumus nati.Secundum ſcilicet paſta,quæ eſt farina aqua perfuſa,ſacramentalem,quia vno ſacramento baptiſmali ſumus regenerati. Tertiũ, ſcilicet panis igne ſolidatus,ſpirituałẽ,quia vno ſpiritu, ſcilicet ad vnã Chriſtianam religionem ſumus congregati.De primo Gene.22. Deſcẽderũt fratres Ioſeph vt emerẽt frumenta in Ægypto, quia humiliauerunt ſe fideles, vt amorem naturalem omnium hominum acquirerent.Eccleſiaſti.13. Omne animal diligit ſibi ſimile, & omnis homo diligit proximum ſuum, De ſecundo primæ ad Corinth.5. Sitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi,ideſt,vnum quid per dilectionem ſacramẽtalem. Primæ. Ioan.4. Hoc mandatum habemus a Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuũ. De tertio, Exodi. 12.Coxerunt farinam conſparſam,& fecerunt panes,ideſt, profecerunt vſque ad dilectionem ſpiritualẽ.Ioan.14. Hoc eſt præceptum &c.Auguſt.Nõ autem carnalis, ſed ſpiritualis &c.Tertio, ſpecies panis ſecundum quod erat panis, habet in ſe ſimilitudinem tertiæ rei ibi ſignatæ, ideſt, effectus ſacramenti in anima fideli.Sicut enim panis tria facit, ſcilicet confortat,ſatiat, vitam conſeruat, ſic panis ſacramenti animam fidelem confortat ad peccatum dimittendum, ſatiat ad faſtidium mundi faciendum, in vita conſeruat ad Deum ſemper laudandum.De primo, pſal.103. Panis cor hominis confirmet, ad omne vitium deuincendum. Vnde pſal.17.Diligam te Domine &c.qui ſcilicet præcinxiſti me virtute ad bellum.De ſecundo,pſal.104.Pane cæli ſaturauit eos.

uit eos. Ad mundi fastidium faciēdum. Prouerb. 27. Anima saturata calcabit fauum. De tertio Ecclesi. 33. Panis egentium, vita pauperum est. Ad Deum laudādum, scilicet semper. Psal. 145. Lauda anima mea Dominū &c. 2. Paralypo. in fine. Laudabo te Domine semper omnibus diebus vitæ meæ, quoniam te laudat omnis uirtus cælorum.

CAP. X.

De forma donationis, qua datur sub specie panis triticei.

VENITE comedite. Thema proprium. Conuertentur, & viuent tritico, Osee. 14. Vel aliud simile de frumento, vel tritico. Tertio, circa formam donationis corporis considerādum est, quòd Dominus dat illud sub specie panis triticei, & non alterius, & hoc propter tria. Primo, propter huius grani præ cæteris naturalē nobilitatem. Quod probatur a tribus, quia hoc granum est purissimum, quia ad panem communissimū, quia ad carnem maxime nutritiuum. Primo, granum tritici est maxime purum, quia hæc species sola inter alias attingit complementum, idest, summam puritatem. Nam vt dicunt Alchimici, idest, aurifices, in speciebus quibusdā licet multæ species esse videantur, tamen vna est quæ attingit complementum, & aliæ sunt differentes ab ea quibusdam ęgritudinibus, sicut patet de auro. Nam omne metallum purgatione materiæ in aurum dicunt transmutari. Sic etiam videmus de granis, quòd bonitate terræ purgatur siligo, & in triticū nobilitatur. Et ideo simpliciter & absolute panis triticeus est panis propter excellentiæ puritatem siue nobilitatem. Secūdo, granum tritici est ad panem cōmunissimum, quia competit sanis & infirmis, immo omni animali panē comedenti. Auibus, vt patet in columbis: bestiis, vt catulis magis competit panis triticeus, quia libentius eo vescuntur, & ideo panis triticeus vere est panis propter communis conuenientiæ nobilitatem. Tertio, granum tritici est ad carnem maxime nutritiuū, quia puritate naturali, & compatibilitate communi, & viscositate sui maxime membris adhæret

adhæret nutrimẽtum exinde sumptum, & quo ad hæc tria maxime nutrit & confortat: & sic panis triticeus est purus, & granum eius præcipuę nobilitatis propter communis cõuenientiæ nobilitatem. Et hac ratione congruum est, vt nobilissimum corpus quasi nobilissimus panis filiorum Dei detur filijs sub specie nobilissimi panis. Secũdo, dat corpus suum sub specie panis triticei propter fidelium discretã in eo significationem. Sicut enim triticum secundum triplicẽ statum habet cõsiderari, sic fidelium vniuersitas in tres status solet distingui. Tertium autem consideratur, secundum quod stat in agris, vel secundum quod grana separantur a paleis, vel secundum quod iam purgata locantur in granariis. Similiter inter fideles tres differentię sunt, incipientiũ, proficientium, perfectorum. Primi significantur per triticũ stans in agris: secundi, per grana quæ purgantur a paleis: tertii, per grana purgata quæ locantur in granariis. Primi, desiderant doctrinam prædicatorum: secundi, frequentem purgationem: tertii, æternam requiem beatorũ. De primo. Iob. 37. Frumentum desiderat nubes, & nubes spargũt lumen suum, quæ lustrant cuncta per circuitum. Greg. Electi sunt frumentum Dei cęlestibus horreis recondendi: frumẽtum nubes desiderat, quia electus quisque præsentiam sanctorum prædicatorum exoptat: lumen spargunt, quia prædicatores sancti exempla vitæ & bene agendo, & loquendo dilatant. Nubes autem cuncta per circuitum lustrant, quia prædicationis luce mundi fines illuminant. De secũdo, Iudicum 6. Cum Gedeon excuteret, & purgaret frumenta in torculari, vt fugerent Madiam, apparuit ei angelus Domini. Gedeon electum quemque significat, qui cum vmbra sanctæ crucis rectitudine iudicii, confessionis virga, quasi cor suum a vitiorum paleis sequestrat, consolatio eum diuina contra tentationes dæmonum confortat. Eccl. 2. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. De tertio. Iob. 5. Increpationem Domini ne reprobes, & ingredieris in abundantia. Sepulcrum, idest locum in regno Dei præparatum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo, idest, cætera multitudo beatorum. Luc. 3. Veniet fortior me post me, cuius

tus ventilabrum in manu sua, & congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili. Tertio, dat corpus suum sub specie panis triticei, propter corporis sui expressam similitudinem. Triticum enim potest considerari tribus aliis modis, scilicet vt iacens in aceruo, vt cadens in agro, ut in panis complemento. Penes primum modum, significat corpus Christi in Virgine conceptum: penes secundum, vt in mundo pro nobis passum: penes tertium, vt in cælo glorificatum. In primo mater Christi multum honorificatur, in secundo peccator liberatur, in tertio beatus delectatur. De primo Cant. 7. Venter tuus sicut aceruus tritici, venter est corpus beatæ Virginis. Luc. 11. Beatus venter qui te portauit: aceruus tritici, munda membra Christi, vt conseruata in vtero virginali: lilia, decor omnimodæ castitatis, quo ornantur membra & sensus beatæ Virginis. De secundo, Ioan. 12. Nisi granum frumenti &c. (vsque multum fructum affert.) Christus enim per mortem suam genus humanum de æterna morte liberauit. Ad Romanos 5. Commendat suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Ex hoc quòd Dominus dicit se granum frumenti, habet ecclesia quòd sub nulla specie alia cõsecrat corpus Christi. De tertio, Zacha. 9. Quid bonum eius, & quid pulchrum, nisi frumentum electorum? quia panis pulcherrimus, dulcissimus, & nobilissimus est corpus Christi in gloria beatorum. Hinc sciendum, quòd beati habebunt in eo triplex donum, omnium delitiarum præparationem, omnium desideriorum impletionem, omnium bonorum securam & æternam fruitionem. De primo, Genes. 49. Aser pinguis panis præbebit delitias regibus. Psal. 67. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Sap. 15. Paratum panem de cælo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Primæ Corinth 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit &c. De secundo. Psalm. 147. & 103. Lauda Hierusalem Dominum &c. &, Adipe frumenti satiat te. Item, Benedic anima mea Dominum. Hiere. 31. Inebriabo animam sacerdotis pinguedine, & populus meus bo-
 nis

nis meis adimplebitur. Sap. 16. Sapientiam tuam & dulcedinem quam in filios habes, oſtēdebas: & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur De tertio, Luc. 14. Beatus qui mãducat panem in regno Dei, ſcilicet propter omnium bonorum ſecuram ſine fine fruitionem. Iſa. 62. Iurauit Dominus in dextra ſua. Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis, & ſi biberint filii alieni vinum tuum in quo laboraſti, qui congregant illud comedent, & qui comportant illud, bibent in atriis ſanctis meis. Hic comedunt mali cum bonis, ibi erũt mali ſub æterno interdicto, & boni ſecuro & æterno Chriſti conuiuio. Pſal. 15. Adimplebis me lætitia.

CAP. XI.

De tribus mirabilibus quæ fiunt in conſecratione.

VENITE, comedite &c. Thema proprium. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. Vel aliquid ſimile de mirabilibus operibus Dei, vel ſignis. Tertium principaliter notandum circa dominici corporis ſacramētum, ſunt mirabilia diuinæ operationis tanquàm ſigna ſiue mirabilia diuinæ virtutis. Hæc mirabilia ſigna diuinæ operationis conſideranda ſunt in tribus In dominici corporis conſecratione: ſecundo, in eiuſdem poſſeſſione: tertio, in perceptione. Primo enim corpus conſecramus, ſecūdo poſſidemus, tertio, percipimus. Primo in conſecratione conſideranda ſunt & credenda tria mirabilia ſigna diuinæ operationis. Primum, quòd ibi ſub ſpecie panis eſt verum corpus Chriſti. Secundum, quòd tota ſubſtantia panis mutatur in corpus Chriſti. Tertium, quòd mutatur in corpus Chriſti tota ſubſtantia panis, ita tamen quòd manent accidentia panis. Primum eſt mirabile, ſcdm mirabilius, tertium mirabiliſſimum. De duobus primis hic poteſt dici, de tertio in ſequēti. Primum mirabile ſignum in conſecratione ſacramenti altaris eſt, ꝙ ibi ſub ſpecie panis eſt verū corpus Chriſti, qđ

de

de Virgine sumpsit. Et hoc probatur tribus modis. Primò, probatur testimonio fide dignorum: secundo testimonio signorum positiuorum: tertio, demonstratione miraculorum. Primo, probatur primum mirabile testimonio fide dignorũ, secundum quod lex dicit. Deutero. 19. In ore duorum, aut trium &c. Audiuntur ergo testes veraces, & idonei sufficientes. Augu. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, hoc est, Dei verbum institutum a Christo, profertur super panem, & mox fit sacrum secretum, scilicet corpus Saluatoris sub specie panis. Item August. Hoc est quod omnibus modis probare contendimus, sacramentum ecclesiæ duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili carne Christi & sanguine, sicut persona Christi constat ex Deo & homine. Ambro. Panem istum quem sumimus in mysterio, vtique intelligo, qui manu sancti spiritus formatus est in vtero Virginis, & igne passionis decoctus ĩ ara crucis. Panis enim angelorum factus est cibus hominum. Gre. Magnum atque pauendum est mysterium, quia aliud videtur, aliud intelligitur. Figura panis & vini videtur, & faciẽte Domino corpus & sanguis Christi intelligitur. Eusebi⁹. Vere vnica & perfecta Ecclesiæ hostia, fide æstimanda non spé, neq; exteriori cẽsenda visu, sed interiori ĩtellectu, vnde cælestis confirmat authoritas. Accipite, & comedite &c. Recedat ergo omne infidelitatis dubium, quia qui author muneris, ipse est testis veritatis. Secundo, probatur idem ratione signorum positiuorum: ratio autem eorum est rem ita esse vt signum. Est autem signum duplex, scilicet hominis, & Dei: hominis artificiale, Dei sacramentale. Signum positiuum hominis secundum impositionem hominis significat, & est duplex. Nam aliud non continet quod significat, vt circulus vini: aliud continet quod significat, vt pastillum quod significat carnes, & continet carnes intus absconditas. Similiter signum positiuum Dei, quod est in sacramentis secundum impositionem Dei, significat, & est etiam duplex. Nam aliud non continet quod significat, vt sacramenta legalia, quæ non efficiunt quod figurant, sicut agnus paschalis, & similia. Et aliud continet quod significat, vt sacramenta euangelica, sicut Eucharistia. Significat enim secundum

impo-

impositionem Dei rem sacram, scilicet corpus Christi, & continet illud. Vnde ait. Hoc est corpus meum. Signum mā sit foris, scilicet, species panis, & intus erat corpus Saluatoris. Ecclesiast. 3. Innoua signa, & immuta mirabilia, quasi diceret. Quia vetera signa non continebant gratiam quam figurabant, fac noua, quæ continent quod figurant. Augusti. Ideo dicuntur sacramenta quasi sacræ rei signa, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritualē. In specie enim panis & vini quam videmus, res inuisibiles carnem Christi & sanguinem honoramus. De hoc supra sermone. 9. circa medium. Tertio, probatur idem demonstratione miraculorū. Exo. 34. Signa faciā, quæ numquàm sunt visa super terrā, nec in vllis gētibus &c. Paschasius. Nemo qui sanctorum vitas & exempla legerit, ignorat quòd sæpe corporis Christi & sanguinis sacramenta aut propter dubios, aut certe propter ardentius amantes visibili specie in agni, vel pueri forma, aut in carnis & sanguinis colorem mō strata sint, vt quod latebat mysterio, patesceret in miraculo. Beato enim Basilio in die Paschæ mysteria celebranti Hebræus quidam se sicut christianus populo commiscuit, officii volens explorare mysterium: qui vidit infantem partiri in manibus Basilii, & communicantibus omnibus venit ipse, & data ei hostia vere caro est facta. Et seruans reliquias abiit in domum suam ostendens vxori suæ, narrans quæ propriis oculis viderat, credens ergo ait. Vere horribile, & admirabile est Christianorum sacramentum. In crastino venit ad Basilium, & baptizatus est cum omni domo sua. Idē, Quidam presbyter erat aegidius nomine, religiosus valde, qui cum sanctam duceret vitam, cœpit piis precibus pulsare Deum, vt sibi monstraret naturam corporis & sanguinis Domini. Venit ergo dies vt idē more solito diuina celebraret, & post Agnus Dei procumbens genibus, Creator, inquit, & redemptor omnipotens Deus pande mihi exiguo in hoc mysterio naturam corporis Christi, vt mihi liceat eum prospicere in forma pueri, quem olim sinus matris tulit vagientem. Et ecce angelus de cælo veniens affatur. Surge prōpere, si vis Christū videre. Adest præsens corporeo vestitus amictu,

amictu,quem sacra purpura gessit. At presbyter paruidus surgens vidit super aram] puerum sedentem, Cui angelus. Quia Christum uidere placuit,quem sub specie panis uerbis sacrasti mysticis,nunc oculis inspice,& tracta manibus. Tunc cęlesti lumine sacerdos fretus(quod mirum dictu est) in ulnis trementibus puerum accepit, & pectus proprium pectori Christi adiunxit, deinde perfusus in amplexus dat dulcia Deo oscula,& suis labiis p̄ssit pia labia Christi. Quibus ita peractis restituit puerum in altari, & rursus humi prostratus deprecatur Dominum, vt dignetur ipse verti in speciem pristinam. Et surgens inuenit corpus Christi remeasse in formam priorem, & sic sub specie debita communicauit eidem. Secundum miraculum in consecratione sacramenti altaris est, quòd substantia panis mutatur in corpus Christi,quod sumpsit de Virgine, & hoc fit potestate uerbi Dei:quod probatur tribus modis fieri posse,a potestate simili,a minori,a maiori. Primo a potestate simili, quia verbum Dei substantiam vnam in aliam commutauit. Hinc legitur Ioan. 2. quòd Dominus ad nuptias aquam in vinum commutauit. sicut ergo potuit ibi, potest & hic. In similibus enim simile est iudicium:vbi similis præcipit virtus, similis obedit effectus Secundo,probatur a minori,eo quòd res quæ minus possunt quàm verbum Dei, vnam substantiam mutant in alteram. Vnde sciendum, quòd prouidentia Dei mutationes rerum tribus modis fieri voluit, præter quas verbo Dei facit,arte natura, gratia. Ars enim hominis una n substantiam mutat in aliam, vt patet in uitrifice, qui uilem cinerem mutat in præclarū & nobile vitrum. Ergo multo magis virtus verbi Dei potest panem in corpus eius, & vinum in sanguinem commutare. Ecclesiast. 8. Sermo Dei potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest, quare ita facis? Eusebius. Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate facit, & commutat. Item, natura vnam substantiam mutat in aliam, sicut in vite aqua mutatur in uinum, & opera apum succus florum per secreta naturæ mutatur in fauum. Similiter in nobisipsis panem, quem manducamus quotidie, per natu-
ram

rã mutatur in carné.ergo multo magis virtus verbi Dei mutare poteſt panem in ſubſtantiam corporis ſui. Item: gratia hominis mutat unam ſubſtantiam in alteram. Hinc Moyſes per gratiam ſpecialem mutauit virgam in ſerpentem,& aquam in ſanguinem. ergo multo magis virtus verbi Dei poteſt mutare panem in corpus ſuum, & vinum in ſanguinem.Ambro.Virgam renuit Moyſes, & proiecit in terram, & facta eſt ſerpens, & ſic vides prophetica gratia mutat im eſſe naturam,& maioris eſſe potentiæ gratiam,quàm naturam.Quòd ſi tantum valuit benedictio humana vt naturã conuerteret,quid dicemus de ipſa conſecratione diuina,vbi ipſa verba Saluatoris operantur? Si ergo quæris, quomodo poteſt quod panis eſt fieri corpus Chriſti.Reſpondeo,conſecratione, quæ fit Chriſti ſermone. Tertio probatur idem a maiori,quia verbum Dei multo facit maiora, & facere poteſt, quàm quòd panem in corpus Chriſti mutet. Vnde in principio erat Verbum (vſq; omnia per ipſum facta ſunt.) Ambro.De totius mundi operibus legitur,quòd ipſe dixit, & facta ſunt &c. Sermo ergo qui poteſt facere ex nihilo quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt mutare in id quod nõ erat? Non.n.minus eſt dare rebus nouas quàm mutare naturas, & ſic quod erat panis ante conſecrationem, iam corpus Chriſti factum eſt poſt conſecrationem,quia ſermo mutat creaturam.Cum itaque irrationalis creatura & inanimata,ſcilicet panis,mutatur in melius,ſcilicet in corpus Chriſti virtute verbi Dei,mirum quòd peccator homo nec multis verbis, nec beneficiis nec comminationeq;, nec promiſsione conuerti poteſt de mala vita in bonam.

CAP. XII.

De tertio mirabili quod fit in conſecratione.

VENITE, comedite &c. Thema proprium.Mirabilia opera tua &c. Tertium mirabile, imo mirabiliſsimum ſignum in conſecratione ſacramenti altaris eſt, quòd mutatur in corpus Chriſti tota ſubſtantia panis,ſic tamen quòd manent panis accidẽtia, idest,

idest color, sapor, & huiusmodi. Christi corpus, circunstantia & nostris sensibus obiecta. Quòd enim in consecratione mutatur panis in corpus Christi, iam probatum est, & quòd manent humanis sensibus accidentia, patet. Talis mutatio est supernaturalis, & dicitur proprie conuersio, siue transubstantiatio, quia similis ei per omnia non inuenitur in natura. Quòd tamen ita fieri possit in hoc sacramento, triplici potest ostẽdi similitudine. Prima similitudo quòd substantia panis possit mutari, ita quòd accidentia maneãt, sumitur de gratia prophetali. Hinc est quòd. 4. Regum. 2. Helisæus misit sal in aquas amaras, & conuersę sunt in dulces: in qua conuersione quatuor consideranda sunt, scilicet continens & contentum, operans & operatum. Continens est illa species, siue claritas exterior, cõtentum amaritudo interior, quæ transit atque mutatur in quartum, scilicet operatum, idest in dulcedinem, & hoc per tertium, scilicet operans, idest per gratiam prophetalem. Sic est quodammodo in mutatione panis in corpus Christi. Primum, scilicet continens, idest species panis exterior manet. Secũdum, scilicet contentum, idest substantia panis mutatur in quartum, scilicet in corpus Christi, & hoc per tertium, scilicet operans, idest per verbum Dei. Secunda similitudo eiusdem sumitur a conuersione spirituali, de qua. 1. Regum 10. dicit Samuel ad Saul, qui significat peccatorem. Insiliet in te spiritus Domini, & mutaberis in virum alium, in qua conuersione, siue mutatione quatuor iam supradicta consideranda sunt, scilicet continens & cõtentum, operans & operatum. In statu enim peccati noster homo exterior pulcher & sanus: sed homo interior amaritudine & peccati veneno plenus est & ægrotus. Hic dum per spiritum Dei conuertitur, specie corporis manente exterior amaritudo, & langor peccati interior in dulcedinem & sanitatem gratiæ commutatur. Primum, scilicet species corporis exterior manet: secundum, scilicet amaritudo peccati interior transit in quartũ, scilicet dulcedinem gratiæ, & hoc per tertium, scilicet per spiritum Dei, & sic fit, vt dictum est, in consecratione corporis Christi. Eugenius ad quendam conuersum. Quanta, & quàm celebranda beneficia vis diuinæ bonitatis operatur,

& quòd non tibi nouum & impoſſibile eſſe debeat, quòd in Chriſti ſubſtantiam terrena cõuertuntur, teipſum interroga. qui præterita vilitate depoſita ſubito nouam indutus es bonitatem, in exteriori nihil additum, totum eſt in interiori mutatum. Tertia ſimilitudo eiuſdem ſumitur de mutatione naturali. Videmus enim quòd oua ponuntur ſub aue, vt ſub gallina, vel ſub columba, & per naturam mutantur in carnem, imo in nauiculam viuam. In hac mutatione ſimiliter illa quatuor, quæ iam dicta ſunt, poſſunt inueniri. Ibi enim eſt continens. ſ. teſta, quaſi ſpecies oui exterior, & contentum ſ. vitellum quaſi ſubſtantia oui interior, & operans. ſ. natura, & operatum. ſ. caro pulli. Primum ſ. teſta ſpecies exterior manet, ſecundum, vitellum, ſiue ſubſtantia interior tranſit & mutatur in quartum. ſ. in corpus pulli viui, & hoc per tertium. ſ. operantem naturam. Et mira ſimilitudo, quia diebus aliquibus integra exterius videtur, quaſi adhuc ſit ouum, quòd non eſt ouum, ſed viui pulli integrũ corpus teſta velatum. Sicut ergo in hac re columba per naturam, ſic in ſacramento altaris ſpiritus. ſ. per ſuam omnipotentem virtutem. Si ergo ſub aue ponis vnum, vel duo, vel plura oua, vertit ea per naturam interius in carne teſta manente exterius, quanto magis vnam hoſtiam panis, vel plures in altari manente ſpecie panis exterius, Spiritusſanctus eas repente interius in corpus Chriſti ſua virtute conuertit? Nota verſus de corpore Chriſti, de hoc quòd dicit de ſubſtantia panis, non quòd ſit materia corporis Chriſti, ſed quòd panis conuertitur in corpus Chriſti. Corpus de pane, corpus de Virgine natum. Primum conuerſum, ſed materiale ſecundum. Hic moraliter notandum eſt, cum irrationalis creatura. ſ. panis, per verbum Dei & ſpiritus eius in melius conuertitur, quanta ſit peccatoris duritia, qui multis verbis, & Spiritusſancti operationibus ad conuerſionem non perducitur? Hieremiæ 5 Indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti. Hæc induratio finalis impœnitentia eſt, cuius triplex eſt cauſa. Prima, longa conſuetudo peccandi, ſecunda, incredulitas de iuſtitia Dei, tertia, ſeductio inimici. De primo Sapientiæ 14. Inualeſcente iniqua conſuetudine error tanquàm lex cuſtoditus eſt Hieremiæ

miæ 13. Si potest æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos potestis bene agere cum didiceritis malum. glo. Consuetudo peccandi quodammodo in naturam transit. Sed quòd hominibus impossibile est, Deo possibile est, vt non æthiops, vel pardus, longæui. s. peccatores suam naturam per se mutare videantur, sed Deus qui in illis operatur. Augu. Vocabas me Domine, & suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea propria uoluntate. Velle. n. meum tenebat inimicus, & inde catenam fecerat & cōstrinxerat me, quippe ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. De secundo, Sopho. 1. Visitabo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis, non faciet bene Dominus, & non faciet male. Glosa. Tollunt Domini prouidentiam putantes quòd nec bonis bona, nec malis mala possit reddere, sed omnia casu regantur. psal. 13. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, iustus iudex qui iudicat peccata. Vnde sequitur. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. De tertio Osee. 5. Non dabunt cogitationes suas vt reuertantur ad Dominum, quia spiritus fornicationis in medio eorum, & Dominum non cognouerunt. Quasi diceret, quia spiritus malignus obsedit eos, & excæcat vt Dominum non agnoscant, & promissionibus falsis seducit, ideo conuerti non possunt. Ecclesiastici 29. Repromissio nequissima plurimos perdit. Gen. 34. Egressa Dina, vt videret mulieres regionis illius. Et vidit eā Sichen princeps terræ. i. diabolus, adamauit, rapuit, dormiuit cum ea, & conglutinata est anima eius cum ea, tristemque blanditiis deliniuit, quia mundi prospera, peccata leuia, longam vitam false promittit. Tertii Regum 22. Dicit Michæas. Egressus spiritus ait, ego decipiam Achab. Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius, qui dicebant regi. Ascende in Ramaoth Galaad, & vade prospere, & tradet Dominus inimicos tuos in manus tuas, & in hoc est deceptus. Ingressus enim prelium, quidam percussit eum casu sagitta inter pulmonem & stomachū, & grauiter vulneratus mortuus est vesperi.

CAP. XIII.

De tribus mirabilibus, quæ considerantur in corporis possessione.

VEnite, comedite. Mirabilia opera tua &c. Hic dicendũ est de tribus mirabilibus, quæ fiunt virtute & perfectione consecrationis, & attenduntur in eiusdem possessione, & post consecrationem adhuc nobiscum habemus. Primum mirabile signum, quòd in possessione Dominici corporis magna res, scilicet, corpus Domini continetur sub tã parua specie panis, cuius assignatur triplex ratio. Prima ratio est demonstratio magnitudinis sapientiæ artificis tantæ rei, scilicet Spiritussancti. Videmus enim quòd artifices quanto sunt in arte sculpendi peritiores, tanto sculpũt imagines subtiliores. Vnde si artificibus ostenditur gemmę, vel metalli materia valde parua, & rogetur in ea imago fieri subtilissima, minus subtilis artifex respondebit quòd eam facere non possit, quod maxime subtilis in arte facile facit. Sic ad demonstrandam sapientiam Spiritussancti, sub minima specie sacramenti facile esse facit totum corpus Christi. Hinc Sapien. 6. Spiritussanctus dicitur esse subtilis. Non enim potest ei tam subtilem partem panis proponere in altari, quin sciat & possit eam in verum corpus Christi conuertere. Dama. Quomodo fiet hoc, ait Virgo, quoniam virum non cognosco. Respondit. Spiritussanctus superueniet in te &c. & tu quæris quomodo panis fiat corpus Christi? Et ego dico tibi, Spiritussanctus superueniet, & ipse faciet hæc quæ super naturam sunt, & super intelligentiam. Secunda ratio ad idem est similitudo potentiæ Christi cũ potentia Dei. Quicquid enim potest Dei filius per naturam, hoc potest filius hominis propter personæ vnitatem. Mat. vltimo. Data est mihi omnis potestas &c. Ambrosius super illud. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Non ideo erit magnus, quòd ante partum Virginis magnus non fuerit, sed quia potentiam, quam Dei filius ante tẽpora naturaliter habuit, hic erit ex tempore accepturus, quia sicut in vnam personam, ita in vnam potentiam cõueniunt Dei

filius

filius & hoīs: sed Dei filius verbū patris illā habuit potentiā, ꝙ minima parte corporis opere Spiritusſancti de virtute separata se vestiuit, & illi se inclusit, ſm illud. Verbū caro factū est. ergo similē potestatē dedit hoī Christo. s. vt posſit facere corpus suum esse sub minima panis specie, psalm. 98. Dominus in Sion magnus. Sion interpretatur speculū, vt dicit Papias, & August Et dubium non est, quòd magna imago tam expresse, tam integre apparet in paruo speculo, sicut in magno. Magnus ergo Dominus in Sion. i. in speculo esse dicitur, quia verum corpus Christi tam integraliter esse sub parua specie panis, sicut sub magna recte creditur. Tertia ratio ad idem, est sufficiens causa ad finem sacramēti. Finis sacramenti est animam fidelem spiritualiter cibare, & contra malum & ad bonum confortare. Causa huius efficiens est corpus Christi, & id potest tam plene esse sub specie panis parua, sicut sub magna, quia sub vtraq; æqualiter vnitum est Deo, ex quo fluit omnis virtus in sacramēto. Quantacumque enim parua sit species illa panis, ibi est totum corpus Christi per conuersionem, sanguis per connexionem, anima per coniunctionem, & diuinitas integra per vnionem: vnde certum est quòd habet plenam rationem cibandi spiritualiter, & confortandi animam. Exod. 16. Qui minus collegerat, non reperit minus de manna quàm qui plus collegerat. Hilarius. Vbi pars corporis, idest, minima pars sacramenti, ibi est & totum corpus. Eadem enim ratio est in corpore Domini, quæ in manna, quod in eius figura præcessit, de quo dicitur. Qui plus collegit, non habet amplius: neq; qui minus parauerat, habuit minus. Non enim æstimanda est quantitas in hoc visibilis, sed virtus spiritualis: vnde qui multum, vel magnum panem consecrat, nō habet amplius quàm verum corpus Christi ad salutem suam. Secundum signum mirabile est, ꝙ unum & idem corpus est in pluribus locis, in pluribus hostiis, in pluribus portionibus: & hoc probatur tribus modis. Primo, per prophetā Malach 1. ad Iudæos. Non est mihi volūtas in vobis: ait Dn̄s, & munus nō suscipiam de manu vestra. Ab ortu. n. solis vsque ad occasum magnum nomen meum in gentibus, & in omni loco sanctificatur, & offertur nomini meo oblatio mū-

da. Ecce loca plurima exprimit, & vnam oblationem mundam fidelium dicit. Exod. 20. In omni loco, in quo fuerit memoria nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi. Memoria nominis Domini sacrificium est altaris, scilicet corpus Christi, quod fieri iussit in commemorationem eius, hoc fit in multis locis, & in hoc uenit unus Dominus ad benedicendum nobis. Secundo, probatur hoc per manifestam rationem, quæ est quòd filius hominis participat potentiam filii Dei propter personæ unitatem. Ambrosius. Sicut in unam personam, ita in unam potentiam conueniũt Dei & hominis filius. Vnde sicut Dei filius est essentialiter in omnibus rebus: ita dedit filio hominis ut corpus eius sacramentaliter esse possit in pluribus locis. Aug. Intelligendum est corpus Christi esse in vno loco, idest, in cælo, vbi ascendit ad dextram patris, idest, uisibiliter in forma humana. Veritas tamen eius. i. diuinitas, ubique est. Veritas etiã eius, idest, uerum corpus in omni altari sacramentaliter est ubi celebratur. Innocentius tertius. Disposuit cælestis altitudo consilii, sicut tres personæ sunt in vnitate essentiæ, scilicet pater, & filius, & spiritussanctus, ita tres essent substãtiæ in vnitate personæ, scilicet diuinitas Christi, corpus, & anima. Cum ergo Christus secundum naturam diuinam tribus modis existeret in rebus, scilicet in omnibus per essentiam, in solis iustis per gratiam, in homine assumpto per vnionem, voluit vt idem ipse secundum humanam naturã etiã tribus modis existeret. In cælo localiter, in verbo personaliter, in altari sacramentaliter. Vnde sicut secũdum diuinitatem essentialiter est in omnibus rebus, ita secundum humanitatẽ sacramentaliter totus est in pluribus locis. Tertio, probatur idem per visibilem similitudinem, quæ cunctis in speculo declaratur. Nam si faciei tuæ plura proponas specula in omnibus æqualiter & integraliter vna apparebit facies, & si vnum speculum in plura frusta etiam parua cõfringas, perfecta tua facies in singulis erit. Et licet speculum infringatur in plura, facies tua tamen manet in omnibus vna, nec mutatur. Sic est reuera in sacramento Christi, qui speculum dicitur, & imago bonitatis illius. Si ergo speculũ. i. forma panis in partes plures diuidatur, in singu-

lis erit

lis erit vnita Deo.i.verũ corpus Christi.Hieron. Singuli fidelium accipiunt Christum totum,& in singulis portionibus totus est,nec per singulos minuitur,sed integrũ se præbet in singulis.Tertium mirabile est, quòd corpus Domini licet sit in pluribus locis,vel hostiis,aut portionibus,tamẽ per partes non est diuisum,sed manet in se integrũ & cõiũctum.Primæ Corint.1. Diuisus est Christus?quasi diceret, non est diuisus,quia licet sit in cælo localiter,in corde iusti spiritualiter,in multis locis sacramentaliter, tamen manet in se coniunctus:& est huius mirabilis rei ratio, ineffabilis vnio hominis & Dei,carnis & verbi Vnde sicut verbũ Dei vbique est,& totum replet cælũ & mundũ manens indiuisum, sic dedit corpori quod assumpsit de Virgine, & dedit Apostolis.Diuinitas enim quæ vbique est, replet illud, & coniungit,& facit vt sicut ipsa vna est,ita veritas corporis Christi vnum corpus sit in veritate.Aug. Quando manducamus Christum,partes de illo non facimus; sed in sacraméto fit hoc vnusquisq; qđ accipit.Accipit vnusquisq; partem suam in sacramento, & manet totus integer in seipso. Manet integer totus in cælo, manet integer totus in corde tuo. Totus enim erat apud patrem quando venit in Virginem,impleuit illam,non recessit ab illo. Venit in carnem, vt eum homines manducarent, & manebat integer apud patrem,vt angelos pasceret. Rogandus est ergo Dominus, licet simus corporaliter ab inuicem diuisi, vt simus semper spiritualiter ĩ charitate cõiuncti,& digne nos pascat in præsenti suo sacramento, & plena cum angelis sui visione in futuro.Amen.

CAP. XIIII.

De tribus mirabilibus in corporis Christi perceptione.

VEnite,comedite &c.Mirabilia opera tua &c.Hic est dicendũ de tribus vltimis cõsiderandis in corporis Christi perceptione.Primũ mirabile est, ꝙ corpus Domini dum manducatur,non minuitur:& hoc est contra hæreticos qui dicunt,si corpus Domini oĩ monte maius esset,iã diu clerici illud consumpsissent.Huius tam miræ rei,scilicet, incon

ſumptibilitatis corporis Chriſti in manducatione triplex eſt ratio. Prima ratio eſt quotidiana poteſtas conſecrandi: nam quia omnibus diebus, & omnibus fideliũ locis, & ſub tot hoſtiis quot ſufficiunt fidelibus, verum & vnicum corpus Chriſti ex præcepto eius conſecrare poſſumus, idcirco dum illud manducamus conſumere, vel minuere non valemus. Sicut enim in nobis cauſa ſalutis æternæ ſemper manet affectus illud manducãdi, ſic & poteſtas, & effectus cõſecrandi, & cum iam conſecratum mãducamus, nequaquã illud minuimus: quia quòd ſemper in ſe veraciter integrũ perſeuerat, ne ſacramentaliter in Eccleſia poſsit deficere, ſemper conſecrando in forma panis, quaſi ſacramentum nutriendo & renouando conſeruamus: quod pulchre figuratum eſt in panibus propoſitionis. Exod. 25. Pone ſuper menſam meam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper. Et quomodo dicitur Leuit. 24. Accipies panes duodecim, & ſtatues eos ſuper menſam meam, vt ſint panes in monimentum oblationis Domini, per ſingula ſabbatha mutabũtur fœdere ſempiterno. Similiter de igne dicitur. Leuit. 6. Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubiiciẽs ligna mane per ſingulos dies. Ignis iſte numquàm deficiet in altari, ſed menſa illa Iudæorum cum panibus, & ignis cum altari deficit. Quid ergo? mentitus eſt Deus? Abſit, ſed vmbra deficit in ſynagoga, veritas manet, nec deficit in Eccleſia. Sacerdos enim noſter ſemper ſacramentum altaris conſecrando nutrit, & corpus Chriſti, quod in illo ſemper idem eſt, numquàm manducatione fidelium deficit. Secũda ratio eſt incorruptibilitas vera corporis huius, quod ſurrexerit glorificatum, immortale, immutabile, & impaſsibile, nec poteſt corrumpi pſal. 15. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Vnde cum illud manducamus, non ſicut alius cibus corrumpitur, nec mutatur in corpus noſtrum, ſed influit nobis ſine corruptione ſui ſpirituale nutrimentum. Hoc figuratur. 3. Regum. 17. Vbi pugillus farinæ non deficit in domo viduæ per multos dies cibans familiam totam, iuxta verbum Eliæ. Auguſt. Qui manducat me, dicit Dominus, viuet propter me. Quando enim manducatur hic panis vita manducatur, nec occiditur

riditur quando manducatur: non occidit, sed mortuos viuificat. Viuit manducatus, quia surrexit occisus. Hinc etiã lapidi pretioso comparatur, de quo virtus exit, vt phantasmata fugandi, vel inflationes sedandi, vel alia sine diminutione sui. Deut. 32. Constituit hominem vt surgeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Petra autem erat Christus. 1. Corinth. 10. Sicut ergo gemma virtutem suam effundendo non minuitur, sic corpus Domini nos pascendo non minoratur. Tertia ratio ad idem, infinita causa pascendi: qui enim ad eum accedere possunt, pastum sufficienter inueniunt, hinc fons, & lux vera, dicitur. De primo Genes. 2. Fons ascendebat a terra, idest, Christus. Dicit gloss. Irrigans vniuersam superficiem terræ, idest, inspirans cordi vtilia & honesta. Hiere. 2. Derelinquerunt me fontem aquæ viuæ. De secundo, Ioan. 1. Erat lux vera &c. Sicut ergo fons terram rigat, & sine sui diminutione herbas innumeras & arbores nutrit, sic Christus Ecclesiam pascit. Item, sicut sol non deficit toti mundo lumen suum communicãdo, sic nec Christus Ecclesiam totam pascendo. Item, exemplum de candela, in qua millesies tantus ignis sumi potest, quantus in ea est, nec propter hoc minuitur lumen eius. Igitur multo potius Dominus nos seipso pascit, nec tamẽ deficit. psal. 144. Oculi omnium in te sperant Domine Idem. psal. 101. Tu autem ipse es &c. Secundum mirabile signum in perceptione corporis Domini est, quòd si non manducatur, quodam modo minuitur. Ad intelligentia tam miræ rei sciendum, quòd duo sunt corpora mystica in hoc mũdo, scilicet corpus mysticum Christi, & corpus mysticum diaboli, siue Antichristi, ad quorum alterum pertinent omnes homines mundi. Corpus mysticum Christi sancti est Ecclesia tã quam ipsius munda & fidelis sponsa, cuius ipse caput est, & singulæ personæ fideliũ sine culpa criminali sunt ipsius membra: & omnes qui corpus eius digne sumunt, ipsius mẽbra fiunt. Primæ ad Corinth. 12. Vos estis corpus Christi, & membra de membro. Sicut enim corpus vnum est, & multa habet membra, sic & Christus. Item. 1. Corinth 10. Vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus Corpus diaboli vniuersitas est iniquorum tamquàm illius

nutrix

nutrix adultera, cuius ipse caput est, & singulæ personæ malorum eius membra. Iob. 41. Corpus eius scuta fusilia compactum squammis se prementibus. Grego. Corpus diaboli sunt omnes iniqui, qui quia per obstinationem duri sunt, & per vitam fragiles, scutis fusilibus comparantur. Sciendum, quòd sicut Christus per se, & per suos semper studet membra diaboli præscindere, & suis membris incorporare, secundum illud Act. 10. Surge Petre, occide & manduca: sic diabolus per se & per suos conatur membra Christi tollere, & membris suæ meretricis vilibus vnire. Primæ Pet. 5. Sobrii estote, & vigilate &c. Deut. 31. Populus iste fornicabitur post deos alienos, & derelinquet me. Prima ad Corinth. 6. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? quasi diceret. Absit, vt faciam tantum nefas. Quod tamen, heu, multi faciunt. Aug. Non possunt simul esse membra Christi, & membra meretricis. Nec dicendi sunt manducare corpus Christi, scilicet spiritualiter, & si manducant sacramentaliter. Sed non manducando spiritualiter corpus Christi, & male viuendo, tollunt Christi membra, & faciūt ea membra diaboli, & sic diminuunt, quantum in se est, corpus Christi. Quod enim diabolo in animabus accrescit, Christo decrescit. Et sic corpus Christi mysticum diminuitur. Tertium mirabile signum in perceptione Dominici corporis est, quòd dum manducatur a fidelibus, tunc augmentatur. Hoc probatur dupliciter, ratione, & similitudine. Primo, probatur ea ratione, quòd dū manducatur corpus Christi non ipsum vt alius cibus in manducantem conuertitur, sed econuerso vere manducās in illud spiritualiter conuertitur, & mutatur. Nam manducantem se Dominus sui corporis mystici membrum facit, & sibi eum incorporans cum suo corpore, quod de virgine sumpsit, quodammodo vnum efficit. Primæ ad Corin. 12. Vnū corpus multi sumus, qui de vno pane participamus. Idem 1. Corint. 12. Vos estis corpus Christi, & membra de membro. Aug. Commendauit Christus in hoc sacramento corpus & sanguinem suum, quod & fecit nosipsos, ram & & nosipsi sumus facti corpus eius. Caro. n. nostra carni eius vnita

vnita & incorporata vnum cum illo efficitur. Oseę vlt. Conuertētur sedētes in vmbra eius, viuēt tritico, quasi diceret, fideles viuent tritico, idest, Dominici corporis sacramēto. Quod sacramentum dicitur vmbra Christi, quia dat se ibi non in sua luce, sed in velamine, quod sic comedentes cōuertentur, quia in corpus Christi mutabuntur. Et sic patet dum multi fidelium comedunt corpus Christi, & in illud ipsi mutātur, & membra eius efficiūtur, quòd corpus Christi dum māducatur, augmentatur. Secundo, probatur idem similitudine humanæ scientiæ: nam quanto magis homo scientiam suam aliis distribuit, tāto plus crescit Matth. 25. Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque &c. Boetius. Scientia est nobilis animi possessio, quæ auarum dedignatur possessorem. Nisi enim publicetur, elabitur, & distributa suscipit incrementum. Similiter diuina sapiētia incarnata multis in cibum donata sapientes facit, & in se quodammodo conuertit, & sic dum comeditur, non minuitur, sed augmentatur Ecclesiast. 1. Creator omnium creauit sapientiam spiritu, scilicet, incarnari fecit, & secundum datum suum præbet illam diligentibus se. Et in hoc sapientia Dei crescit, dum multos in sapiētia crescere facit. Ad Ephe. 4. Crescamus in illo per omnia, qui est caput nostrum Christus, ex quo totum corpus compactum, scilicet, per fidem, & connexum per charitatem, in mēsuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

CAP. XV.

De qualitate nostræ præparationis ad sacramentum.

VENITE, comedite &c. Thema speciale. Probet autē seipsum homo &c. 1. Corint. 11. Probet, idest, præparet se, examinet, purget. Item, aliud thema. Pręparate corda vestra Domino. 1. Regum. 7. Quartum principaliter circa sacramentum Dominici corporis notandum, est qualitas nostræ præparationis. Nam valde iustum est, vt ad tam dignum & venerandum cibum, scilicet, ad ipsum Dominum omniū non incurate & indeuote, sed aliquo competēti modo præparati accedamus. Exod. 19. Sacerdotes qui accedūt ad Do-

ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos, similiter & alii. Præparatio nostra considerari potest in tribus. In dignitate ipsius corporis sacri. Nam quia mundissimum, & Deo viuo plenum & vnitum, necesse est illud suscipienti per tria præparari, scilicet, per fidei plenitudinem, Ad Heb. 10. Accedamus cũ vero corde in fidei plenitudine, cũ vero corde, idest, cum vero intellectu sine errore. In plenitudine fidei, idest, in plena fide credentes quæ non videmus, scilicet, sub specie panis esse totum Christum, verum hominem, & verum Deum. Propter huius fidei magnum meritum, dicitur 1. Petri 1. Credentes in Christum quem non videtis, exaltabitis lætitia inenarrabili. Secundum præparatiuum est munditiæ magnitudo, quia congruum est vt vas suscepturum corpus mundissimum, sit mundum. Exod. 21. Sume vas vnum, & mitte manum ibi. Vas vnum quasi singulariter & excellenter mundum. Hinc apostolus. Heb. 9. Vas istud dicit esse vrnam auream. Decet enim cor quasi aurum esse purissimum per magnam munditiam, quod capere debet cælestem panem. Alexander Papa. Nihil in sacrificiis maius esse potest quàm corpus & sanguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est, sed omnes præcellit, quæ pura conscientia offerenda est, & pura mente sumenda. Hugo. Pura conscientia est quando non habet de præterito iustam accusationem, de præsenti iniustam delectationem, sed de futuro iustam voluntatem. Matth. 27. Ioseph petiit a Pilato corpus Iesu. Et accepto corpore, inuoluit in sindone munda. Glos. Sindone munda inuoluit Iesum, qui pura mente eum suscipit. Hinc etiam mos Ecclesiæ habet, vt sacramentum altaris non serico, non panno tincto, sed puro linteo celebretur. In tribus vero quæ perducunt corporale lineum ad candorem, intelliguntur tria, quæ faciunt ad nostram mundificationem. Primo enim lauatur, secũdo torquetur, tertio exiccatur. Si quis ad suscipiendum Dominum bene mundus vult fieri, primo debet per aquam lacrymarum mundari: secundo, per opera pœnitentiæ torqueri: tertio, per feruorem amoris Dei a carnalium desideriorum humore siccari. De primo ad Heb. 10. Accedamus aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, idest, mun-

dati

dati lacrymis a peccatis cordis & corporis. Exod. 30. Lauabunt Aaron & filii eius manus & pedes, idest, opera & cogitationes, aqua compunctionis, & confessionis, quando accessuri sunt ad altare ne moriantur. Hiere. 4. Laua a malitia cor tuum Hierusalem, vt salua fias, vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? psalm. 31. Lauabo per singulas noctes, idest, pro singulis peccatis lectum meum, inest conscientiam &c. De secundo, Exod. 26. Cortinas tabernaculi, idest ornatus animæ facies de bysso retorta, idest de operibus pænitentiæ, ieiuniis, orationibus, afflictionibus, & huiusmodi. Primæ ad Corin. 9. Castigo corpus meum &c. Ecclesiastici 33. Seruo maliuolo, idest, corpori, tortura & cō pedes, mitte illum in operationem ne vacet. ps. 33. Multæ tribulationes iustorum. De tertio, ps. 18. In sole posuit tabernaculum suum. s. ad siccandum per amorem diuinū, vt fiat valde mundum & pulchrum. Canticorum 4. Tota pulchra es amica mea &c. quia. s. bene lota, torta, & exiccata. Numeri 9. Sanctificamini, cras comedetis carnes. Tertium præparatiuum est orationis deuotio. ps. 104. Petierunt, & venit coturnix, & pane cæli saturauit eos. Iob. 3. Antequàm comedam, suspiro. Hinc Maria Magdalena, & aliæ deuotæ portabant aromata, dum quærebant corpus Domini, Lucæ 24. Sic nobis accessuris ad corpus Domini prælibanda est orationis deuotio, vt quòd forte minus parati sumus per ieiuniū, & cōfessiones, suppleat spiritualiū aromatū. i. orationū oblatio. Secundi Paralip. 30. Magna pars populi quæ sanctificata nō fuerat, comederat Phase, & orauit pro eis rex Ezechias dicens. Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum, & non imputabit eis quòd minus sanctificati sunt. August. Quàmuis quis peccato mordeatur veniali, peccandi tamen de cætero non habeàt volūtatem, satisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domini miseratione accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Secundus modus nostræ præparationis cōsideratur in hostia panis. Sicut enim grana frumēti arte humana gradatim proficiunt ad panis complementum, sic anima peccatrix gratia Dei proficit ad bonum statum; in quo licenter suscipit corpus Dominicum: grana ex quibus fit hostia,

ftia,fignāt ftatum peccatoris propter tria. Sunt enim duræ & furfure operta,& ab inuicem diftincta,fic peccator durus eft in corde,qui non vult conuerti ad dulcem Deum de fua iniquitate. Hiere.5. Indurauerunt facies fuas fupra petram, & noluerunt conuerti. Item, peccator opertus eft quafi furfure peccati deformitate. Hiere.2. Quàm uilis facta es nimis iterans vias tuas. Item, peccator diuifus eft a proximo fuo charitatis priuatione. Ofee.10. Diuifum eft cor eorum, nūc interierunt: fed grana ad ftatum in quo funt in hoftia per hunc modum funt deducta. Primo, contrita eft eorum duricies per molam, & in minimas partes redacta: fecundo a furfure funt mundata: tertio, commifta eft farina adinuicem per aquam,& per ignem decocta, & in panem folidata: fic peccator qui dignus erit fumere corpus Domini, debet fe per tria quæ in his fignantur præparare, per cordis contritionem,per oris confeffionem,per proximi dilectionem. De primo, Ifa.47. Tolle molam,mole farinam,quafi diceret, fac in te molam fpiritualem de duobus molaribus cōfiderando mifericordiam Dei, & iuftitiam ad emolliendam cordis tui duritiam: mifericordiam quafi fuperiorem lapidē qui nunc operatur & circuit, fed poft hanc vitam operari ceffabit. pfal. 85. Mifericordia tua magna eft fuper me &c. Item, confiderando iuftitiam quafi inferiorem lapidem, qui nunc iacet & quiefcit, fed poft hanc vitam eleuatur, operatur & circuit. Ofee.8. Iudicabo te iuxta vias tua, nō parcet oculus meus,& non miferabor. Matth.21. Super quem ceciderit lapis ifte, conteret eum. Roma.11. Vide Dei bonitatem,& feueritatem. Iob.5. Deus emolliuit cor meum,& omnipotens conturbauit me. Deus cui proprium eft mifereri. omnipotēs quem oportet iufte iudicare pfal.50. Sacrificium Deo fpiritus contribulatus. De fecundo. Amos nono. Ecce ego mundabo,& concutiam domum Ifrael, ficut concutitur triticum in cribro, vbi fcilicet furfures feparantur a nucleo, impurum a puro, fic per confefsionem mundatur anima a vili peccato. pfalm. 95. Confefsio & pulchritudo &c. primi Mach.3. Dixit Iudas & fratres eius, ideft, confitentes. Ecce contriti funt inimici noftri, afcendamus nunc mundare facramenta noftra. Ecclefiaft.2. Qui timent. Dominum,

præpara-

præparabunt corda sua, & in conspectu eius sanctificabunt animas suas. Glosa. Felix anima quæ quotidie mundat cor suum, vt suscipiat habitatorem Deum, cuius possessor nullius eget bono, quia omnium bonorum authorem in se habet. De tertio, Gen. 17. Accelera tria sata similæ commisce, & fac subcineritios panes, vt sic vitulum optimum cum illis comederet. Qui enim vitulum optimum, idest, corpus Christi sumere vult, prius debet tribus satis similæ panem igne coquẽdo solidare, idest, ad tres hominum differẽtias. s. superiores, æquales, inferiores veram dilectionem seruare. 1. Corinth. 10. Vnus panis, & vnum corpus, multi sumus qui de vno pane & de vno calice participamus. Aug. Qui accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed contra se. Matth. 20. Intrauit rex vt videret discumbentes, & vidit vnum non habentem vestem nuptialem, idest, charitatem, & ait ministris. Ligatis manibus & pedibus &c. Item eiusdem. 5. Si offers munus tuum &c. Glo. Si fratrem læsisti, reconciliare ei, etiam si aduersarius fuerit, esto beniuolus, vt fiat amicus, & tunc offeres munus tuum, vt sit Deo gratum. Propter prædicta in pane notanda dicitur Exod. 12. Azyma comedes, idest, panem sine fermento, & erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos, quod scilicet significatur in eo quod dictum est, cordis contritio, oris confessio, proximi dilectio, quibus debemus nos præparare, vt digne possimus ad Christi corpus accedere.

CAP. XVI.

De præparatione nostra in tertio, scilicet agno paschali.

VEnite, comedite. Itẽ. Probet aũt seipsum homo. Thema spãle. Sãctificamini, cras comedetis carnes. Num. 9. Thema propriũ. Ecce agnus Dei. Io. 1. Hic dicendũ est qualiter ex figura agni paschalis consideretur nostræ pręparationis modus, de qua Exod. 12. legimus. Hæc figura in tres partes est diuidenda. Prima pars est ipse agnus edendus, secunda

da fercula cum quibus eſt edendus, tertia perſonarum edentium habitus. In prima diſcimus præparari per fidei integritatem, in ſecunda per animi virtuoſitatem, in tertia per vitæ honeſtatem. Prima pars iſtius eſt ipſe agnus, qui ſecundum legem manducatur, & in hoc tria conſiderantur. Primo, quando comedendus eſt, quia in nocte, cum res plene non videtur, in quo credendum ſignificatur quòd corpus Chriſti in præſenti nobis dari debuit non manifeſtum, ſed in ſacramento velatum. Thobiæ. 12. Sacramentum regis abſcondere bonum eſt. 3. Regum. 8. Dominus dixit vt habitaret in nebula. In ſecundo. ſ. quòd non comeditur ex eo crudum, ſignificatur quòd non debemus credere Chriſtum eſſe hominem purum. Item, quòd non comeditur aqua coctũ, ſignificat quòd non debemns credere Chriſtum ſecundum communem hominum conſuetudinem conceptum, aut natum. Item, ꝙ comederunt eum tãtum aſſum igni ſignificat, quòd Chriſti incarnatio, & eius corporis cõſecratio credenda eſt celebrari per potentiam Spiritusſancti. In tertio. ſ. ꝙ caput agni cũ pedibus & inteſtinis vorari præcipitur, ſignificatur eſſe credendum quòd in hoc ſacramento totus Chriſtus cum diuinitate & corpore & anima continetur & ſumitur. Secunda pars huius figuræ ſunt fercula tria, cum quibus ſolebant agnum manducare, ſcilicet lactucæ agreſtes, panes azymi, & ſanguis agni. Exod. 12. Edetis carnes agni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus: & ſument de ſanguine agni, & ponent ſuper vtrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum. Primum ferculum, ſcilicet lactucæ agreſtes, ſignificant dolorem de peccatis: ſecundum, ſcilicet panes azymi, intentionem puram cum operibus bonis: tertium, ſcilicet ſanguis agni, memoriam & imitationem dominicæ paſsionis, quibus præparari debet anima fidelis. De primo Gregor. ſuper illud. Exo. 12. Lactucæ agreſtes valde amaræ ſunt, carnes vero agni cum his comedendæ ſunt: quia cum corpus Chriſti accipimus, compungi pro peccatis debemus, vt amaritudo pænitentiæ abſtergat amorem peruerſæ vitæ. Iſa. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos &c. De ſecundo. 1. Corinth. 5. Epulemur non in fermento veteri, id eſt, in corruptione ſuperbiæ, quæ fit in

Deum:

Deum:neque in fermento malitiæ,quæ fit in proximum, & nequitiæ quæ fit in seipsum,sed in azymis sinceritatis, idest in sinceritate a uitiis, & ueritate bonorum operum, ut scilicet studeamus esse in nouitate uitæ sine omni fraude de fermento veteri Gregor. Panes sine fermento comedit,qui recta opera sine corruptione inanis gloriæ facit de fermento malitiæ. Idem. Panes sine fermento malitiæ manducat,qui opera misericordiæ sine peccati admistione exhibet,ne peruerse rapiat,quod quasi recte dispensat: vnde per Amos.4.increpando dicitur. Sacrificate de fermento laudem. De fermento enim laudem immolat, qui Domini sacrificium de rapina portat de fermento nequitiæ. Exod. 12. Qui comederit fermentatum,peribit anima eius de cœtu Israel. Fermentatum comedere est delectari peccati corruptione,quod committitur in se. Psalm.23. Dixit iniustus ut delinquat &c. De tertio ferculo supradicto. Greg. Sãguis agni super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis,sed etiam ore mentis hauritur, & ad imitatio nem intenta mente cogitatur. Nam qui sic Redemptoris sanguinem accipit,ut imitari passionem nec dum uelit, in uno tantum poste sanguinem ponit. Item, in superliminaribus ponendus est sanguis agni,quia non tantum in memoria,sed in manifesto portari debet crux passionis Christi. Gal.ulti. Mihi absit gloriari &c. vnde & stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Tertia pars huius figuræ est habitus,siue tria insignia illorum qui manducauerunt agnum,scilicet cingulus renum,calciamenta pedum,baculus manuum. Exo.12. Sic manducabitis agnum. Renes uestros accingetis,calciamenta habebitis in pedibus, tenẽtes baculos in manibus. Primum designat carnis & mentis cõtinentiam,secundum exemplorum patrum custodiam, tertium vitiorum nostrorum correctionem, & exiguntur ad communicantium præparationem. Primum præparatiuũ est mentis & carnis continentia in cingulo renum figurata. Grego. In renibus accipitur carnis delectatio, vnde psal, 25. Vre renes meos, & cor meum. Qui ergo Pascha comedit,renes accingat:quia qui corpus Domini accipit, voluptatem domat,luxuriam refrenat:hæc præparatio contin&

tiæ attendenda est quantum ad tria genera hominum, scilicet coniugatos, & de incontinentia pænitentes, & spirituales. Primum ante sacram communionem continentiam debent seruare aliquantam, secundi logiorem, tertii cõtinuã. De primo dicitur ad Dauid. 1. Reg. 21. Si pueri mundi sũt maxime a mulieribus, mãducent, scilicet panem sanctum: respondit Dauid. Si de mulieribus agitur, cõtinuimus nos ab heri & nudus tertius. Dedit ergo eis sacerdos sanctificatum panem. Exod. 19. Descendit Dominus coram omni plebe super montem Sinai, scilicet in igne, & nubis caligine Estote ergo parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus uestris: Si talis continentia seruata est ad figuram, quanto magis seruanda est ad corporis Christi ueritatem? De secundo, Leu. 13. Homo qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, idest, peccans per innocentiã carnis, non uescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur, scilicet per pænitentiam. Hinc statuti sunt ante Pascha. 40. dies pænitentiæ, ut his peractis in ieiuniis, & orationibus, & continentia, & bonis operibus, tunc possint communicare pęnitentes cum aliis bonis Christianis. Hinc super illud 1. Corin. 11. Si nosmetipsos diiudicaremus &c. dicit Aug. Ab ipsa mente pænitentis talis sententia proferatur, ut se indignum iudicet participatione corporis & sãguinis Domini, ut ad tempus per ecclesiasticam disciplinã a sacramento cælestis panis separetur. Indigne. n. accipit, si tunc accipit, cũ debet agere pænitentiã. i. quando incipit. ergo se prius iudicet, ut a se iudicatus non iudicetur a Domino. De tertio. s. de continentia continua & sempiterna. s. omnimodã & perpetuam castitatem conseruare. Leuit. 21. Sacerdotes sancti erunt Domino suo, & non polluent nomen eius. Incensum. n. Domini & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt. Beda. Si ueteris testamenti sacerdotes secundũ ordinẽ vicis suæ intraturi templũ ad offerendas legales hostias a propriis uxoribus oportuit abstinere, quanto magis nostri sacerdotes, quos ad consecrandum sacrosanctum corpus Domini paratos semper esse oportet, & continuam, & sempiternam semper debent castitatem conseruare? Secundum præparatiuum est exemplorum patrum custodia

ſtodia per calciamenta pedum figurata. Greg. Calciamenta in pedibus habere, eſt mortuorum patrum uitam aſpicere, & noſtra ueſtigia a peccati uulnere cuſtodire. Cant. 5. Quã pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis filia principis, greſſus ſunt profectus operum in calciamentis, id eſt, in conſideratione uitæ patrum. Tertium præparatiuum eſt correctionis diſciplina in baculis manuum figurata. Baculus. n. ſignificat rectitudinem iuſtitiæ, qua debemus noſmetipſos de noſtris exceſſibus ante communionem iudicare. Pſalm. 44. Virga directionis uirga regni tui &c. Apprehendite diſciplinam &c. 1. Corinth. 11. Qui manducat & bibit indigne, quòd ſi noſmetipſos diiudicaremus &c. Augu. Aſcendas hic aduerſus te tribunal mentis tuæ, & conſtituto in corde iudicio adſit accuſatrix cogitatio, & teſtis conſcientia, & carnifex timor Domini, inde quidam ſanguis animę confitentis per lacrymas profluat, & ſic ceſſat uindicta diuina, cum confeſſio & correctio præcedit humana, & ſic homo dignus erit ad ſumendum corpus Chriſti nunc in ſacramento, & perfecta fruitione in futuro. De primo, Deut. 8. Afflixit te Dominus penuria, & dedit tibi cibum manna quòd ignorabas: afflixit te, id eſt, fecit ut affligeres te & corrigeres, penuria, id eſt, pœna uoluntatis tuæ, & uoluptatis carentia, & tunc dedit tibi cæleſtem panem corporis ſui. De ſecundo, ad Hebræ. 12. Omnis diſciplina in præſenti non uidetur gaudii, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum excercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Item, præparatiuum ad corpus Domini ſuſcipiendum eſſe, poteſt manducatio ſpiritualis, ſecundum quod perfecti manducant ratione meditationis deuotæ, de quo infra ſermone decimonono ante medium, & in medio.

CAP. XVII.

De triplici modo manducandi, & primo de ſacramentali tantum.

VENITE, comedite &c. Thema proprium. Quicunque manducauerit panem hunc, & biberit cali-

cem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. 1. Corinth. 11. Quintum principale circa sacramentum Dominici corporis notandum, est modus manducatio nis, & hoc triplex, scilicet sacramentalis tantum, spiritualis tantum, sacramentalis & spiritualis simul. Ad hoc intelligendum sciendum, quòd in cibo altaris duo sunt, scilicet sacramentum, & uirtus sacramenti. Sacramentum, ut dicit August. duobus consistit, uisibili panis & uini specie, & inuisibili carne & sanguine Christi. Virtus uero sacramenti est sanatio a damnatione mortis æternæ. Hanc uirtutem sacramenti crediderunt & gustauerunt spiritualiter omnes saluandi ab origine mundi, & quotidie gustant omnes boni Christiani. Secundo modo tam boni quàm mali hoc modo dissimili, quia mali manducant sacramentum tantum, idest, sub uisibili specie panis corpus Christi: sed non uirtutem sacramenti manducant spiritualem, idest, salutem ad uitam æternam: boni vero manducant utrumque simul, scilicet sacramentum, & uirtutem sacramenti. Ex his patet triplex modus manducandi. Primus sacramẽtalis tantum, secundus spiritualis tantum, tertius sacramẽtalis & spiritualis simul. Primo manducant mali Christiani, secundo omnes saluandi, tertio soli boni Christiani. Primi manducant & non manducant, secundi non manducãt & tamen manducant, tertii manducant & manducantur. Primus modus manducandi corpus Domini est sacramentalis tantum, quomodo mali Christiani manducant, quia uenerandum corpus in peccato mortali ore polluto sumentes, cordis affectum ab influentia uirtutis bonitatis eius, peccatis suis immundis & duris quasi luto & lapide claudunt. Ezech. 14. Posuerunt immunditias suas in cordibus suis, & idola, scilicet scandalum iniquitatis suæ statuerũt contra faciem suam. Isti manducant & non manducant, manducant quidem, quia corpus Domini sumunt sacramentaliter, sed tamen non manducant, quia uirtutem spiritualem, idest, salutem animæ non percipiunt. Eccles. 6. Est aliud malum quod uidi sub sole, & quidem frequens apud homines. Vir cui Deus dedit diuitias, & substantiam, & honorem, nec tribuit ei potestatem, ut comedat ex eo. Heb.

vlt.

vlt. Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt, idest, peccatis carnalibus. 1. Corinth. 10. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Grego. Est quidem in peccatoribus & indigne sumentibus vera Christi caro, & verus sanguis, uidelicet præsentiali essentia, non salubri efficientia. August. Qui discordat a Christo nec manducat carnem eius, nec bibit sanguinem, & si tantæ rei sacramentum quotidie sibi sumat ad iudicium. Discordat a Christo qui cordis effectũ ab eo auertens ad peccatum conuertitur, & talis uere miserabilis dici potest, ad quem tam magnum bonum frequẽter uenit, & nullum exinde spirituale lucrum accipit, siue percipit. Hoc modo, scilicet sacramentaliter manducantiũ, tria sunt genera, primi maliuoli, secundi dolosi, tertii præsumptuosi. Primi sunt qui corpus Domini sumunt in peccandi uoluntate. Secundi sunt hypocritæ, qui foris boni apparentes occulte sont praui, & tanquam iusti accedunt ad altare. Tertii sunt qui maxime mali sunt, & tamen præsumunt communicare, de duobus primis potest hic dici, & de tertio in sequenti. De primo genere malorum communicantium, scilicet de maleuolis. Isaiæ. 19. Appropinquat populus iste ore suo, cor autẽ eorum longe est a me. Appropinquat ore per sacramenti susceptionem, sed cor longe est per peccandi uoluntatem. Tales tria mala sequuntur, peccati sui aggrauatio, a gratia Christi separatio, ad æternam pœnam condemnatio. De primo, Matth. 15. Non est bonum sumere panem &c. Canibus, idest maliuolis. Augu. Habentes uoluntatem peccandi grauari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. De secundo, Sapien. 1. Peruersæ cogitationes separant a Deo &c. De tertio. 1. Corin. 11. Quicunque manducauerit hunc panem &c. Ambr. Indignus est qui non deuota mente accedit ad Eucharistiam, aut in uoluntate peccandi manens reus est corporis & sanguinis Domini, idest, ac si Christum occideret punietur. De secundo genere malorum communicantium, scilicet de dolosis, siue hypocritis. 2. Tim. 3. In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, habentes quidẽ

speciem pietatis,uirtutem autem eius abnegantes,speciem pietatis.gloss.idest,religionis, quia eadem sacramenta habent cum piis uirtutem pietatis,idest,charitatem abnegantes,multa scilicet mala occulte perpetrantes & manifesta fallaciter excusando. Tales similiter tria mala sequentur, socii Iudæ traditoris efficientur,coram toto mundo cōfundentur,extra bonorum consortium proiicientur. De primo Io.13.Qui manducat panem meum,leuabit contra me calcaneum suum.Hoc dicitur de Iuda,& de suis similibus,scilicet fictis domini amicis.Vnde gloss. Qui manducat panē meum non ut proficiat,sed ut lateat, ille me conculcabit, idest,tradet. Qui ergo uult latere in peccatis sub plena specie religionis & cōmunicationis, similis efficitur & socius Iudæ traditoris. De secundo, Ecclesiastici 1. Ne sis incredibilis timori Domini,& ne accesseris ad eum duplici corde, nec fueris hypocrita in conspectu hominum,ne forte reuelet Deus abscondita tua,& in medio synagogæ elidat te,quoniam accessisti maligne ad Dominum, & cor tuum est plenum dolo & fallacia.Naum.3.Ecce ego ad te speciosa dicit Dominus,idest,anima foris pulchra hominibus speciosa,intus immunda:& releuabo pudenda tua in facie tua, & ostēdam gentibus nuditatem tuam,& regnis ignominiam tuā, & proiiciam super te abominationes tuas, & contumeliis te afficiam. De tertio, Matthæi 13. Væ uobis hypocritis, qui similes estis sepulcris dealbatis,quæ foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum,& omni spurcitia,idest,putredine,& uerme, & fœtore:sic & uos a foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate:hypocrisi, idest,amore uanæ laudis:iniquitate,idest,cupiditate temporalium & odio ueritatis, & ideo præmittitur, Væ uobis, idest,extra bonorum consortium miserabilis proiectio. Leuitici 7.Anima polluta hypocrisi (dicit Interlinearis) quę ederit de carnibus hostiæ pacificorum,idest,corporis Christi,quæ oblata est Domino,peribit de populis suis, idest, eiicietur de saluandis ad damnationem æternæ mortis.Sed ecce contra tria magna mala dat leue remedium diuina clementia,quia spiritualis conclusio, scilicet bonum fieri de

malo.

malo. Psalm. 33. Declina a malo, & fac bonum &c. Et ex frequenti bene agere fit homo bonus. Et cum bonus est, sequuntur eum tria bona, scilicet pœnæ debitæ relaxatio, diuinæ gratiæ restitutio, æternæ gloriæ acquisitio. De primo 3. Regum 1. Si fuerit uir bonus, nec unus quidem capillus eius in terra cadet, idest, ab omni peccato erit immunis. Ezech. 33. Si dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam de peccato suo, uita uiuet, & non morietur. De secundo, psalm. 124. Bene fac Domine bonis & rectis corde. Prouerb. 12. Qui bonus est, hauriet sibi gratiam a Domino. De tertio, Matthæi 24. Euge serue bone &c. Euge, idest, bene gaude, serue bone, quia in pauca, idest, in bonis quæ tibi commissa sunt, bene negotiatus es: supra multa te constituam, scilicet æterni gaudii bona. Intra in gaudium, ut scilicet ex omni parte perfruaris gaudio. Isa. 51. Veniant in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, quia causa æternæ lætitiæ erit in Domini regis sui contemplatione. Hiere. 31. Venient, & laudabunt in monte Sion, & confluent ad bona Domini: tunc lætabitur Virgo beata Maria præcentrix in choro cælesti, iuuenes, scilicet omnes beati: senes scilicet angeli. isti Deum laudabunt & in omnibus bonis, idest, sine fide gaudebunt.

CAP. XVIII.

De tertio genere indigne manducantium, scilicet de præsumptuosis.

VENITE, comedite &c. Item. Quicunque manducauerit hunc panem &c. De tertio genere malorum indigne communicantium est hoc dicendum, scilicet de præsumptuosis, qui non timent communicare, vel celebrare in magnis criminibus & manifestis. De his 1. Corinth. 11. Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, idest, ualde malum est illi. Vnde sciendum quod duplex est effectus corporis Domini, scilicet bonitatis, quoad bonos: seueritatis, quo ad malos, & tamen ipsum semper im-

mutabile & bonum in se manet, sed iusto iudicio effectus eius mutatur in his qui male eo utuntur. August. Sancta malis possunt obesse, quia qui mãducat corpus Domini indigne, iudicium sibi manducat, non quod res illa mala sit, sed quia malus quod bonum est, male accipit: huius rei exemplum est in sole & in uino. Nam eandem solis lucem, quam oculus sanus ad delectationem & confortationem æger suscipit ad turbationem. Et uinum quod sanus homo ad iocunditatem & confortationem, febricitans accipit ad maiorem infirmitatem, vel certe ad mortem. Hinc est quòd indigne communicantes tria mala sequuntur, scilicet magna culpa, Dei offensa, multiplex plaga. Primũ malum præsumptuose manducantium est magna culpa. Hiere. 11. Nunquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, quibus gloriata es? Isidorus. Qui scelerate uiuunt in ecclesia Dei, & communicare non desinunt putantes se tali cõmunione mundari, discant nil ad emendationem proficere sibi, dicẽte eodem propheta. Quid est quòd dilectus meus in domo mea facit scelera multa? nunquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas? quasi diceret: Non auferunt, sed augmentant. Huius triplex est ratio, scilicet peruersa intentio. Action is enim uoluntariæ triplex est radix, siue principium, uel natura, uel uirtus bona, uel libido. Omnis actio cuius radix est natura, uel uirtus bona est: cuius autem radix libido, mala est. Sed eius qui in peccato mortali est scienter, & sumit corpus Christi, non potest esse radix natura, neque uirtus aliquo modo dictaret quod aliquis rẽ tam pretiosam, ac uenerandam in loco, uel uase immundo poneret, unde peccatoris, qui corpus Domini sumens ponit in ore suo polluto & corpore, radix est libido, idest peruersa intentio, vt lucri temporalis, uel uanæ laudis, uel alicuius deceptionis. Secunda ratio culpæ istorum est diuini præcepti transgressio. Sicut.n. Dominus in statu innocentiæ lignum uitæ ad edendum concessit, & in statu culpæ prohibuit, sic nobis in statu bono corpus Christi conceditur, & in malo prohibetur. Matth. 6. Nolite sanctum dare canibus, idest immundis peccatoribus. Leuitic. 21. Homo qui habuerit maculam scilicet peccati, non offerat panem Domino,

Domino,nec accedat ad ministerium eius. Tertia ratio culpæ istorum est maxima ingratitudo.Quæ enim potest esse maior quàm si quis habens dominum,a quo accepisset quicquid boni haberet,& ipsum insuper morte sua de suspēdio liberasset,eundem dominum in stabulum immundissimū inimici sui traditione duceret,& ibi conculcaret, & rursus occideret? Tanta ingratitudine peccant, qui corpus Domini sumunt in peccato mortali.Psal.34.Retribuebant mihi mala pro bonis,& odium pro dilectione mea. Et iterum. Psal.55.Conculcauerunt me inimici mei &c. Hebræo. 10. Quanta putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit,& sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est? scilicet in morte Christi. Ambro. Christum ille conculcat, qui libere peccat absque timore, & pænitentia,et qui eo indigne participat.Idem. Qui indigne Christum sumit,idem est ac si interficiat. Augu. Quā temerarium est, quamque nefarium est cruentis manibus intemeratæ Virginis tractare filium? Quis auditus sustineret aurium? quis oculus non confunderetur ad intuitū? cuius mens non raperetur in excessum, ubi mundi pretiū mittitur in sterquilinium?Non enim minus est detestabile in os pollutum, quam in lutum mittere Dei filium.Secundum malum istorum est magna Dei offensa, Zachariæ. 1. Ira magna ego irascor super gentes opulentas,quia ego iratus sum parum,ipsi uero adiuuerunt in malum, quasi diceret Dominus.Parum irascor hominibus propter peccata quæ committuntur in proximum,sed maxime eo quod peccant in Deum.1.Regum.2.Si peccauerit uir in uirum, placari ei potest Deus:si autem in Deum,quis orabit pro eo? Gloss.Quanto maior gloria,tanto maior offensa. Malach.1.Ad uos,o sacerdotes,qui despicitis nomen meum, & offertis super altare meum pollutum panem.Gloss. Corripit sermo diuinus episcopos, & ministros ecclesiæ negligentes,& omnes qui Christi nomine censentur,cur nomē despiciant,quibus aperit causas offensæ, quòd pollutum panem offerunt.Polluit enim panem,idest, corpus Christi,qui indigne accedit ad altare,& mensam Domini si nō scelerata uoce,scelerato opere despicit, & dum sacramen-

ta uiolantur, ipse cuius est sacramentum, uiolatur. Tertium malum istorum est multiplex plaga, & grauis est iusta Dei uindicta. Sicut enim ab antiquo filiis Israel maximum erat peccatum, & pessimarum causa maledictionum, quod per idolatriam Deum proiecerunt, & postea Iudæis impiis quod Christum non susceperunt: sic modo Christianis maximum est peccatum, & causa plagarum, quod corpus Saluatoris indigne suscipiunt. Grego. Creator omnium per incarnationis mysterium Iudæam uisitare dignatus est: sed quia non cognouit tempus uisitationis suæ, ideo gentibus frequenter in prædam data, nouissime Romanis tradita est, & uenerunt super eam omnia genera maledictionum, quæ in libro legis scripta sunt: similiter his qui gratiam Dei ingrati accipiunt, certa est dānatio. Si enim quis irritam legem Moysi fecerit, fine ulla miseratione moritur, quanto deteriora supplicia meretur qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit? Hæc supplicia possunt dici triplices plagæ, prima multa damna spiritualium bonorum: secunda, sterilitas terræ, siue caristia temporalium: tertia, pestes corporum, & strages hominum. De prima Treno. 1. Manū suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, quia uidit gentes ingressas sanctuarium tuum, de quibus præceperas ne intrarent ecclesiam tuam. Gloss. Hostis antiquus ad desiderabilia ecclesiæ manum mittit, & spiritualem ornatum aufert in membris suis, fidem contaminans, baptisma rescindens, idest, gratiam in baptismo datam, doctrinā corrumpens, corpus & sanguinem Christi indigne tractās, & uasa preciosa, idest, oues Christi quasi lupus deuastans: & causa tanti mali redditur, quia gentes, idest, carnem amantes, & Christi circuncisionem non habentes, ministri altaris efficiuntur. De secunda plaga. Deuteron. 28. Si audire nolueris uocem Domini Dei tui, ut facias omnia mandata eius, uenient super te omnes maledictiones istæ. Maledictus fructus terræ tuæ, armenta bouum tuorum, & greges ouium. Mittet Dominus super te famem, esuriem, & increpationem in omnia opera tua. Hæ plagæ uenient, si audire nolueris mandata Dei,

scilicet

ſcilicet præcipue de corpore Domini indigne tractando, ſecundum illud Leui. 21. Homo qui habuerit maculam peccati, non offerat panem Deo, nec accedat ad miniſterium eius, Geneſ. 3. Quia comediſti de ligno, ex quo præcepi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi. De tertia plaga. 1. Corin. 11. Probet ſeipſum homo &c. Qui enim manducat indigne, iudicium ſibi manducat &c. id eſt, ad iudicium mortis ſe obligat: & multi alii propter ſcelus unius ſæpe feriuntur, vnde ſequitur. Ideo inter uos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, ſcilicet ſomno mortis, uel Dei uerbere, uel præliorum aduerſitate. Numeri. 11. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini excitatus in populum percuſſit eum plaga magna. Sed ecce contra has plagas, & omnia iam dicta mala, triplex remedium, primum eſt emendatio vitæ per pænitentiam uoluntariam: ſecundum eſt correctio malitiæ per ſuperiorum diſciplinam: tertium mutatio incorrigibilis perſonæ per iuſtitiæ diſtrictionem. De primo Iohel. 1. Depopulata eſt regio, luxit humus, id eſt, habitatores humi, quia periit meſſis agri, id eſt, ſpiritualia & temporalia. Accingite uos, & plangite ſacerdotes, ululate miniſtri altaris, ingredimini & cubate in ſaccis. Accingite uos ſacerdotes & miniſtri cingulo pænitentiæ, & plangite puro corde, ululate in confeſſione & oratione, ingredimini eccleſiam per pænitentiam, unde exiſtis per culpam, cubate in ſacco, id eſt, delitias, quibus offendiſtis, per uitæ auſteritatem recompenſate, ut iram Dei poſſitis mitigare. De ſecũdo, Mala. 3. Ecce ueniet Dominus quaſi ignis conflans, ſcilicet per iuſtos prælatos, & purgabit filios Leui, id eſt, miniſtros altaris, & erunt Domino offerentes ſacrificia, & ſic utique plagatus mitigabitur ira eius. De tertio, Ezech. 21. Iudicabo uos dicit Dominus, & ſubiiciam ſceptro meo, & eligam de uobis tranſgreſſores & impios, ſcilicet ad abiiciendum qui in malo perſeuerãt, id eſt, incorrigibiles, dicit gloſſ. ut ſcilicet loco eorum iuſti reſtituantur. Iſa. 1. Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum, & reſtituam iudices tuos, ſicut fuerunt prius

& tei ſi

& consiliarios tuos, sicut antiquitus, scilicet tempore Moysi, & Machabæorum, & Apostolorum. Post hæc uocaberis ciuitas iusti, urbs fidelis. 1. Machabæorum. 4. Cogitauit Iudas de altari holocaustorum, quod prophanatum fuerat, quid de eo faceret, & incidit ei consilium bonum, ut destrueret illud, ne forte esset illis in opprobrium, quia contaminauerunt illud gentes, & demoliti sunt illud, & posuerunt lapides in mōte domus in loco apto, quousque ueniret propheta, & responderet de eis, & acceperunt lapides integros secundum legem, & ædificauerunt altare nouum secundū id quod fuit prius.

CAP. XIX.

De secundo modo manducandi spirituali tantum.

VENITE, comedite &c. Thema proprium, Patres nostri omnes eandem spiritualem escā mā ducauerunt. 1. Cor. 10. idest, omnes boni ueteres in manna cibum inuisibilem, scilicet Christum spiritualiter intellexerunt, crediderunt, gustauerunt, & ab æterna morte per eum sanati sunt. Secundus modus manducandi Christum est spiritualis tantum, & isto modo omnes saluati ab initio mundi manducauerunt, & saluandi manducant Ambr. Non manducans manducat, & manducans non manducat, quia scilicet non manducans sacramentaliter, manducat spiritualiter, & econuerso, Eccle. 6. Est uir cui dedit Deus substantiam & honorem, nec tribuit ei potestatem ut comedat ex eo, sed homo extraneus uorabit illud, scilicet cum magno desiderio spiritualiter manducandi Circa spiritualem manducationem tria sunt considerand, scilicet differentia personarum sic manducantium, ratio spiritualiter manducandi, effectus manducationis. Huius primum est differentia personarum sic manducantium, quæ est triplex, incipientium, proficientium, perfectorum. Matth. 15. Manducantium fuerunt quatuor millia uirorum, exceptis mulieribus & paruulis. In paruulis incipientes, in mulieribus proficientes, in uiris perfecti significantur.

gnificantur. Secundum est ratio, qua dicuntur iam dicti spiritualiter manducare. Vnde sciendum, primi, scilicet incipientes, manducant spiritualiter ratione fidei salutaris: secundi ratione bonæ conuersationis: tertii ratione deuotæ meditationis. De primis Abacuc. 2. & ad Hebr. 10. Iustus ex fide uiuit, tanquam ex cibo spirituali. August. Crede, & manducasti. Credere enim in Christum, est credendo in eũ ire, ipsi corde inhærere, in ipso delectari, & per ueram charitatem membris eius incorporari. Secundi, scilicet proficiẽtes, manducant ratione bonæ conuersationis Io. 4. Ego cibum habeo manducare, quem uos nescitis: meus cibus est &c. Eccl. 24. Qui timet Deum, faciet bona, cibauit eum pane uitæ &c. Iste cibus conuersationis consistit ex tribus uirtutibus quasi ex tribus ferculis, scilicet innocentia, pænitẽtia, & misericordia. De primo. Psal. 101. Percussus sum ut fœnum, quia oblitus sum comedere panem meum. s. innocentiæ, dum delectabar cibo malitiæ. Augu. Panem de altari spiritualiter manducare, est innocentiam ad altare portare, debitoribus peccata dimittere. De secundo. Psal. 126. Surgite postquam sederitis, qui mãducatis panem doloris, scilicet pænitentiæ pro peccatis. Thob. 1. Manducauit panẽ in luctu & tremore memorans sermonum Amos. Dies festi uestri, idest, gaudii in peccatis, conuertentur in lamentationem & luctum. Psal. 101. Cinerem, scilicet pænitentiæ, tanquam panem manducabam. De tertio. Prouer. 11. Bene facit animæ suæ uir misericors, quia dum pauper ab eo reficitur, ipse multo magis a Deo spiritualiter pascitur. Apocal. 3. Ecce sto ad ostium, & pulso in paupere, si quis aperuerit mihi &c. Tertii, scilicet perfecti, manducant spiritualiter ratione deuotæ meditationis: & in hac manducatione tria erunt quæ in commessatione corporali consistũt, scilicet appetitus, masticatio, & delectatio. Primo debemus esurire spiritualiter Christum cibum nostrum intimo corde desiderando: secundo, masticare magna districtione cogitationis: tertio, in eo delectari dulcedinem eligendo. Primo, debemus spiritualiter esurire Christum ardenter desiderando. Iob. 31. Si non dixerunt uiri tabernaculi mei, quis det ut de carnibus eius saturemur? quasi optabant & desiderabant

derabant saturari. Eccles. 23. Qui edunt me, adhuc esurient &c. Greg. In spiritualibus delitiis saturitas appetitum parit: quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod auidius ametur. Isa. 26. Domine nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animę &c. Psal. 37. Ante te omne desiderium meum. Secundo, debemus spiritualiter masticare totum Christum, scilicet membra & caput, idest, nosmetipsos, & sanctos, & Saluatorem mundi di stricta discussione cogitare, nosipsos diiudicando, sanctorum uitam ad imitandum pertractãdo, incarnationis Christi beneficia deuota mente ruminando. Primo, perfecti masticant seipsos, diligenter se examinando & diiudicando. 1. Corint. 11. Probet seipsum homo, idest, examinet & purget, & non alium, seipsum totum scilicet cor, linguam, manum &c. & sic postea edat. Secundo, sanctos masticant mortuos & bonos adhuc uiuentes, uitam eorum ad imitandum considerando. Matth. 22. Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia &c. Tauri sunt prophetæ & Apostoli, qui fortitudine fidei quasi cornu principibus mundi restiterũt, & ab eis passi uirtutum nobis exempla reliquerunt. Altilia ab alendo dicta, pinguia sunt uolatilia, & significãt sanctos interna charitate saginatos, & contemplationis penna alta petentes, occisa sunt, uel ab eo quod per pænitentiam, uel per mortem carnis iam in requie posita: hæc nobis sunt spiritualiter masticanda, idest, ad imitandum diligenter cõsideranda. Deuterono. 14. Omne quod mundum est, comedite: quicquid morticinum est, ne uescamini ex eo. Omne mundum, idest, honestis uerbis & moribus comedite, in corde ponite imitandum: quod autem morticinum est, idest, peccato contaminatum, ne uescamini ex eo consentiendo, uel idem faciendo. Phil. 4. De cætero fratres, quæcunque sunt uera, quęcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate: quæ audistis, & uidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit uobiscum. Tertio, perfecti masticant spiritualiter carnem Christi, scilicet incarnationis eius sacramenta & beneficia deuote meditando. Ioan. 6. Qui manducat carnem

&c.

&c.ideſt,ſpiritualiter maſticat. Augu. Hoc pertinet ad uirtutem ſacramenti,non ad uiſibile ſacramentum, qui ſcilicet manducat intus non foris,qui manducat corde non qui premit dente, & hoc eſt quod Apoſtolus uigilanter dicit tantum de bonis, Omnes eandem eſcam manducauerunt. Tertio,debemus in ſpirituali manducatione delectari interna dulcedine,quæ elicitur de Chriſti maſticatione. Iſa. 55. Audite audientes me,& comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima ueſtra,ideſt,in dulcedine ſpiritualis gratiæ. Sapien. 8. Intrans in domum meam, conquieſcā cum Dei ſapientia,ideſt cum Chriſto, qui eſt ſapida ſcientia. Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius,nec tędium conuictus illius,ſed lætitiam et gaudium,& in amicitia illius delectatio bona Pſal. 30. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine. Guſtate,& uidete &c. Cantic. 3. Mel & lac ſub lingua tua, ideſt, dulcedo ſpiritualis in meditatione cordis,hæc dulcedo ſpiritualis eſt quædam prægustatio gaudii cæleſtis ualens contra tria mala quę ſunt in mundo. Ibi eſt falſa dulcedo in delectabilibus utendis,grandis amaritudo in aduerſis ſuſtinendis, triſtis imago in bonis faciendis. De primo. Prouerb. 9. Aquæ furtiuæ dulciores ſunt,& panis abſconditus ſuauior: ſed dulcedo falſa eſt,quia animæ perditio. Iob. 34. Dulcedo illius uermis. Eccleſ. 9. Sicut piſces hamo capiuntur,ſic homines tēpore malo. Eſca foris delectat, ſed aculeus intus perforat. Iob. 21. Ducunt in bonis dies ſuos &c. De ſecundo, Pſalm. 103. Hoc mare magnum et ſpatioſum, quia ſcilicet in hoc mundo magna et multa amaritudo. Hiere. 3. Cibabo populum iſtum abſynthio, et potum dabo eis aquam fellis. Iob. 13. Homo natus de muliere etc. De tertio, Matth 9. dixit Dominus cuidam diuiti. Vade,quęcunque habes uēde, et da pauperib⁹,et habębis theſaurū in cælis et ſequere me, qui contriſtatus in uerbo abiit mœrens. 1. Reg. 25. Dixerūt pueri Dauid ad Nabal,Quodcūque inuenerit manus tua, da pueris tuis, et ſeruo tuo Dauid. Qui reſpondit. Tollā panes meos,et aquā,et carnes,et dabo uiris quos neſcio unde ſint? Geneſ. 4. Factum eſt poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino,et nō reſpexit ad

eum

eum Dominus, nec ad munera eius. Huius causa fuit, quia male obtulit, scilicet de tristi corde & facie. Contra hoc ualet dulcedo spiritualis, quia falsam dulcedinem mundi facit insipidam, grandem amaritudinem facit dulcem, tristem imaginem reddit iucundam. De primo, Prouerb. 27. Anima saturata calcabit fauos. Grego. Gustato spiritu desipit omnis caro. Philip. 3. Quæ mihi fuerunt lucra, arbitratus sum propter Christum detrimenta, propter quem omnia arbitratus sum ut stercora. De beato Aug. dicitur. Displicebat ei quicquid agebat in sæculo &c. De secundo, Deut. 33. Inundatione maris quasi lac sugent, idest, boni repleti dulcedine spirituali uincunt amaritudinem mundi, 4. Reg. 2. Heliseus misit sal in aquas amaras, & in dulces conuersæ sunt: sic Christus spirituali sapore sanat amaritudinem. Hinc Stephano lapides torrentis dulces fuerunt, & multis sanctis ardentes prunæ, candentes uestes uisæ sunt tanquam rosæ suaues, & multi sancti gaudent in tribulatione. De tertio, Danielis, idest, Post dies decem apparuerunt uultus eorum meliores præ omnibus pueris qui uescebantur cibo regio. Vultus eorum quos panis satiauit, qui de cælo descendit, dicit gloss. apparuerunt meliores de core & hilaritate ad benefaciendum. Prouerb. 15. Cor gaudens exhilarat faciem, Secundæ ad Corinth. 9. Hilarem datorem diligit Deus. Tertium circa spiritualem manducationem notandum est effectus huius mãducationis, & hic est triplex, peccatorum remissio, ab æterna morte sanatio, uera corporis Christi ad salutem æternam participatio. De primo. Panem nostrum quotidianum &c. idest, cibum spiritualem &c. Ambro. Qui manducant spiritualiter uirtutem carnis & sanguinis Christi, dicuntur sumere & uere manducare, quia ipsam corporis Christi efficaciam quotidie sumunt, idest, peccatorum remissionem. De secundo, Ioan. 6. Hic est panis de cælo descendens, si quis ex ipso mãducauerit, non morietur, scilicet morte æterna. Augu. super Apostolum. Patres nostri eandem escam spiritualem manducauerunt, quam & nos: corporalem uero alteram, idest, manna, quod significabat Christum, & idem credentibus efficit. Alii uero qui non crediderunt, manducauerunt,

runt,& mortui sunt æternaliter, quod non Moyses & alii boni?Quare?quia cibum inuisibilem spiritualiter intellexerunt,spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustauerunt, vt spiritualiter sanarentur, scilicet ab æterna morte. Similiter & nos spiritualiter manducando ab æterna morte liberamur. De tertio super illud,1. Corinth.10. Vnus panis, & vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus, dicit Augu. Nulli dubiũ est, tũc quemque corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando membrum Christi efficitur,nec alienari ab illius panis cõsortio,etiam si antequàm panem edat,de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat, quia illius sacramenti beneficio non priuatur,quando ille cum hoc, quod sacramentum significat, inuenitur. Inuenitur autem hoc quod sacramentum significat quando membrum Christi efficitur, quando credendo & amando spiritualiter manducat,quia sic in corpus Christi vere conuertitur,vt cum ipso æternaliter viuat.

CAP. XX.

De tertio modo manducandi,scilicet de Sacramentali, & spirituali simul.

VENITE,comedite. Accipite,& comedite. Luc.22. Tertius modus manducandi corpus Christi est sacramentalis & spiritualis simul,quo boni Christiani communicant. Vnde circa hunc modum possunt tria notari. Primũ est multitudo non communicantium,scilicet malorũ. Cum enim triplex sit modus manducandi,scilicet sacramentalis tantum,quo mali Christiani manducant,& tamen nõ mali ducant. Spiritualis tantum,quo boni non manducant,& tamen manducant. Sacramentalis & spiritualis simul,quo soli boni Christiani manducant,& manducant. Restat ad diuisionis huius sufficientiam multitudo quædam malorum, qui nec manducant,nec manducantur,quia.s.corpus Christi non manducãt, & ideo æterna morte peribunt. Istorum tres sunt species,siue turmæ. Primi infideles, secundi negligentes,tertii contemnentes. Infideles sunt, quorum corda

per malitiam fallente diabolo sic execæcata sunt, vt non possint credere, & cognoscere diuina sacramēta pro salute mūdi mirabili sapientia Dei instituta. Negligentes sunt, qui temporalibus lucris, & sæcularibus negotiis in tantū se occupant, vt sacra communionem debito tempore sumere negligant. Contemptores sunt, qui sceleribus tanto amore inhærent, quòd corpus Domini sumere paruipendant. De primis. Io.6. Quomodo potest hic nobis carnem suam &c. quasi diceret. Non credimus quòd possit dare. Sapien.5. Errauerunt impii: excæcauit enim eos malitia eorum, & nēscierunt sacramenta Dei. Io.3. Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. De secundis, Matthæi 22. Misit rex seruos suos vocare inuitatos ad nuptias dicens. Ecce prandium meum &c. Illi autem negligentes abierunt alii in villam suam, alii in negotiationem suā. Glos. In villam ire est terreno labori immoderate insistere: in negotiationem vero terrenis lucris nimis inhiare. Tales qui prandium diuini sacramenti negligunt, quamuis fidē, & quædam opera charitatis habere videantur, tamen nisi pæniteant, peribunt. Io.6. Nisi manducaueritis carnem filii hominis &c. super illud Ephe.3. Oro vt possitis comprehēdere quæ sit sublimitas, & profundum dicit glo. Profunda charitatis sunt ecclesiastica sacramenta, quæ sunt profunda & inuestigabilia, & sunt fundamētum charitatis, sine quibus non valet charitas. i. exteriora signa charitatis non valent ad salutem æternam sine sacramentis ea neglīgētibus Num.9. Si quis mundus est, & in itinere non fuerit. i. non habet impedimentum iustæ necessitatis, & non fecerit phase, exterminetur aīa illa de populis suis, quia sacrificiū non obtulit Domino tempore suo, peccatū suum ipse portabit. De tertiis. 2. Paralipo.30. Perrexerunt cursores cum epistolis ex regis Ezechiæ imperio & principum eius, in vniuerso Israel prædicantes. Reuertimini ad dnm Deū vest. ū, & venite ad sacrificium eius. s. ad faciendum phase. i. ad suscipiēdum corpus Domini. Et quidam viri acquiescentes cōsilio venerunt, aliis irridentibus atque subsannantibus eos. Io.3. Hoc est iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant. n. eorum opera

opera mala, quaſi dicat. Iuſto iudicio excommunicantur, & condemnantur qui plus diligunt peccatis inhærere, quàm ſe præparare, & Chriſtum ſuſcipere. Canon. Qui pro ſceleribus ſuis duobus, vel tribus annis non communicant, excōmunicandi ſunt donec pœnitentiam agant. Luc. 14. Nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabunt cœnam meam. Secundum circa hunc modum conſiderandum, eſt magnitudo felicitatis bonorum corpus Chriſti digne ſumentium. Et hoc probatur a tribus, ab optimæ partis electione, a Spiritusſancti participatione, ab ipſius Chriſti certa inhabitatione. Primo, probatur felicitas digne communicantiū magna ex optimæ partis electione, quia ſicut beata Virgo ſibi tribus propoſitis.ſ. eſſe matrem & non virginem, vel eſſe virginem & non matrem, vel eſſe virginem & matrem, vltimam & optimam.ſ. eſſe matrem & virginem ſimul elegit: ſic inter tres modos corpus Chriſti manducandi elegerunt optimam partem.ſ. ſacramentaliter & ſpiritualiter ſimul. Hanc vltimam partem.ſ. de primo modo comedere ſacramentaliter, & de ſecundo modo comedere ſpiritualiter eligunt, & ſic ex vtraque parte quod melius, eſt comedunt, & ideo multum felices ſunt. Eccl. 2. Laudaui igitur lætitiam, quòd non eſſet homini bonum ſub ſole, niſi quòd comederet, & biberet, atque gauderet. quaſi dicat. Expertus ſum plurima genera gaudiorum & delectationum carnis & mundi, & hæc omnia vanitas, & finis eorum mœror & luctus: vnde laudaui præ omnibus lætitiam, ſcilicet veram, ideſt, teſtimonium bonæ conſcientiæ, & quòd non eſſet homini ſub ſole, ideſt, melius in hoc mundus, niſi quòd comederet panem, ſcilicet qui de cælo deſcendit, & biberet uinum quod lætificat cor hominis, ſcilicet ſanguinem Domini. Secundo, probatur felicitas iſtorum magna: a Spiritusſancti uera participatione. Pſalm. 80. De petra melle ſaturauit eos, quia ſcilicet felices de corpore Chriſti ſugunt dulcedinem Spiritusſancti. Sapient. 12. Quàm ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in nobis, qui ſcilicet fluit in nobis de tuo corpore. Auguſtin. Participatione corporis & ſanguinis Chriſti homo uiuit non umens tantum ſacramentum, quod & mali faciunt,

ſed pertingens vſque ad ſpiritus participationem, vt in corpore Domini tanquàm membrum maneat, & eius ſpiritus vegetetur. Tertio, probatur ab ipſius Chriſti certa inhabitatione. Io. 6. Qui manducat carnem meam &c. Hilarius. Accepta carne Domini & hauſto ſanguine id efficitur, vt nos in ipſo, & Chriſtus in nobis ſit. Eſt enim in nobis Chriſtus per carnem, dum carnem eius accipimus, & in eo ſumus, dum ſe cum hoc quod nos ſumus, in Deo eſt. Tertium circa hunc modum conſiderandum eſt ratio remanducationis digne manducantium, de qua remanducatione dicitur ꝙ tales manducant, & manducãtur. Et huius ratio eſt, quia dũ corpus Domini digne a fidelibus manducatur, non ipſum vt alius cibus in manducantem conuertitur: ſed econuerſo illud vere manducans in illud ſpiritualiter mutatur. Nam manducantem ſe Dominus ſui corporis membrum facit, & ſibi incorporans per charitatem vnit, & imagini ſuæ bonitatis ſimilem efficit. 1. Corint. 10. Vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane participamus. Item 12. Vos eſtis corpus Chriſti & membra de membro. Quod vere manducando corpus Chriſti non in nobis, ſed nos in illo cõuertimur, triplici ſimilitudine probatur. Prima, ſumitur de virtute amoris noſtri. Hæc eſt enim vis amoris, transformari cor amantis in amatum, ideſt, amati fortunæ proſperę & aduerſæ aſſimilari. Hugo. Ea vis amoris eſt, vt talem te eſſe neceſſe ſit, quale id eſt quod amas, & cui per affectum coniungeris in illius ſimilitudinem ipſa quodammodo dilectionis ſocietate transformaris. Canti. 8. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, ſuper cor tamquàm ſuper ceram calidam, puram & mollem, aptam ſuſcipere impreſſam imaginem. Super cor ergo calidum amore Dei, purũ munditia ſui, molle pietate proximi, corpus Chriſti vt ſigillum ponitur, non vt ipſum quod immutabile eſt, in nos mutetur, ſed nos in imaginem bonitatis eius tranſmutemur. Secunda ſimilitudo ad idẽ ſumitur de virtute rei maioris. Nã ſi gutta aquæ in magnum vas vini fundatur, virtute multitudinis vini aqua ex toto in illud mutatur: ſed virtus Dominici corporis ineffabilis eſt magnitudinis, & nos multum exigui reſpectu illius. Pſal. 146. Magnus Dominus &c. Idem, Subſtã

tia

tia mea tanquàm nihilum ante te. Isa. 40. Ecce gentes quasi stillæ situlæ. Magnitudo itaque virtutis & dulcedinis Christi infusa exiguo & humili cordi nostro, vincit illud, & a se deficere faciens in illam conuertit, vt iam non mundanis hominibus non nobis ipsis, sed Christo in volūtate sermone, bona conuersatione similes simus. Psal. 118. Defecit in salutare tuum anima. Tertia similitudo ad idē sumitur de virtute rami arboris. Hæc est enim proprietas surculi bonæ arboris, si trunco inseratur etiam syluestri, quòd naturali virtute præualens illius amaritudinem in suam dulcedinem & nobilitatem conuertit, & similem sibi bonū fructum proferre facit. Sic corpus Christi nobis insitum defectus nostros euacuat, & in suam nos bonitatem trahit, vt quales ipse frondes, flores, & fructus iustitiæ facit, tales & nos per eum faciamus. Hinc Spiritussanctus dicit Ezec. 17. Sumam de medulla cedri sublimis, & de vertice ramorum eius, & plantabo in mōtem excelsum, & rumpet in germē, & faciet fructum. Cedrus sublimis est Deus pater, rami eminentiores antiqui patres, vertex ramorum beata Virgo medulla cedri æterna Dei sapientia, pars de ramorum vertice, caro sumpta de Virgine. Spiritus ergo sanctus medullam cedri, & partem de suum ramo sumpsit, quia Christi incarnationem fecit, & hunc quasi surculum nobilissimum plantat in montem excelsum, cum fidelibus a terrenis desideriis ad cælestia eleuatis Dominici corporis tribuit sacramentum. Hinc fructus erupit, quia cor fidele propria amaritudine relicta vitiorum virtute corporis Domini similes Christo spirituales frondes, flores, fructus virtutum, & bonorum operum facit. Hinc dictum est Augustino. Cibus sum grandium. Cantic. 2. Trahe me post te, me scilicet mutando in te violentia meæ dilectionis magnitudine tuæ dilectionis, virtute firmæ insertionis, vt non maneat in me radix amaritudinis: sed præualeat operando in mē virtus & dulcedo tuæ bonitatis. Gal. 6. Viuo ego, iam non ego &c.

CAP. XXI.

De duodecim effectibus, siue fructibus corporis Christi contra nostros duodecim languores, & primo de quatuor primis.

VEnite, comedite &c. Thema speciale. Pater meus vsque modo operatur &c. Ioan. 5. Aliud. Altissimus de terra medicinam plasmauit. Eccl. 38. Thema proprium. Benedictus fructus ventris tui. Luc. 1. Ascendam in palmam, idest, in crucem, & apprehendam fructus eius. Cant. 7. Sextum principaliter circa sacramentum Dominici corporis notandum, est effectus bonitatis suæ siue virtus spiritualis. Nam quia parentes primi per vetiti a Deo pomi gustum corrupti multas infudere miserias suo generi, necessarium fuit medicamēto Saluatoris miseris subueniri. Circa quod sciendum, quòd nostræ miseriæ sunt tres generales, scilicet vincula culpæ, defectus gratiæ, mortis plagæ. De primo, psal. 118. Funes peccatorum circumplexi sunt me. 2. Parali. 36. in oratione Manasse. Incuruatus sum multo vinculo ferri, idest, peccati. De secundo, psal 138. Imperfectum meū viderunt &c. Itē psal. 142. Anima mea sicut terra sine aqua tibi, idest, sterilis sine fluentia gratiarum & germine virtutum. De tertio, psal. 17. Circundederunt me dolores mortis. Item psal. 38. Amoue a me plagas tuas. Iob. 16. Inimicus meus irruit in me, quasi gigas concidit me vulnere super vulnus. In qualibet istarum trium miseriarum generalium intelliguntur quatuor mala specialia, quasi xii. lāguores speciales, ad quos curandos ordinantur xii. dominici corporis effectus, siue fructus. Apoca. 22. Ostendit mihi angelus lignum vitæ afferens fructus xii. per singulos menses. i. ad curandos nostros xii. defectus, siue langores. Ps. 102. Benedic anima mea Dominum, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis &c. Prima quatuor mala nostra, siue langores sunt quasi vincula culpæ, quibus stringūtur animę. s. dæmonis tentatio, fomitis repugnatio, cordis macula, creatoris offensa. Cōtra hæc valet fructus Virginis. s. corpus Saluatoris. De primo languore, ad Ephe. 6. Induite uos armaturam Dei

turam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Eccles. 21. Multæ sunt insidiæ dolosi. s. de diuersis vitiis, & multis modis tētat. Primæ Petr. 5. Vigilate, quia aduersarius vester &c. Glos. circuit tanq̄ hostis, clausos obsidēs muros, explorat an sit aliqua pars murorū minus stabilis, cuius aditu ad interiora penetret. Offert oculis formas illicitas, & faciles voluptates, vt visu destruat castitatē, aures per canora tētat, vt Christianū molliat rigorē, linguā conuitio prouocat, manus iniuriis lacessentibus ad cædē instigat, honores terrenos promittit vt cælestes adimat Psal. 142. Persecutus est inimicus animā meā. De secūdo, Gal. 5. Caro cōcupiscit aduersus spiritū. Ad Roma. 7. Video aliā legē in mēbris meis repugnantē legi mentis meæ. Aug. Video aliam legē. i. fomitem peccati in membris meis, vt in oculo ad concupiscendū, in lingua ad maledicendum, in manu a malefaciēdum, & sic de aliis: repugnantem legi mentis meæ. i. legi Dei. De tertio, Hierem. 2. Si laueris te nitro, tū maculata eis in iniquitatibus tuis coram me. Prouerb. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato? Eccles. 7. Nō est homo iustus in terra qui faciat bonum, & nō peccet. De quarto, Deuter. 9. Memento ne obliuiscaris quomodo ad iracundiam prouocaueris dominū Deum tuum. Et quāto maior culpa, tanto maior contra peccatorem ira diuina. Zach. 1. Ego iratus sum parum, ipsi autem adiuuerunt in malum. August. Iustitia Dei non sinit esse dedecus culpæ sine decore vindictæ. Contra hæc quatuor mala ordinantur quatuor dominici corporis fructus primi, qui nos liberant a vinculis culpæ: dæmonem fugat, fomitem refrigerat, maculā cordis mūdat, iram Dei placat. De primo fructu. Tob. 6. Si cordis particulā super carbones posueris, fumus eius extricat omne genus dęmonū. Flumen, in quo pisces sunt, significat mundum: omnes pisces eius, diuersa genera hominū: piscis ille magnus, gentē Iudæorum: cor pisces, quasi membrum nobilissimū, & ex quo vita procedit, beatam Virginem: particula cordis significat corpus Saluatoris de Virgine sumptum. Hoc debet super carbones poni, idest, fidelibus accensis igne amoris donari: tunc fumus eius. i. virtus spiritualis, fugat tentationes dæmonū. Psal. 67. Exurgat Deus, & dissi

pentur inimici eius &c. De secundo fructu, psa. eod. Selmon mons Dei, mons pinguis. Mōs Dei est Christus. Selmon interpretatur vmbra: Christus igitur est vmbra nostri refrigerii, quia vt dicit glo. De corpore Christi manat vmbra gratiæ, quæ nobis defensaculum est contra incentiua vitiorū, & carnalis concupiscentiæ: vnde dictum est de Virgine beata. Virtus altissimi obumbrabit tibi. i. vmbram faciet tibi. Vmbra enim fit de corpore & lumine: lumē est verbū Dei, corpus caro Christi. Accessit lumen corpori. i. verbum carni. Verbum enim caro factum est. Dum ergo fidelis corpus Christi sumit, spirituale refrigerium percipit quasi de vmbra gratiæ, q̄ de ipso fluit. Osee 14. Ego quasi ros, & Israel germinabit quasi lilium. De tertio fructu, Isa. 6. Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulit de altari, & dixit. Ecce tetigi labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mūdabitur. Lapis iste præcisus sumptus de altari, significat corpus Christi, & dū eo os cordis tangitur, peccatum veniale mundatur. Grego. Dominus dedit nobis sacramentum salutis, vt qui quotidie peccamus, & ille iam mori pro peccato non potest, per hoc remissionem consequamur. De quarto fructu, Prou. 21. Munus absconditum extinguit iras. Leui. 2. Si de craticula fuerit oblatio simila conspersa oleo, tollet memoriale de ipso, & adolebit super altare in odorem suauitatis Domino. Panis in craticula coctus, & oblatus, & aspersus oleo, Christus est in cruce pro nobis passus, et totus vnctus Spiritusancto. Huius sacrificii memoriale est hostia, quæ offertur in memoriam passionis dominicæ. Hæc debet et super altari adoleri. i. accendi, quia in corde fideli cum feruore desiderii & deuotionis suscipi. Hic odor suauitatis est Domino. i. tā gratus Deo, vt ob eius gratiam remittat iram suam, et nos sibi reconciliet, et ad æternam pacem perducat. Amen.

CAP. XXII.

De quatuor fructibus secundis.

VEnite, comedite &c. Secunda quatuor mala nostra, siue languores, sunt quatuor defectus gratiæ, quibus multæ

multæ laborant animæ, scilicet defectus in cognitione sui, in dilectione proximi, in sapore spirituali, in consummatione boni. Contra hæc valet fructus ventris Virginis, corpus Saluatoris. De primo languore. Genes. 1. Tenebræ erant super faciem abyssi: quia ab antiquo cor hominis obuolutum fuit ignorantia sui. Hierem. 14. Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Psal. 18. Delicta quis intelligit? &c. quibus. s. vel alios peccare feci, vel aliorũ peccatis cõsensi. Matt. 7. Quid vides festucã in oculo fratris tui, & trabẽ in oculo tuo nõ vides? De secũdo, Matth. 23. Q̃m superabundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum, Eccles. 43. Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ex aqua. Defectus amoris probatur ab exterioribus signis. 1. Ioan. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Hiere. 9. Vnusquisq; a proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantãs supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem deridebit, & veritatem non loquetur. Prouerbiorũ 10. Pondus & pondus, mensura & mensura vtrumque abominabile est apud Deum. Glos. Diuersum pondus, & diuersam mensuram habet in domo sua, vt aliter sibi, aliter proximo metiatur, qui in suis semper actibus quæ laudentur, in proximi quæ vituperentur quærit: sed qui in temporalibus sibi maiorem proximo minorem mensuram dare studet, quia defectum dilectionis habet, Deo displicet. Similiter est de eo qui malo verbo, vel facto proximum contristatur, lędit: vel damnificat. De tertio, Hiere. 31. Omnis qui comederit vuam acerbam, obstupescẽt dentes eius. Grego. Quid est vua acerba, nisi peccatum? Vua quippe acerba, est fructus ante tempus. Quisquis enim præsentis vitæ dilectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Sed qui vuam acerbam comedit, dẽtes eius obstupescunt: quia qui præsentis vitę, & mundi delectationibus pascitur, interni sensus eius ligantur, vt iam spiritualia sapere nequeant. Hoc figuratum est. Numeri 11. In populo Israel qui in Aegypto carnibus cum alio & cepis satiatus

tiatus fuerat, & poſt in deſerto talia concupiſcens, panem cæleſtem, ſcilicet manna dulciſſimum cum nauſea reſpuebat. 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea quę ſunt Dei. Auguſt. Animalis dicitur carnalis homo qui fertur diſſoluta laſciuia animæ ſuæ. De quarto, Gal. 3 Sic ſtulti facti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummamini. Prouerbiorum 2. Relinquunt iter rectum, & ambulãt per vias tenebroſas. Luc. 8. Qui ſupra petram, hi ſunt qui cum audiunt verbum, cum gaudio ſuſcipiunt, ſed radicem non habent, ſcilicet ſtabilitatem firmæ voluntatis, quia ad tempus credunt &c. Cãt. 7. Mane ſurgamus, & videamus ſi floruerit vinea, flores fructum pariunt, Glo. Non eſt intuendum ſi vinea floret, ſed ſi flores ad partum fructuum conualeſcunt, quia ſcilicet non eſt mirum ſi quis bona inchoat, ſed valde mirabile eſt ſi intẽtione bona in bono opere perſeuerat. Contra hæc quatuor mala ordinãtur quatuor ſecũdi fructus corporis Domini, qui nos hic in gratia perficiũt. Intellectum enim ad ſe cognoſcendum illuminat, voluntatem ſiue affectum in dilectione Dei inflammat, memoriam ſpirituali dulcedine delectat, totum hominem in bono confirmat. De primo fructu. Prouerbiorũ. 24. Comede fili mel, quia bonum eſt. Mel eſt ſapiẽtia Dei increata in cibum dulcem nobis præparata. Hoc bonum eſt ad ſpiritualem medecinam, quia illuminat mẽtem. 1. Regum decimoquarto. Vidiſtis quia illuminati ſunt oculi mei, eo quòd guſtauerint paululum de melle? Iſa. 7. Butyrum, & mel mãducabit omnis qui relictus fuerit, & ſciat reprobare malum & eligere bonum. Pſalm. 26. Dominus illuminatio mea: accedite ad eum, & illuminamini, ſcilicet ad cognitionem veſtri. De ſecundo fructu dicitur Iſa. 6. quòd angelus tulit calculum de altari, & tetigit os Iſaiæ. Calculus eſt carbunculus ſic dictus, quia ignitus vt carbo, & ſignificat corpus Domini de altari ſumptum, & charitate inflammatum, quia accendit amore corda fidelium. De tertio, pſalm. 33. Guſtate, & videte, quoniam ſuauis &c. Eccleſi. 49. Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris facta opus pigmentarii in omni ore, quaſi mel indulcabitur. Ioſias qui interpretatur fortitudo Domini, ſignificat Chriſtum, dicit Gloſa. Memoria Chriſti,

ideſt

idest sacramētum corporis eius, quod in memoriam sui iussit consecrari, opus est odoriferum veri pigmentarii, idest, Spiritussancti, qui illud composuit de preciosissimis speciebus, scilicet de carne virginali, & sapientia Dei. Hic quasi mel in ore cordis indulcoratur, si virtus eius in salutem humani generis pie cogitatur. Cant. 2. Sub vmbra illius quem desiderabam sedi. Primo, fidelis anima Christum desiderat, æstuat spiritu & siti. Secundo, vmbram desiderii in spe fructum obtinendi sentit. Tertio, sedet, expectat, orat ut se totum ad ipsam reficiendam & uiuificandā fructus infundat. Quarto, infusam eius dulcedinem suauiter gustat. Nota. Sed diceret aliquis. Ecce sæpius vt possum me præparo, corpus Domini sumo, sed nihil sentio solatii spiritualis dulcedinis. Respōdeo. Cibus iste, siue fructus medicina est hominis: unde sicut medicus peritus quandoque quibusdam dat medicinam dulcem palato corporis & quādoque non sic, sed dulcem palato mentis, quæ quamuis nō gutturi, tamen bene sapit rationi, pro eo quòd sanam mentem delectat. Sic Dominus dat suis fidelibus dulce semper corpus: sed dulcedinem suā alio modo istis, alio istis prout cuilibet expedire nouit. Hinc est, quòd quidam dulcedinem istam sapiunt per affectum, & ardentiori delectantur deuotione, & alii eandem dulcedinem sapiunt per pium intellectum, & sufficienti reficiuntur vtilitate in eo quòd credunt, & intelligunt per hunc cibum sanctum ueram uitam obtinere. Igitur quāuis non sapis dulcedinem Domini primo modo, idest, per affectum firmæ deuotionis, sapis tamen secundo modo, scilicet per intellectum multæ utilitatis. De primo, Isa. 55. Audite audientes me, & comedite bonum. Ambros. Panis candidissime habens omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem, qui nos semper reficit, comedat cor meum & dulcedinem saporis &c. Panis dulcissime sana pa. &c. ut sentiat suauitatem amoris tui Sana illud &c. De secundo est illud. Fructus eius dulcis gutturi meo, idest, pie, & fideli menti, quæ credit & intelligit hunc cibum sanctum sibi esse utilissimum. Glos. Dulcis fructus gutturi cordis, quia in eo intelligit causam vitæ, dum etiā corporaliter percipit. Hæc

dulcedo

dulcedo valet contra tria mala quæ sunt in mundo. Require supra sermone decimonono. Postmodum de quarto fructu. psalm. 103. Panis cor hominis confirmet, quia scilicet corpus Christi fideles suos in bona vita confirmat, & confortat. Finaliter, tertio. Regum decimonono. Comedit Helias panem quem angelus ministrauit &c. Horeb interpretatur mensa. Mons ergo iste est mons mensę Dei, & significat satietatem cælestis gloriæ. Panis itaque corporis Christi confortat nos in vita bona, & bono opere quadraginta diebus & noctibus, idest, toto tempore præsentis pænitentiæ vsque ad montem, & mensam Dei, idest, quousque veniamus ad altitudinem securitatis, & satietatem dulcedinis æternæ gloriæ. De his quatuor fructibus simul per figuram dicitur, quarto Regum 4. Eliseus incubuit super puerum, posuitque os suũ super os eius, & oculos super oculos eius, & manus super manus eius, & calefacta est caro pueri. Per puerum fidelis anima, per Eliseum Dominus significatur, qui sicut sigillum ceræ, sic se coniungit animæ, oculos suos super oculos eius ponit, quia intellectum illuminat, carnẽ calefacit, quia affectum charitate inflamat: os super os ponit, quia gustum memoriæ dulcedine spirituali delectat: manus super manus ponit, quia in bono opere vsque in finem conseruat, & sic totum hominem perficit, vt ad vitam æternam perducat. Amen.

CAP. XXIII.

De quatuor fructibus tertijs.

VENITE, comedite. Vel similia de effectu. Tertia quatuor mala nostra, siue languores, sunt quasi mortis plagæ, quibus multæ grauantur animę, scilicet debitum mortis æternæ, defluxus bonæ vitæ, exilium mundanæ miseriæ, incineratio corporalis materiæ. Contra hæc valet fructus Virginis, corpus Saluatoris. De primo languore. Ad Romanos. 6. Ego carnalis homo, venundatus sub peccato. Primi enim parentes vendiderunt se & suam progeniem ad perpetuam seruitutem diaboli, quod est ad æternã mortem

mortem pro modica delectatione peccati. Gene.2. De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. In quacumque enim die comederis ex ea, morte morieris, idest, te & posteritatẽ tuã ad æternam mortem obligabis. Ad Rom.6. Per vnum homĩnem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Mors, idest, certitudo mortis temporalis, & debitum æternæ mortis, nisi subueniret redemptio Saluatoris. Ephe. 2. Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri debitores æternæ mortis. De secundo psal.101. Dies mei sicut vmbra declinauerunt. Item, psal.11. Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus. Gene.47. Dies peregrinationis meæ, centum triginta annorum, sunt parui & mali, & non peruenerunt ad dies patrum meorũ. Item Genes. 6. Sensus & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua. De tertio, Genes.3. Emisit Dominus Adam de paradiso voluptatis, vt operaretur terram. psalm. 119. Heu mihi, quia incolatus meus &c. Ad Hebr.11. Iuxta fidem defuncti sunt omnes non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram. Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere, & siquidem illius meminissent de qua exierant, habebant vtique tempus reuertendi: nunc autem appetunt meliorem, idest, cælestem. Hinc flens canit Ecclesia. Salue regina misericordiæ. Glosa super canonicam Iacobi. Ne indignemini, si mali in mundo florent, si vos patimini, quia non est Christianæ dignitatis in temporalibus exaltari, sed deprimi potius. Mali enim nihil habent in cælo, vos nihil in mundo. Vnde spe illius boni, ad quod tenditis, quicquid in via cõtingat, gaudere debetis. De quarto, Gene. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua assumptus es, quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris. Iob.4. Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me. Ecclesiastici 14. Omnis caro fœnum, & sicut folium in arbore viridi. Glos. Sicut fœnum in terra, & folium in arbore crescit, virescit, marcescit, arescit, & deiicitur, ita caro nostra. Contra hæc quatuor mala ordinentur quatuor circunstantiæ fructus Dominici corporis, quæ saluam nos a plagis mortis. Ab æterna enim morte liberat merita bonæ

vitæ

vitæ multiplicat,ad patriam vitæ deducit, ad æternam vitam corpus resuscitat. De primo fructu. Io. 6. Ego sum panis vitæ:patres vestri mãducauerunt manna,& mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens,vt si quis ex ipso mãducauerit,nõ moriatur,quia.s.non solũ ab æterna morte,quę est in inferno,sed ẽt ab illa quæ fuit in limbo , virtute corporis Christi liberatur. Et insup hæc breuis mors corporis in vitã æternã,quę est in cælo,eidem commutatur. Osee 13. De manu mortis liberabo populum meũ. De secundo fructu. Io.6. Panis quem ego dabo,caro mea est pro mundi vita , quia pro multiplicandis meritis bonæ vitæ. Sicut.n.puer paruulus per cibũ corporalem crescit magnitudine,robore,& decore , sic fidelis per cibum spiritualem proficit meritis bonæ vitæ. Io.10. Ego sum pastor bonus. & infra. Ego veni vt vitam habeant,& abundantius habeant,ps. 137. Multiplicabis in aĩa mea virtutẽ. Io.14 Qui manet in me, & ego in eo &c. De tertio fructu. Io.6. Ego sum panis viuus&c.i.deducã eum de exilio præsentis miserię ad cęlũ. Ambrosius. Dñici corporis figura præcessit , quando Dñs in deserto patribus manna pluit,quia sicut ille panis populũ per desertũ ad terram promissionis duxit, hæc esca cælestis fideles huius sæculi desertũ transeuntes in cælum subuenit. Vnde recte viaticum appellatur, quia in via deficiens in patriam vsq; perducit. Hiere. 12. Reducam virum ad hæreditatem suam. Prouerbiorum 3. Lignum vitæ est his qui apprehenderint eã. Glos. sicut in paradiso fuit lignum vitæ,ita per sapientiam Dei,quæ est Christus,vificatur Ecclesia , cuius nunc sacramento corporis & sanguinis vitæ æternæ accepit pignus. Si ergo corpus Christi sumptũ pignus est vitæ æternæ , & pignus non dimmittitur donec id pro quo impignoratur accipitur,profecto per hoc ad vitã æternã perducimur. De quarto fructu. Io.6. Qui mãducat carnem meã,& bibit meũ &c. (vsque in nouissimo die.) Verum.n.hominem resuscitabit. 1. Corinthio. 15. Sicut per vnum hominem ,mors.s.omniũ: ita per vnum hominem, scilicet Christum,resurrectio mortuorum. Sed hoc valde dissimile, vnde sequitur. Omnes quidem resurgemus , sed non omnes immutabimur. Ad Romanos 14. Omnes stabimus ante tribunal Christi &c.

Primæ

Primæ Corin. 15. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit siue bonum, siue malum: sed non omnes immutabimur, quia soli electi propter corporis Christi participationem, scilicet sacramentalem, vel spiritualem, surgent sole pulchriores: reprobi vero resurgent infirmi, & deformes. Daniel. 12. Qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt alii in vitam æternam, qui & fulgebunt quasi splendor firmamenti: & alii in opprobrium, vt viuant semper, quos.s. vt dicitur Esa. 13. Tortiones & dolores vt parturiẽtes tenebunt, & facies combustæ vultus eorum. Quale semen est quod cadit in terra, talis fructus surgit de terra. Similiter, qualis est vita tua dum morieris, talis erit tempore suo resurrectio tua. Seminatur zizania, & surgit ex ea deformis & odibilis herba: seminatur triticum, resurgit frumentum pulchrũ. Hæc figurata sunt. Genes. 41. in somnio regis. Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ atque pulcherrimæ, & septem aliæ de stipula oriebantur tenues & percussæ vredine, idest, vento vrente, qui scilicet eas infirmauit, & denigrauit. Septem spicæ deformes signant omnes reprobos cum magna deformitate in iudicio apparẽtes: septẽ pulcherrimæ, omnes electos cum gloriosis corporibus resurgentes. De primo, Naum. 3. Ecce ego ad te malefica. i. vniuersitas damnatorum, dicit Domominus, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam genti Nuditatem tuam, & regibus ingnominiam tuam. De secuudo, philoso phos. 3. Saluatorem expectamus &c. 1. Corinth. 15. Seminatur corpus corruptibile, surget incorruptibile: seminatur in infirmitate, surget in gloria: seminatũr corpus animale, surget spirituale: seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Amen.

CAP. XXIIII.

De tribus effectibus principalibus.

VEnite comedite &c. vel alia similia de effectu, vel fructu. Sacro sanctũ corpus Dñi tres habet effectus principales

cipales. Primus, est peccatorum destructio. Secundus, bonorum spiritualium largitio, vel augmentatio. Tertius animarum confortatio, vel vitæ æternæ collatio. De primo, Dan. 2. Videbam donec abscisus est de monte lapis sine manibus, & percussit statuam, idest, figmenta peccatorum, & comminuit eam. 1. Ioan. 3. In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. De secũdo, Prouerbiorum 12. Qui bonus est, auriet sibi gratiam a Domino, quia ipse fons totius gratiæ. Ecclesiast. 24. In me omnis gratia vitæ est (vsque ad me omnes) De tertio, psal. 103. Panis cor hominis confirmet, Gẽ. 18. Ponam buccellam panis, & confortate cor vestrũ. Primus effectus principalis corporis Christi est destructio peccatorum, & hoc ad tria, ad dealbandum maculam cordis, ad mitigandum stimulum carnis, ad resistendum cogitationibus prauis. De primo, psalm. 67. Niue dealbabuntur in Selmon. Selmon mons Dei est, & interpretatur vmbra, & sicut dicit glo. corpus Christi significat, quia sicut vmbra fit de lumine & corpore, ita in corpore Christi est lumen diuinitatis, & caro humanitatis. In hoc monte vmbroso super niuem dealbabuntur fideles, quia virtute corporis Christi incomparabiliter a macula peccatorum emundantur. Isa. 43. Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me De secũdo, Exod. 17. Mane ros iacuit in similitudinem pruinæ super terram. Glos. Panis cælestis in similitudinem roris & pruinæ semper apparebat, quia corpus Christi a feruore peccatorum refrigerat. psalm. 88. Tu dominaris potestati maris, mare significat multas miserias hominis, motus fluctuum stimulum carnis. De tertio, Can. 1. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Myrrha seruat corpora a vermibus incorrupta, sic corpus Christi corda fidelium a prauis cogitationibus illæsa, quia cum dilectum Dominum suscipimus, si fasciculum myrræ, idest, amaritudinem passionis eius pia mẽte cogitamus, vermes malarum cogitationum a nobis repellimus. Secundus effectus principalis est bonorum spiritualium augmentatio, & hoc ad tria, ad decorem castitatis, ad feruorem charitatis, ad saporem suauitatis. De primo, Dan. 1. Apparuerunt vultus eorum meliores per omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio. Glo. Vultus eorum quos pa-

nis

nis satiabat, qui de cælo descendit, apparuerunt meliores decore, scilicet castitatis. Vnde & pueri illi casti fuerũt. Cãt. 7. Quam pulchra es, & decora charissima in delitijs. Sicut enim bonum nutrimentum facit ad decorem corporis, sic deliciæ cibi spiritualis ad pulchritudinem castitatis. Ezech. 36. Similam, & mel, & oleum comedisti, & decora facta es vehementer. De secundo, Ecclesi. 32. Gemmula carbunculi in ornamento auri. Glo. Ardentium gemmarum principatum tenet carbunculus sic dictus, quia ignitus vt carbo. Significat autem corpus Christi, quod cor accipientis & ornat castitate, & inflammat charitate. psalm. 49. Ignis a facie eius exarsit, carbones &c. Hinc. 4. Regum. 4. Elisęus incumbens incuruauit se super puerum, & calefacta est caro pueri. De tertio, Genes. 49. Aser pinguis panis præbens delitias regibus. Sapien. 16. Angelorum esca nutriuisti populũ tuum, & panem de cælo præstitisti illis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantiam enim tuam & dulcedinem, quam in filios habes, ostẽdebas. Cant. 5. Comedi fauum cum melle meo, idest, dulcedinem carnis Christi cum dulcedine diuinitatis: bibi vinũ cum lacte meo, idest, dulcedinem sanguinis Christi cũ dulcedine spiritualis consolationis. Tertius effectus principalis est animarum confortatio: & hoc ad tria, ad debellandũ dæmonia, ad sustinendum aduersa, ad operãdum bona. De primo. 1. Regum. 30. Inuenerũt viri Dauid virum Ægyptiũ in agro, & adduxerunt eum ad Dauid, dederuntque ei panem vt comederet, & refocillatus est, & adduxit Dauid ad latrunculos, & percussit eos. Vir Ægyptius significat peccatorem, quem prædicatores adducunt ad Christum per cõuersionem, qui pane Dominici corporis cõfortatus fit dux exercitus Christi ad debellandos dæmones. Ephe. 6. Cõfortamini in Domino, & in potẽtia virtutis eius vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Primi Regum. 7. Factum est autem cum offerret Samuel agnum in holocaustum, exterruit Dominus Philisthiin, & cæsi sunt a filiis Israel. De secundo. 3. Regum 22. Mitte virum iustum in carcerem, & sustenta eum pane tribulationis. In carcerem mittitur, qui in hoc mundo aduersa patitur. Panis tribulationis quo sustenta-

tur, est panis vitæ æternæ, quo ad sustinenda aduersa cōfortatur. Actuum 24. Dicit Apostolus existentibus in periculo maris. Rogo vos accipere cibum pro salute vestra, & omnes sumpserunt cibum confortati, & animæquiores facti sunt. Ad Philip. 3 Omnia possum in eo qui me confortat. De tertio, Prouerbiorum vltimo. Mulier fortis de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Mulier fortis est Ecclesia de gētibus: hæc de nocte surrexit, quia per auditum verbi de tenebris peccatorum ad Christū se conuertit. Prædam domesticis, & cibaria ancillis dedit, quia sacramenta Iudææ missa, quæ suscipere noluit, hæc cum omni desiderio rapuit, & de eis familiam suam idest, fideles pauit. Et hoc vt eos ad tria bona confortaret, ad opera misericordiarū, ad lucrum animarum, ad emptionem cælestium diuitiarum. Vnde sequitur post prædictum cibum. Considerauit agrum, & emit eum, de fructu manuum suarum plantauit vineam. Primum, notatur per fructum manuum: secundum, per plantationem vineæ: tertium, per emptum agrum. Primo, confortamur cibo Domini ad opus bonum. Ecclesia. 33. Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo. Sicut pabulum confortat asinum ad onera portanda, sic panis cælestis seruum Dei ad opera bona perficienda. 2. Thimo. 1. Gratias ago ei qui me confortat in Christi Iesu. Qui enim vere considerat in hoc sacramento immensam circa se Dei liberalitatem, valde confortat eum ad proximi pietatem. Secundo, confortamur ad lucrum animarum, ibidem. Vas electionis est mihi iste &c. nomen meum, scilicet Iesum Christum, quasi cæleste oleum ad sanitatem animarū. Cant. 2. Oleum effusum nomē tuū, de corde Christi pleno fluit oleum gratiæ ad salutem animæ. Tertio, confortamur ad emptionem bonorum cęlestiū. Hinc supra dictum est, quòd mulier fortis post cibum considerauit agrum, & emit eum, virtutibus scilicet, & bonis operibus. Hiere. 32. Agri pretio ementur, & scribentur in libro, & imprimetur signum, & testis adhibebitur. Agri cælestis hæreditatis emētur pecunia virtutū & bonorū operū, & scribentur tā agri quàm emptores in libro vitæ, & imprimētur in corde emptoris, signum scilicet crucis Christi & lumen

men imaginis Dei pro certo pignore, & adhibebitur testis, quia in die iudicii coram omnibus testis erit Dominus, quod vere emisti regnum cælorum pretio bonorum operum. Vel tertius effectus principalis dici potest vitę æternæ collatio, Ioa.6. Si quis mãducauerit ex hoc pane, viuet in ęternum. Et hoc in tribus, in omnium delitiarum præparatione, in omnium desideriorum impletione, in omnium bonorum secura & æterna fruitione. Require hoc in sermone decimo, in fine.

CAP. XXV.

De effectibus corporis Christi sumptis ex tribus eius vocabulis.

VENITE, comedite &c. vel alia vt supra, vel similia de effectu, vel de nominibus corporis Christi. Effectus Dominici corporis possunt sumi ex tribus nominibus, quæ solẽt eidem ascribi. Nominatur.n.q̃nq; verus panis, q̃nq; sacramẽtũ altaris, q̃nq; sacrm̃ charitatis. De primo Io.6. Pater meus dat vobis de cælo panem verum. De secundo, Malac.3. Placebit Deo sacrificium Iuda & Hierusalẽ. De tertio.1.Tim.3. Magnum est pietatis sacramẽtum, quod manifestum est in carne, per partum Virginis: prædicatum est in gentibus, a sanctis Apostolis: creditum est mundo.i. concessum fidelibus in cibum salutis: vnde recte dicitur sacramentum charitatis. Primo, corpus Domini nominatur panis verus, & secundum hoc habet tres effectus. Sicut enim panis tria bona præcipue confert corpori, idest, satiat, confortat & vitam conseruat: sic panis iste satiat spiritum ad fastidium mundi faciendum, confortat animum ad malum culpæ deuincendum, conseruat vitam ad Deum semper laudandũ. De primo, psa.131. Pauperes eius saturabo panibus. Complẽda. Satiasti, Domine, familiam tuam muneribus sacris, & hoc ad fastidium mundi faciendum. Prouerbiorum. 22. Anima saturata calcabit fauum. Grego. Gustato spiritu desipit omnis caro. De secundo, psalm. 103. Panis cor ho-

minis confirmet ad malum, scilicet culpæ deuincendum quia qui carent corroboratione huius panis, vincuntur a vitiis 4.Regum 25. Rex Babylonis & exercitus eius obsedit Hierusalem, & non erat panis populo terræ, & omnes viri bellatores nocte fugerunt ad ortum Regis,idest,ad delitias carnis, & ad campestria solitudinis,idest,ad viam latam quæ ducit ad mortem. De tertio, Eccles.34. Panis egétium, vita pauperis est. Io.6 Ego sum panis viuus qui de cælo descendi.Ego viuo propter patrem, & qui manducat me, viuet propter me:& hęc est vita ad Deum semper laudandũ, psalm.145.Lauda anima mea Dominum &c. De his supra sermone 9. Secundo,corpus Domini nominatur sacramentum altaris,& secundum hoc habet triplicem effectum, scilicet in triplici statu fidelium,idest, in hoc mundo, in cælo in purgatorio. In statu mundi peccata relaxat,in statu purgatorii pœnã alleuiat,in statu cæli gloriam augmentat. De primo, scilicet statu mundi. Leuit.5. Anima quæ peccauerit per ignorãtiam,offeret arietem immaculatum, scilicet Christum, sine quo non fit remissio. Nihil prodest capram,idest, austeritatem pænitentiæ immolare, nisi studueritis in Christi immolatione plenã fiduciã habere, Ioan. 1. Ecce agnus Dei,ecce &c. Paschasius. Licet omnia peccata in baptismo sint donata, infirmitas tamen peccati,idest, fomes in carne remanet. Et quia ex hoc quòd quotidie labimur, saltem in venialibus,ideo Christus pro nobis quotidie immolatur,vt qui semel moriendo mortem deuicit, quotidie recidiua delictorum per hæc sacramenta relaxet. Amb. Sicut quod vbique offertur vnum est corpus, ita & vnum est sacrificium, Christus semel in cruce hostiam pro omibus obtulit, ipsam offerimus & nunc:sed quod nos agimus,recordatio est sacrificii illius, nec causa suæ infirmitatis repetitur, sed nostræ, quia quotidie peccamus. De secundo, Leuit.17. Dedi vobis sanguinem, vt super altari meo expietis pro animabus vestris. In hoc figuratum est, quòd sacrificium carnis & sanguinis Christi valet animabus in pœna purgatorii. Hic sciendũ quòd tres turmæ animarum sunt decedentiũ. Prima peccantium,secunda pęnitentium, tertia innocentium. Primam sacrificium non adiuuat:secundam pœna alleuiat: tertiam si

ne pœna ad cælum subleuat. De primo. 1. Regum. 3. Iuraui Heli, quòd nō expietur domus eius victimis & muneribus in æternū. Domus eius. i. oīum in peccatis persistētiū. Hier. 7. Quia locutus sum ad vos, & nō audistis, & vocaui vos, & nō rñdistis, proiiciā uos a facie mea. i. ab oī bono, quod est ī cęlo & in terra. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, id est, sacrificium laudis, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Prouerb. 7. Qui adulter est. i. amans & adhærens creaturæ vltra mensurā iustitiæ, perdet animam suam, quia zelus & furor viri nō parcet in die vindictæ: nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima, quasi pretiosissimum Christi sacrificium. De secundo est illud supradictum. Dedi vobis sanguinem, vt super altari meo expietis pro animabus. Sanguinem, id est, sacrificium corporis & sanguinis Christi. Sanguis pro corpore simul & sanguine pars pro toto, & quia sanguis in altari nō est sine corpore, nec corpus sine sanguine, pro animabus, scilicet quæ sunt in purgatorio. August. Orationibus & eleemosynis sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari non est dubium defunctorum animas releuari, vt cū eis misericordius agatur a Domino, quàm eorum peccata meruerunt in hoc mundo. Zacha. 13. Partes duæ in terra dispergentur & deficient, id est, infideles, & mali Christiani damnabūtur, & tertia pars relinquetur in ea; id est, pęnitentes: & ducam tertiam partem per ignem, id est, animas pęnitentium per purgatorium: & vram eos sicut vritur argentū & probabo eos sicut probatur aurū: ipse inuocabit nomen meum, & exaudiam eum. Ipse scilicet populus christianus in terra relictus, inuocabit me orationibus & eleemosynis, & sacrificio altaris pro parte ducta per ignem, id est, pro animabus quæ sunt in purgatorio, & exaudiam eum, alleuiando scilicet pœnam illorum, & abbreuiando. De tertio, Prouerbio 21. Munus absconditum extinguit iras, iras. s. Dei, id est, pœnas purgatorii quantum ad animas innocentes: & in præsenti tribulationibus & flagellis factis purgatas. psal. 37. Domine in furore tuo arguas me neque in ira tua corripias me. Quoniā sagittæ tuæ infixæ sunt mihi &c. Furor Dei ardet in inferno, ira in purgatorio, sagitta siue

correptio amoris in hoc mundo. Qui igitur sagittas dominicæ correptionis patiéter portat, furorem inferni, & iram ignis purgatorii duce Domino illæsus euadet. Isa. 43. Noli timere serue meus, cum transieris per ignem, tecum ero: & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, quia ego Saluator tuus. Daniel. 3. Angelus Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem, & fecit ignem fornacis quasi ventum roris flantem: & non tetigit eos omnino ignis, nec contristauit. Tunc laudabant Deum dicentes. Benedicite Domino qui eruit nos de inferno, & eruit nos de medio ardentis flammæ. Isa. 55. In lætitia egrediemini, & in pace deducemini: montes, & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu. De tertio supranominato s. quòd sacrificium altaris gloriam beatorum quodam modo in cælo augmentat. Leuit. 10. Pectusculum sacrificii quod oblatum est, edetis in loco mundissimo tu, & filii tui, & filiæ tecum. Pectusculum sacrificii quod optimum & dulcissimum est de animali, signat dulcedinem effectus corporis Christi, inquantum comeditur in loco mundissimo, idest, inquantum delectat beatos in cælo: quia plurimum gaudent & congratulantur in hoc sacrificio de memoria redemptionis, de aspectu nostræ salutis, de admiratione diuinæ bonitatis. Grego. Eodem momento rapitur in cælum ministerio angelorum sociandum corpori Christi, & ante oculos sacerdotis in altari videtur. Rapitur scilicet corpori Christi consociandum, idest, ad beatos lætificandum. Complenda. Sumpsimus, Domine, diuina mysteria, quæ sicut sanctis tuis ad gloriam, ita nobis ad vitam prodesse perfic as. Tertio, corpus Domini nominatur sacramentum charitatis, & secundum hoc tres habet effectus, quia tria maxime bona operatur in nobis, scilicet, Spiritussancti veram participationem, ipsius Christi certam inhabitationem, in similitudinē imaginis Dei transformationem. De primo. psal. 80. Et de petra melle saturauit eos: quia fideles sugunt de corpore Christi dulcedinem Spiritussancti Sapien. 12. O quàm bonus & suauis est Domine spiritus tuus in nobis, qui scilicet de corpore tuo in nos fluit. Augu. Participatione corporis

& san-

& sanguinis Christi homo viuit, non sumens tantum sacramentum, quod & mali faciunt, sed pertingens vsque ad spiritus participationem, vt in corpore Domini tamquàm membrum maneat: & eius spiritu vegetetur. De secundo. Ioan. 6. Qui manducat carnem meam &c. Hilarius. Accepta carne Domini, & hausto calice id efficitur, vt nos in Christo, & Christus in nobis sit. Est enim Christus in nobis per carnem, dum eius carnem accipimus: & sumus in eo, dum secum hoc quod nos sumus, in Deo est. Ioa. 1. Verbum caro factum est &c. Dum verbum carnem assumpsit, in nostra carne habitauit: & dum nos verbum incarnatum in cibum accipimus, ipsum etiam habitat in nobis. De tertio. Ioan. 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, idest, deiformes, & Deo secundum imaginem similes: nec potest creatura ad maius promoueri, quàm quòd assimiletur suo creatori. Assimilatur autem homo Deo virtute corporis Christi in tribus. In interiori cordis bonitate, in exterioris operis fertilitate, in superiori cælestis regni hæreditate. De primo. 2. Pet. 1. Christus propria gloria sua & virtute, maxima & pretiosa promissa nobis donauit, vt per hoc efficiamur consortes diuinæ naturæ. Maxima promissa, idest, seipsum. Vnde. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis, vt efficiamur consortes diuinæ naturæ, idest, diuinæ bonitatis: quia natura Dei bonitas est. Ambros. Quia dominus Iesus consors scilicet est diuinitatis & corporis, & tu qui accipis carnem eius diuinæ substantiæ in illo participans alimento, idest, vere bonus efficieris ab eo. De secundo, Ezechiel. 12. Sumam de medulla cedri sublimis, & de vertice ramorum eius, & plantabo in montem excelsum, & faciet fructum. Medulla cedri sublimis est æterna sapientia Dei, alti rami eius sunt patres sancti, vertex ramorum est beata Virgo, pars de vertice caro Christi sumpta de Virgine. Surculus igitur sumptus de medulla & vertice, est corpus Christi plenum diuinitate. Iste plantatus in montem excelsum. i. in cor iusti in cęlum eleuatũ, facit similẽ Christo boni operis fructũ. De vtroque ad Gal. 2. Viuo ego iam nõ ego, viuit vero in me Christus,

in me.s.assimilando interiori bonitate, & exteriori bono opere. Hinc dictum est Augustino. Cibus sum grandium, cresce, & mãducabis me, nec tu me mutabis &c. De tertio. Ioan 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit ei potestatẽ filios Dei fieri, ergo & hæredes. Ad Rom. 8. Si filii, & hæredes, cohæredes autem Christi. 1. Petr. 2. Benedictus Deus qui regenerauit nos, idest, de filiis diaboli filios Dei fecit, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem conseruatam in cælis, Amen

CAP. XXVI.

De effectibus sumptis ex tribus alijs corporis Christi uocabulis.

VEnite, comedite &c. Thema de effectu, vel de nominibus corporis Christi. Effectus Dominici corporis possunt sumi ex tribus illis nominibus eius iam supra dictis. Dicitur enim quandoque medicina spiritualis, quandoque manna, idest, panis cælestis, quandoque Eucharistia, idest, bona gratia animæ fidelis. De primo, Ecclesiasti. 38. Altissimus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam. Augu. Suscepit Christus de terra terram, & de carne Mariæ carnem accepit, & ipsam nobis ad saluté mãducandam dedit. De secundo, Apoca. 2. Vincenti dabo manna &c. quasi dicat. Qui se præparat per victoriam vitiorũ, illi dabo manna. i. cælestem panem. s. corpus meum, in quo secrete reconditum est multiplex bonum. Ioa. 6. Hic est panis qui de cælo descendit. De tertio, Eccles. 32. Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. quasi dicat, Præpara te per auditum verbi Dei & obedientiæ, qua taceas. i. cesses a malo, & serues reuerentiam in benefaciendo: tunc dabitur tibi bona gratia, quæ Græce dicitur Eucharistia. i. corpus Christi, Magister. 4. Sententiarum. Sacramentum altaris excellẽter dicitur Eucharistia, idest bona gratia: quia in ea non solum est augumentum virtutum & gratiæ, sed ille totus ibi sumitur, qui est fons totius gratiæ. Primo, cor

pus Domini dicitur medicina spiritualis: & secundum hoc habet tres effectus. Serpens ille malignus infudit humano generi per venenum pomi vetiti triplicem corruptionem, in anima tenebras ingnorantiæ, in carne morbum prauæ concupiscentiæ, & mortem vtrobique. Ad hæc tria curandā valet corporis Christi medicina. Ignorantiæ enim tenebras illuminat, morbū prauæ concupiscentiæ sanat, & mortem destruendo triumphat. De primo, psal. 131. Paraui lucernā Christo meo &c. Lucerna est lumē ī diaphano, idest, perlucido corpore: sic corpus Christi est verbum Dei, quod est lux vera in munda carne, quo scilicet pelluntur a nobis tenebræ ignorantiæ. Luc. 1. Viderunt oculi mei salutare tuum &c. psalm. 26. Dominus illuminatio mea &c. psalm. 33. Accedite ad eum, & illuminamini. De secundo, Isa. 38. Item. 4. Reg. 2. Iussit Isaias vt tollerent massam de ficis, & cathaplasmarent super vulnus regis, & sanaretur. Vulnus, siue vlcus regis est concupiscentia carnis. psalm. 6. Miserere mei Domine quoniam infirmus sum &c. De tertio, Luc. 1. Benedictus fructus ventris tui, scilicet corpus Christi, quod est fructus vitæ valens ad curationem mortis æternæ. Prouerbiorum. 3. Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, scilicet sapiētiam Dei incarnatam. Osee 14. Ero mors tua o mors. De hac triplici corruptione & medicina, supra sermone sexto post principium. Secundo, corpus domini dicitur manna, idest, panis cælestis, quod manna habet similitudinem saporis frumenti, mellis, & olei. De duobus primis. Exod. 16. Gustus eius sicut similæ. De tertio, Numeri 16. Gustus eius quasi similæ cum melle. De quarto. Numeri 15. Fecerunt ex eo tortulas saporis quasi panis. De tribus simul Ezechi. 16. Gustus eius quia similam, mel, & oleū comedisti: & secundum hæc tria habet corpus Domini triplicem effectum. Operatur enim morum honestatem, cordis suauitatem, proximi pietatem: primum significatur in frumento, secundum in melle, tertium in oleo. De primo, Zachariæ 9. Quid bonum eius, & quid pulchrum, nisi frumentum electorum? panis de frumento bonus est, & pulcher in se, & etiam in effectu, quia facit pulchrum: sic corpus Christi bonum & pulchrum facit honestatem morum.

Daniel.

Daniel.1. Apparuerunt vultus eorum meliores corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio. glo. vultus eorum, quos panis satiabat, qui de cælo descendit. De secundo, Prouerbiorum. 33. Comede fili mel, quoniam bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo. Sapien.16. Paratum panem de cælo præstitisti illis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. De tertio, Iob.29. Quis mihi tribuat vt sim secundum dies, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo, & petra fundebat mihi riuulus olei, idest, gratiam pietatis ad bonum proximi. Prouerbiorum 21. Fauus desiderabilis, & oleum in tabernaculo iusti. Quarti Regum. 4. Offerebant vasa, & mulier infundebat oleum. & ait Heliseus, Vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem & filii tui viuete de reliquo. Ecce oleum, idest, opus pietatis proximum reficit, debita soluit, nos ipsos pascit. Primum intelligitur in eo quod fundebat oleum in vasa proximorum: secundum in eo quòd reddidit per oleum debita creditori: tertium in eo quòd ipsa & filii de oleo vixerunt. Tertio, corpus Domini dicitur Eucharistia, idest, bona gratia: sicut autem dicunt magistri, Gratia est influentia diuinæ bonitatis in animam, per quã assimilata Deo fit ei grata, & vitæ æternæ digna: & secundum hoc corpus Domini habet tres effectus, similem Deo animam efficit, gratam & charam Deo reddit, vitam æternam tribuit. De primo. 2. Pet. 1. Christus propria gloria & virtute maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamur diuinæ naturæ consortes, idest, similes Deo per veram bonitatem. De secundo, Cant. 7. Quàm pulchra es & decora in deliciis, quasi diceret. Delicato cibo & potu corporis Christi & sanguinis es nutrita, facta es multum decora, & idcirco grata Deo & chara. De tertio, Io. 6. Qui manducat carnem meam &c. habet uitam æternam. Item, corpus Domini dicitur Eucharistia, idest, bona gratia: et secundum hoc habet valde bonum effectum, scilicet cum illud manducamus, non ipsum vt alius cibus mutatur in nobis, sed nos in illo mutamur. Nam, quia, vt dictum est, gratia est influentia diuinæ bonitatis in animam, per quã similatur Deo, hæc bona gratia, scilicet corpus Christi, influit

influit nobis bonitatem suam, per quam non ipsum nobis, sed nos illi assimilamur, & in eius bonitatem mutamur. Hæc nostra in Christum mutatio potest probari similitudine triplici, prima sumitur de virtute nostri amoris, secunda de uirtute rei maioris, tertia de uirtute surculi arboris. Hæc require supra in sermone uigesimo ante finem.

CAP. XXXVII.

De consideratione sanguinis Christi tribus modis, & primo de primo vt in cruce funditur.

VENITE, comedite panem meum, & bibite uinum quod miscui nobis. Prouerbiorum 9. His uerbis Dominus nos inuitat ad salutare conuiuium, in quo præparauit pretiosum cibum & potum corpus & sanguinem suum, Dicto itaque supra de corpore Christi, dicendum est hic de sanguine. Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus, 1. Ioan. 2. item aliud. Calicem quidem meũ bibetis. Matthæ, 20. Thema proprium. Dignus es Domine &c. quoniam redemisti nos Deus in sanguine tuo, Apoca. 2. vel aliud simile. Septimum principaliter circa sacramentum dominici corporis notandũ, est consideratio sanguinis sacri Vnde sciendum, quòd sanguis Domini tribus modis potest considerari. Primo, vt in cruce pro omni salute funditur: secundo, vt in sacramento a fidelibus sumitur: tertio, vt a saluandis spiritualiter bibitur. Primo modo consideratus, ab inestimabili dignitate commẽdatur. Circa hãc pretiositatẽ quatuor precipue possunt notari. Primũ est pretiositatis magnæ ꝓbatio: secundum, tanti pretii dandi ratio: tertium, virtutis sanguinis magnitudo: quartum, redemptorum sanguine multitudo. Primũ circa pretiositate sanguinis præcipue notãdũ, est pretiositatis magnæ probatio: & hoc probatur a tribus, a virginali origine, a dignitate innocentiæ, a Dei unione. De primo, Ecclesiastic. 24 Ego quasi vitis fructificaui &c. fructus vitis, scilicet, beatæ Virginis vua & vinum, idest,

id est, corpus Christi & sanguis. Vinum igitur honoris ortum de flore vitis, est sanguis Christi pretiosus natus de virginitate. Multum itaque commendat sanguinis Christi nobilitatem & pretiositatem, quòd a nulla, vt alius sanguis, corruptione, sed a virginali flore sumpsit exordium. De secundo, psal. 93. Captabant in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabant. Quanto sanguis innocentior, tanto charior & pretiosior 1. Petr. 1. Non corruptibilibus auro, vel argẽto rẽdempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Iesu Christi. De tertio, Hiere. 13. Agglutinaui mihi omnem domũ Israel, dicit dominus, idest, inseparabiliter mihi vniui totam hominis naturam, scilicet animam, corpus, & sanguinem. Ad Heb. 2. Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse Christus similiter participauit eisdem, idest, filius Dei pro salute hominis habentis carnem & sanguinem assumpsit carnem hominis & sanguinem, & ita vniuit ea sibi & honestauit, vt uere possint dici caro Dei & sangui. Actuum 20. Posuit uos Spiritussanctus regere Ecclesiã Dei, quã acquisiuit sanguine suo. ergo sanguis Christi vere est sanguis Dei: ideo tam pretiosus, quòd vna gutta plus valet quàm totus mundus. Secundum circa pretiositatem sanguinis Christi præcipue notandum, est tanti pretii pro homine dandi ratio: & hæc est triplex. Prima, magni debiti necessaria solutio. Secunda, magni amoris demonstratio. Tertia, magni boni perditi recuperatio. Prima ratio tanti prætii dãdi pro homine. s. pretiosi sanguinis Dei est magni debiti necessaria solutio. Maximo. n. debito obligatus est primus homo, quia tenebatur Deo satisfacere pro se, & toto humano genere, quod rapuerat & occiderat pomum vetitum comedendo, vnde iussus est cum omni progenie mitti in gehennæ carcerem, donec redderet omne debitum per sufficientem hostiam. Iustum est enim secundum peccati quantitatem, & læsæ maiestatis dignitatem fieri satisfactionem: & hoc potest tribus gradibus distingui. Pro minore. n. culpa minor, pro maiori maior, pro maximo satisfactio maxima est faciẽda. Hinc statutum erat in lege pro trãsgressione diuersorũ mandatorum pecus aliquod offerri, vel occidi, & sanguinem

nem eius fundi: sed pro maiori peccato, vel homicidio simplici ipsum homicidam occidi, & sanguinem eius fundi. Ex hoc sequitur, quòd pro tot homicidiis primi parentis, qui omnes homines occidit, quia per eum omnes moriuntur, & pro læsa per hoc maximi creatoris maiestate tã pretiosa hostia deberet offerri Deo, & occidi, & sanguis eius fundi, qui ad minus tantum valeat, quantum omnes homines qui sunt occisi: sed quia talis in omni creatura non poterat inueniri, necesse fuit ad soluendum tantum debitũ, & ad liberandum de inferni carcere genus humanum filiũ Dei hominem fieri omni creatura meliorem, & ipsum pro debito hominis occidi, & sanguinem eius fundi. De primo. Leui. 4. Anima quæ peccauerit per ignorantiam in transgressione, scilicet quorundam mandatorum Dei, offerat Deo vitulum, vel agnum, vel aliquid huiusmodi ad occidẽdum & sanguinem fundendum, ad Heb. 9. Omnia pene in sanguine mundãtur s̃m legẽ, & sine sanguinis effusione nõ fit remissio. De secundo, Gen. 9. Quicumque fuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius: ad imaginẽ quippe Dei factus est homo, Numeri. 35. Non aliter expiari potest, nisi eius sanguine, qui alterius sanguinem fuderit. De tertio, Osee. 13. De manu mortis liberabo eos: de morte redimam eos pretio sanguinis. Dicit interlinearis, de morte. i. plaga & debito æternæ mortis. Bernar. Filius Dei iubetur occidi, vt vulneribus nostris pretiosi sanguinis sui balsamo mederetur. Agnosce anima quàm grauia sunt illa vulnera, pro quibus necesse est dominum Iesum Christum vulnerari: nisi enim essent ad mortem æternam, numquàm pro eis filius Dei moreretur. Secunda ratio tanti pretii dandi est magni amoris demonstratio 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Spiritus quem misit de corpore, aqua quæ fluxit de latere, & sanguis quem effudit de corde, testes sunt dilectionis maximæ psalm. 129. Apud dominum misericordia &c. vt, s. probaretur ad nos amoris eius magnitudo. Ber. Vere copiosa Christi redemptio, quia vndam sanguinis per quinque partes corporis largiter effudit, cum pro redemptione generis humani vna gutta pretiosi sanguinis eius sufficeret: sed data

est copia, vt magnitudine muneris virtus innotesceret diligentis. Vt enim ostenderet quantum te diligeret, non aliter voluit, quàm moriendo te de morte liberare. Aug. O anima mea pretiosa non auro redempta, vel opibus, sed agni immaculati sanguine, attende quid valeas, quid pro te datum sit cogita. Noli temetipsam tradere in perditionem, pro qua Christus suum pretiosum fudit sanguinem. Tertia ratio tanti pretii dandi est magni boni perditi recuperatio: & hoc est triplex. s. libertas a seruitute diaboli, introitus cælestis regni, hæreditas filiorum Dei. De primo, Hier. 30. Redemit Deus Iacob, & liberauit eum de manu potentioris. s. pretioso sanguine Christi. Io. 8. Si vos filii liberauerit, vere liberi eritis. ps. 105. Redemit eos de manu inimici. Luc. 1. Benedictus Dominus Deus Israel &c. De secundo, Heb. 9. Christus introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. & infra. 10. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi. Hiero. Sanguis Christi est clauis paradisi. In passione enim Domini cælum diu clausum, quasi soluto sanguinis eius pretio est apertū. Ioā. 19. Vnus militum latus eius perforauit &c. Glo. Vigilanti verbo vsus est, non dixit vulnerauit, sed aperuit, vt illic vitæ quodammodo ostium panderetur, vnde sacramenta Ecclesiæ emanauerunt, sine quibus ad vitam nō intratur. Sanguis. n. fusus est in remissionem peccatorum, aqua in lauacrum, humanum genus propter debita peccatorum & deformitatem a paradiso cælesti exclusum, necesse habuit ad reditum, & pretio sanguinis Christi à debito absolui, & aqua baptismi a sorde lauari. De tertio, Leui. 25. Si frater tuus vendiderit possessiunculam suam, si voluerit propinquus eius, potest redimere quod ille vendiderat: hoc fecit Christus pretio sanguinis sui. Hinc legitur Num. 35. quòd homicidis expulsis de terra sua, non dabitur libertas redeūdi, nisi post mortem summi Pontificis. Hier. 12. Reducā virum ad hæreditatem suam. Ecclesiastici. 33. Seruus fidelis sit tibi quasi anima tua, quasi fratrē sic eum tracta: quoniā in sanguine animæ comparasti eum tibi. s. quòd hæreditatē tuam quam redimere non poterat sanguine tuo redemisti sibi, vnde tracta eum quasi fratrem, diuidendo secum hæreditatem

reditatem: hinc Luc.32. Clamat de cruce latro. Domino memento mei, & dixit illi Iesus. Amen dico tibi, Hodie me cum eris in paradiso.

CAP. XXVIII.

De duobus aliis circa pretiositatem sanguinis Christi notandis.

THEMA de sanguine Christi, vt supra, vel similia. Tertiũ circa pretiositatem sanguinis Christi, vt consideratur in cruce fusus, præcipue notandum est virtutis magnitudo: & cõsistit hæc in tribus, in diaboli destructione, in mundi redẽptione, in Dei reconciliatione. De primo, Iob.40. Secundum aliã literã. Nũquid capies Leuiathã hamo, supple, sicut ergo Leuiathã est diabolus hamus, siue aculeus in esca est Dei filius in carne humana assumpta absconditus. Isto hamo captus est diabol⁹, & deceptus, quia dũ carnẽ innocentis Christi in cruce mordere, & effundere sanguinẽ iniuste præsumpsit, latẽs acule⁹ diuinitatis potestatẽ eius perforãdo destruxit. Amos.5. Ego exterminaui Amorræum.i.amarũ inimicũ, cuius altitudo cedrorũ altitudo est, & fortis ipse quasi quercus. Hoc figuratũ est. Dan.14. Erat Draco magnus in Babylone, & tulit Daniel picẽ, & adipẽ, & pilos, & coxit pariter, & fecit massam, & dedit in os draconis, & diruptus est. Pix & pili significant similitudinẽ carnis peccati: adeps, sanguinẽ Christi: massa ex his, sacra mẽbra Saluatoris data in potestate hostis: sed dũ hæc iniuste mordere nititur, iuste potestas eius destruit. De secũdo. 1.Cor.6. Empti estis pretio magno. Ad Eph.1. Habemus redẽptionem per sanguinẽ Christi, in remissionẽ peccatorũ. 1.Pet.1. Nõ corruptibilibus auro, vel argenti redẽpti estis &c. Hinc canit Ecclesia. Te ergo, quæsumus, tuis famulis subueni, quos pretioso sanguine redemisti. De vtroq; Heb.2. Quia pueri cõmunicauerunt carni & sanguini, & ipse Christus similiter cõmunicauit eisdem, vt per mortẽ destrueret eũ qui habebat mortis imperium, Diabolum. & liberauit eos. Aug. Quid fecit redẽptor captiuatori

ptiuatori nostro?tetēdit ei muscipulā crucem suam, posuit ibi escam corpus & sanguinem suum. Ille autem sanguinē fudit non debitoris, propter quod iussus est reddere debitores. Hinc canit Ecclesia. O crux gloriosa, per quam diabolus est victus, & mundus Christi sanguine redemptus. De tertio, Ephe. 2. Vos qui aliquando eratis longe, facti estis in sanguine Christi prope. Ipse est enim pax nostra, idest, faciens nobis pacem cum Deo. Ad Colo. 1. Christus est caput corporis Ecclesiæ, pacificans per sanguinem crucis siue quę in terris, siue quæ in cælis sunt. Hinc post passionem & resurrectionem ostendit discipulis cruentas manus & latus dicens. Pax vobis. Hæc pax cum Deo, siue reconciliatio fit per sanguinem Christi triplici ratione. Ratione pretii sufficientis, quod in eo pro nostris debitis soluit. Ratione formositatis, qua nos Deo gratos fecit. Ratione gratissimæ charitatis, quem in hoc facto demonstrauit. De primo. Ps. 68. Persecuti sunt me inimici &c. vsque ad mortem crucis, Quæ non rapui exoluebam. s. pretio sanguinis pro bono pacis, Mat. 26. Sanguis pro vobis fundetur in remissionem peccatorum. De secundo, Eph. 5. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum oblationem & hostiam Deo gratam ad effectū nostræ reconciliationis causa nimiæ dilectionis. Nam si Noe iustus, vt dicitur Eccles. 44. In tempore iracundię factus reconciliatio propter iustitiā, multo magis Christus propter nimiam charitatē, quia obtulit pro nobis Deo priū sanguinē. De tertio, Ro. 5. Iustificati in sanguine Christi. i. de reis iusti, de fœdis pulchri facti, salui erimus ab ira per ipsum, & glorificamur in Deo per Dominum nostrum, per quē reconciliationē accepimus. Item. 1. c. Dilectis Dei, vocatis sanctis i. sanguine Christi tinctis, gratia uobis & pax. Io. 13. Misit aquā in peluin. glo. Sanguinē in terra fudit, & cœpit lauare pedes discipulorū, quia. s. sanguine mundo mundans nos fecit pulchros, & Deo gratos. Apocaly. 1. Dilexit nos, & lauauit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Deo nostro regnum, & sacerdotes. Ecce peccatores Deus sanguine suo lauit, formosos, roseos, & Deo gratos fecit, & sic reconciliauit, vt in curia Dei principes faceret. Quartum circa pretiositatem sanguinis Chri-

ſti præcipue notandum eſt,redemptorum multitudo. Tres enim exercitus magni ſanguine eius ſunt redempti,ſcilicet manifeſti inimici,antiqui iuſti,dubii amici. Primi de uinculo peccati,ſecundi de limbo inferni, tertii de dubietate fidei:propter hæc tria effudit ſanguinem de tribus locis,de manibus,de pedibus,de vulnere lateris. Primo de manib⁹, ut peccatores uirtute ſanguinis a uinculis peccatorum abſolueret,abſolutos ad ſe reuocaret. De primo,Eccl.50. Porrexit ſacerdos magnus manum ſuam in libationem, & libauit in ſanguine vuæ, ut.ſ.peccatorum vincula ſolueret. pſalm.115.Dirupiſti uincula &c. Augu. Chriſtus ob hoc ſanguinem ſuum fudit,ut peccata noſtra deleret. Vnde.n. diabolus nos tenebat,deletum eſt ſanguine redemptoris, non autem tenebat nos niſi uinculis peccatorum. De ſecundo,ſcilicet,ut abſolutos reuocaret. Eſa. 44. Conuertere ad me,quoniam redemi te.gloſſ.ſanguine:quod ſi feceris, cælum,& terra, & omnia elementa in ſalute tua lætabuntur. Econtra,ſi non feceris,omnia cōtra te pugnabunt. Sapiēt. 5.Armabit creaturam &c.Porrexit itaque Chriſtus manū in cruce,& libauit ſanguinem, ſoluens omnes a uinculis peccatorum, & adhuc quaſi aufugientem manu cruenta reuocat peccatorem.Eſa.46.Ego ſum uocans ab oriente auem quaſi de longe,ſcilicet de ſtatu peccati reuocans inſtabilem & refugam animam. Secundo,de pedibus fudit ſanguinem,ut antiquos iuſtos de limbo inferni educendos demonſtraret,& ad patriam cæleſtem deduceret. De primo, Tren.1.Torcular calcauit Dominus uirgini Iuda. Arbor & tortura arboris ſignificat paſſionem Chriſti in ligno crucis: qui uero in torculari calcat, ſanguinem vuæ pedibus fudit,ut multos ex eo lætos faciat.Chriſtus ergo virgini Iuda torcular calcauit,qui in paſſione crucis ſanguinē effudit,& iuſtos in fide corruptos de inferno liberans lætificauit.Zacha.9.Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu,in quo non eſt aqua.ſ.cæleſtis refrigerii. De ſecundo,ut.ſ.eductos de inferno ad cæleſtem patriā deduceret.Hebræ.9. Chriſtus aſſiſtens pontifex &c. (vſque introiuit) & non ſolus,ſed cum magno exercitu iuſtorum, quos de inferno eruens ſecum duxit.Pſal.67. Aſcendens in

altum &c. Esa.60. Dicunt angeli, Quis est iste qui venit de Edom &c. & post. Gradiens in multitudine virtutis suæ, idest, ascendens cum multis fidelibus, quos de inferis potenter secum duxit. Tertio, fudit sanguinem de vulnere lateris & cordis, vt discipulos in fide dubios, & alios multos in fide & bonæ vitæ stabilitate tentatos, & ideo frigidos, & quasi mortuos calefaceret & reuiuificaret, & reuiuificatis suo sanguine iter cæleste significaret, vt post ipsum ruenter currerent. De primo, Ioan.19. Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis, qui scilicet est calidus, & in quo est vita hominis, vt eos frigidos in fide calefaceret, & quasi mortuos in vita bona reuiuificaret. psalm. 101. Similis factus sum pellicano solitudinis. Pellicanus auis est, quæ mox natos & contra eam se erigentes occidens, & mortuos triduo deplorans, cum rostro latus proprium fodit, & sanguinem in eos fundens reuiuificat: sic Christus frigidis in fide, & peccatis mortuis subuenit sanguine cordis. De secundo quasi viuificatis ad instar feræ vulneratæ iter cæleste suo sanguine significat, & sequendum demonstrat. Cantico.3. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, quia attēde me vulneratum propter te: vide sanguinem meum, & sequere me. Ioan. 20. Venit Iesus, & ostendit discipulis manus & latus, scilicet cruentum non solum vt eos in fide confortaret, sed ut per multas tribulationes monstraret. 1. Pet.2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum &c. Hebræ. 13. Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus ergo ad eum extra castra, scilicet delitias carnis fugientes. & passionem eius imitantes. Cantico. In fine. Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque ceruorum, quasi diceret. Curre coram nobis, vt fera corde vulnerata, & sanguine tuo cælestem semitam nobis ostende donec te comprehendamus, & in te delitias æternas capiamus. 1. Corin.9. Sic currite, ut comprehendatis. Amen.

CAP.

CAP. XXIX.

De consideratione sanguinis Christi secundo modo, scilicet ut in sacramento sumitur.

BIBITE ex hoc omnes, Hic est sanguis meus. Matth 26. Sanguis Christi tribus modis potest cōsiderari. Primo, vt in cruce ab infidelibus funditur: secundo, vt in sacramento a fidelibus sumitur: tertio, vt præter sacramentum a saluandis spiritualiter bibitur. Primo modo consideratus, commendatur ab inæstimabili pretiositate. Secundo modo, a multiplici utilitate. Tertio modo, a spirituali suauitate. Quantum ad primum modum, semper est memorabilis: quantum ad secundum, venerabilis: quantum ad tertium, desiderabilis. De primo. Apocal. 5. Dignus es domine quoniam occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo. De secundo, Matth. 14. Hic est sanguis meus noui testamenti. De tertio. 1. Corin. 10. Omnes patres nostri eundem potum spiritualem biberunt. De primo modo considerationis iam supra dictum est in duobus sermonibus: secundo itaque modo considera tur sanguis Christi, vt in sacramento a fidelibus sumitur, & circa hoc tria requiruntur. Primo, quare sacramentum datur sub specie duplici: secundo, quare populus non sumit sanguinem sicut sacerdos sub specie vini: tertio, quæ sit utilitas sanguinis Christi, vt in sacramento a fidelibus sumitur. Primo, quæritur quare sacramentum sumitur sub specie duplici cibi & potus, siue panis & vini: huius triplex est ratio. Prima ad regalis conuiuii perfectionem: secunda, ad redemptionis corporum nostrorum, & animarum simul saginationem: tertia, ad memoriam passionis dominicæ maiorem repræsentationem. De primo, Hester. 1. Rex Assuerus tertio anno imperii sui fecit grande conuiuium cunctis principibus et pueris suis. Cibi inferebantur, vinum quoque vt magnificentia Regia dignum erat. Rex iste significat Christum, qui non primo, vel secundo anno, idest, ante legem, uel sub lege, sed tertio, idest, tempore gratiæ facit conuiuium magnis et pueris fidelibus cibi &

potus. Vt enim ornatum & perfectionem conuiuii sui & mensæ demonstraret, sub specie panis & uini simul sacramentum altaris administrat. Nam ubi alterum deesset, multum laudabile conuiuium non esset. De secundo, psal. 109. Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, qui scilicet obtulit in signum panem & uinum. In pane significans futuram nostrorum corporum redemptionem, in uino animarum. Magister 4. Sententiarum. Quare sub duplici specie sumitur sacramentum altaris, cum sub altera totus sit Christus? Ideo, scilicet ut ostendatur totam humanam naturam, idest, corpus & animam assumpsisse, & totam simul redemisse. Panis enim ad carnem refertur, quam scilicet nutrit: vinum ad animam, quia uinum sanguinem operatur, in quo sedes est animæ, secundum physicos. Vnde si sub alterius specie tantum sumeretur, ad alterius tantum, idest, corporis, uel animæ, nō ad utriusque pariter liberationem valere significaretur. De tertio. 1. Corinth. 11. Hic est calix noui testamenti in meo sanguine, hoc facite quotiescumque sumitis in meam commemorationem, idest, sanguinem meum bibetis in memoriam meę passionis. Expressius enim Christi passio ad memoriam reducitur per considerationem sanguinis quàm corporis. Exod. 12. Erit sanguis uobis in signum in ædibus, in quibus eritis. In signum. Sicut enim agnus sine macula occisus est in liberationem Israel de Aegypto: sic sanguis Christi proprium & expressum memoriale est suæ passionis 4. Regum 3. Viderunt Moabitæ aquas rubeas quasi sanguinem, & dixerunt. Sanguis est gladii, pugnauerunt reges contra se, & cæsi sunt mutuo: reges, scilicet Christus & diabolus, ille humilium, hic superborum, pugnantes in passione Domini, ut quis eorum hominem ad suum seruitium obtineret, ambo sunt grauiter vulnerati. Dę primo, Iob. 16. Hostis meus irruit in me, quasi gigas, concidit me vulnere super vulnus. De secundo, Esaiæ 51. Numquid non tu Domine percussisti superbum, vulnerasti draconem? Vulnerauit itaque vulnere graui, qui cum Christi carnem innocentem mordere præsumpsit, latens aculeus diuinitatis potentiam malitiæ eius perforando eneruauit. Secundo

quæritur,

quæritur, quare populus non accipit sanguinem sub specie vini sicut sacerdos: huius triplex est ratio. Prima est ad habendum vas congruum huius sanguinis contentiuum. Sicut enim vinum vas specialius & diligentius præparatum, in quo seruetur, exigit quam panis, sic sub specie vini sanguis Christi sumendum solum sacerdotibus conceditur, tamquàm uasis Domini ad hoc specialiter cõsecratis, & sacra religione constrictis, & uirtutum pulchritudine excellentius præornatis, hinc triplici vasi electo comparantur in scripturis. i. altari consecrato, cratere ligatæ, aureo scypho. De primo, Deut. 12 Carnibus hostiam ipse vesceris: sanguinem fundes in altari, idest, committes sacerdoti, qui debet esse vas specialiter consecratum, & sanctum, & altare dignum ad suscipiendum sanguinem Domini. Glo. Exod. 30. Altare holocausti significat vitam iustorum, qui carnem suam quotidie crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis, atque in hostiam Deo viuentem offerunt. Ad Romanos 12. Altare holocaustorum est fides pura, doctrina recta, & conuersatio bona Christi ministrorum. psalm. 83. Altaria tua Domine virtutum &c. quasi dicat. O qui sancta, quàm ornata, quàm dilecta debent esse sanguinis Christi vasa. De secundo, Exod. 24. Tulit Moyses dimidiã partẽ sanguinis uictimamũ, & misit in crateras. Cratera est vas vinariũ multis circulis circunligatum, significans religiosorum sacerdotũ uitã virtutibus custoditam, ad Christi sãguinem suscipiendum aptam. Eccle. 6. Iniice pedem tuum in compedes sapientiæ, & collum tuum in torques illius. Decor enim vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutaris. Item infra. Timor Domini scientiæ religiositas. Religiositas custodit & iustificabit cor, iucunditatẽ atq; gaudiũ dabit. De tertio, Ecc. 50. Sacerdos quasi vas auri solidũ, ornatũ omni lapide pretioso, idest, omni genere uirtutum. dicit Glo. Tale itaque vas exigitur speciale & electum, ad suscipiendum sub specie uini sanguinem Christi. Secunda ratio est vitandi periculũ effusionis propter multitudinẽ, quæ se circa altare comprimit. Hinc est quòd Dominus in cæna Apostolis paucis, & ut suis sacerdotibus non solum corpus in specie panis, sed & sanguinem in specie vini de-

dit.Multitudini hominum in deserto panem sine potu distribuit. Tertia ratio est ad præcauendum erroris periculũ. Si enim populus rudis acciperet sanguinem sub specie vini, uix crederet illum esse sub specie panis, cum tamen veraciter sit sub utraque specie. Nam sicut sub specie vini cõsecrati Christi est sanguis per transubstantiationem, ita ibi est corpus per annexionem: & sicut sub specie panis est corpus Christi per transubstantiationem, ita ibi est sanguis eius veraciter per annexionem. Hic enim duo, corpus Christi & sanguis, immo hæc quatuor corpus, sanguis, anima, & deitas, iam vltra non possunt separari: vnde sicut sumit sacerdos sanguinem Christi sacramentaliter de calice, sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso corpore Christi, & est eis tam vtilis, & tam dulcis, ut sacerdotibus qui sumunt eum sub specie vini de calice. Cantico.1. Botrus Cypri dilectus meus mihi, duo sumo in botro, vuam scilicet corpus Domini in cibum, & ex vua sugo dulcem sanguinem in potum. Deuteronom.32. Constituit eum Dominus vt sanguinem vuæ biberet meracissimum. Per hunc potum rectificat Dominus animam, donec perducat ad vitam æternam. Ioan. 6. Qui bibit meum sanguinem habet vitam æternam. De dulcedine huius sanguinis habetur infra sermone 32. circa medium.

CAP. XXX.

De tertio quod circa sanguinem Christi quæritur, & de utilitate sanguinis digne sumpti.

QVÆ vtilitas in sãguine meo, & similia ut prius. Qui bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Tertio, quæritur de sanguine Christi, vt in sacramento sumitur a fidelibus, quæ sit vtilitas, siue effectus. Ad hoc sciendum, quòd sic sumptum possumus considerare tribus modis, scilicet vt potum aquæ viuæ, vt vinum spirituale, vt sacrosanctum mysterium Ecclesiæ. De primo. psalm.77. Percussit petram, & fluxerunt aquæ. Sicut petra significat Christi corpus, ita aquæ illæ

ſanguinem illius,qui verus & viuus eſt potus aquæ. De ſecundo,Prouer.9 Venite bibite vinum,quod miſcui uobis, ideſt,ſanguinem Chriſti multa dulcedine conditū. De tertio,Heb.13.Ieſus extra portam paſſus eſt, vt per ſuum ſanguinem ſanctificaret populum.ergo ſanguis Chriſti res ſanctificans eſt & ſacroſancta.Complenda. Quæſumus, Domine,vt ſacroſancta myſteria præſens remedium nobis eſſe facias & futurum,Iuxta conſiderationem & ſimilitudinem cuiuslibet iſtorum trium habet ſanguis Chriſti triplicem effectum.Primo,poteſt conſiderari potus ſanguinis Chriſti,ut potus aquæ viuæ,ſed potus aquæ, vt dicūt Phyſici,eſt humectatiuus aridorum,extinctiuus incēſorum, delatiuus ad membra ciborū.Similiter potus ſanguinis Chriſti,vt ſignificatur per aquam,tres habet effectus in anima fideli. Arida eius humectat & coniungit, male incenſa refrigerat & extinguit,cibum verbi Dei ad membra uehit, vt bene poſſint operari De primo,Iſa 44. Effundam aquā ſuper ſitientem,& fluenta ſuper aridam, vt ſcilicet anima quaſi puluis arida ad fontale deflua, & ad malum prona potu ſanguinis Chriſti perfuſa,coniungatur, conglutinetur,& roboretur ad bona.pſalm.1.Non ſic impii non ſic, ſed tanquam puluis quem proiicit vētus a facie terræ, quia tentatio diaboli ſpargit cogitationes,eorumque deſideria, locutiones & opera per diuerſa vitia. Exod.5. Diſperſus eſt populus per vniuerſam terram Aegypti ad congregandas paleas,ſcilicet mundi vanitates.Econtra.Ioan.11.Ieſus moriturus erat, ſupple, & ſanguinem ſuum daturus, non tantum pro gente,ſed vt filios Dei qui diſperſi erant, congregaret in vnum,ſcilicet per cordis vnionem,linguæ refrænationem, ſenſuum & morum diſciplinam, uitæ religionem,& fraternam dilectionem.1.Corinth.5. Sitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi,ideſt,per baptiſmum a vitiis ſinceri facti,ita ſitis aſperſione ſanguinis Chriſti quaſi paſta in noua uita & bona compacti. De ſecundo effectu. pſalm.77.Percuſſit petram,& fluxerunt aquæ ad refrigerandum,ſcilicet,prauæ ſitis ardorem.Eccleſiaſtic.3. Ignem ardentem extinguit aqua,quia ſanguis ſignatus per aquam deſtruit feruorem iræ,auaritiæ,& praui amoris & concupi-

ximi. De tertio, psalm. 103. Vinum lætificat cor hominis. Ecclesiast. 31. Exultatio animæ & cordis vinum moderate potatum, idest, sanguis Christi cum mensura fidei. Canti. 1. Botrus Cypri dilectus meus mihi, quia scilicet sumo cum suo sanguine dulcedinem spiritualis lætitiæ ad obliuiscendum dolorem præsentis miseriæ. Prouerb. 31. Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo, bibant & obliuiscantur egestatis suæ. Tertio potest considerari sanguis Christi vt sacrosanctum mysterium Ecclesiæ, idest, vt res sacra & secreta, in qua magna virtus Dei est abscondita, & secundum hoc habet tres effectus supernaturales. Dæmones enim triumphat, gratiam impetrat, in bona vita conseruat donec ad vitam æternam perducat. De primo, Exod. 12. Cum videret Dominus sanguinem agni in superliminario, idest, in mente fideli, non finet percussorem ingredi domus vestras, & lædere. Chrysosto. Hic sanguis abigit dæmones, & longe facit esse. 1. Machab. 6. Ostenderunt elephantis sanguinẽ vuæ, & mori ad acuendos eos in prælium. Multo magis ergo per sumptum sanguinem Christi vincuntur spirituales inimici. Apocal. 12. Factum est prælium &c. Et post. Ipsi vicerunt eum propter verbum testamenti, & propter sanguinem agni. De secundo, 1. Pet. 1. In aspersione sanguinis Iesu Christi gratia vobis ad Heb. 12. Accessistis ad montem Dei, & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel, quia scilicet sanguis Abel clamat ad Deum vindictam, sanguis Christi postulat & impetrat gratiam. Bernardus. O sanguinem Christi summe reuerendum, in altari poculum, in cruce pretium, in cęlo pro nobis ad patrem aduocatum. De tertio, Io. 6. Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobismetipsis, ꝙ si biberitis bonã vitam habebitis. Leui. 17. Anima omnis carnis in sanguine est, anima. i. vita. Philoso. Corruptio, & senectus non nisi paucitas sanguinis est, & postquàm corpus caruerit, corrumpitur corpus: hinc multi moriuntur propter vacuitatem sanguinis. Sicut itaque in sanguine nostro vita est corporalis, sic in sanguine Christi conseruatio vitæ spiritualis, & perductio ad statum vitæ im-

 mortalis.

mortalis. Ioan. 6. Qui bibit meum sanguinem habet vitam æternam.

CAP. XXXI.

De consideratione sanguinis Christi tertio modo, vt a fidelibus spiritualiter sumitur.

PATRES nostri omnes eundem potum spiritualem biberunt, Cor 10. Aug. Biberunt potũ eundem spiritualem quem & nos, corporalẽ vero alterum: quia aqua quæ fluxit de petra, fuit signum sanguinis Christi, quem nos etiam spiritualiter bibimus. Tertio modo, consideratur sanguis Christi vt preter sacramentum a saluandis spiritualiter bibitur. Et circa hoc possunt tria inquiri. Primo, locus vbi iste potus inuenitur: secundo vsus, ad quem quæritur: tertio, suauitas gratiæ, quæ de vsu eius exoritur. Primo quæritur quis sit locus, vbi potus spiritualis sanguinis inuenitur. Ad hoc dicendum, quòd tot sunt loca, quot Christi vulnera. psalm. 77. Percussit petram, & fluxerunt aquæ: sicut ex foraminibus petræ aquam Iudæi, sic fideles ex vulneribus Christi auriunt spiritualem eius sanguinem. Zach. 13. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Responsio, vt. s. sugamus ex eis sanguinem spiritualem. Isa. 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, idest, de vulnerib[us] Iesu Christi sanguinem spiritualem ad sitim malorum extinguẽdam per piam passionis meditationem. Sed ad quid est vulnus lateris? Isa. 40. Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Gloss. quia perforato in cruce latere Christi, effluxit sanguis redemptionis. Filii ergo de longe venient, quia electi de peccatis pænitentiam agent, & filię de latere surgent, quia deuotæ animæ de vulnere lateris Christi spiritualem deuotionis sanguinem bibent per piã passionis meditationem. Hinc in locis a dextris crucifixi depingitur puella hilari vultu & pulchra facie, & coronata designans Ecclesiam, quæ sanguinem Christi reuerenter in calice suscipit, & a sinistris synagoga oculis panno ligatis

tristi facie inclinans caput, & corona decidente, quæ ipsum sanguinem fundit, & adhuc continet, in quo figuratur, quod hæc, & omnis mortaliter peccans tria bona perdit. s. lumē gratiæ, gaudium conscientiæ, coronam gloriæ. Hinc dicitur. Tre. 5. Væ nobis, quia peccauimus, ideo obtenebrati sunt oculi nostri, mœstum factum est cor nostrum, cecidit corona capitis nostri. Puella in dextris sanguinem Christi in calicem suscipit, quia fidelis anima cor mundum vulneribus Christi ad plicans sanguinem eius spiritualiter cum omni deuotione sumit, vnde lumen in cordis gaudium & æternæ gloriæ coronam acquirit. Secundo quæritur quis sit vsus, ad quem sanguis Christi quæritur. Et sciendum, quod ad animam totam cum tribus potentiis suis. s. intellectu, voluntate, memoria perfundendam siue potandam. Exod. 12. Fasciculū hyssopi tingite in sanguine, qui est ī limine, & aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem. Fasciculum hyssopi significat perfectionem & integritatem fidei: limen domus est Christus, per quem conceditur ad cælum introitus. Facsciculum autem hyssopi tingere in sanguine qui est in limine, est per fidem rectam sanguinem passionis Christi deuorare & confirmare: sed debemus eo vtrumque postem & superliminare aspergere. i. intellectum, affectum, & memoriam ita sanguine Christi perfundere, & spiritualiter inebriare, vt intellectus huius sanguinis circa genus humanum virtutem regnoscat, affectus tam ingens erga se beneficium diligendo sapiat, & memoria tanti amoris & largitatis sacramentum numquam obliuiscendo semper teneat. Tertio quæritur, quæ sit spiritalis suauitas gratiæ, quæ de tali vsu, siue de perfusione prędicta sanguinis huius exoritur, & potest dici quòd facit animā quasi paradisum Dei de suauitate huius gratiæ. Primæ Petr. 1. In aspersione sanguinis Iesu Christi grā vobis & pax mulplicetur, gratia virtutū, fertilitas pax, dulcedo cordis, atque serenitas. Hu[9] suauitas gratiæ per irrigationem sanguinis Christi comparatur paradiso Dei. De suauitate huius gratiæ. Eccl. 14. Gratia sicut paradisus in benedictionib[9], idest, sicut hortus Dei in variis deliciarum fructibus, Hiere. 31. Erit anima eorum quasi hortus irriguus, Irrigata enim anima dulcedine san-

 guinis

guinis Christi profert triplicem suauitatem gratiæ, scilicet, dulces flores virtutum, frondes verborum, fructus operum. Primo ex spirituali effusione sanguinis Christi oriuntur in anima quasi in paradiso Dei dulces & varii flores virtutum. Nam sicut sanguis hominis triplicem habet colorem, sanus rubeum, coctus colorem album habet multum vt lac in mamillis: & maxime coctus nigrum, sic spiritualis influentia sanguinis Christi operatur in anima quasi in paradiso Dei flores virtutum varii coloris; scilicet rosas charitatis, lilia castitatis, violas humilitatis. De primo, Ecclesiastici. 50. Iustus quasi flos rosarum in diebus veris, quia scilicet rutilat roseo sanguine Christi virtute charitatis. Cantico. 7. Comę capitis tui sicut purpura regis, quæ scilicet tingitur sanguine cuiusdam animalis. Comæ capitis eius, idest, Christi sunt fideles bonis cum moribus decorantes. Hi sunt vt purpura regis, quia spirituali sanguine Christi perfusi rubent, vt rosa virtute charitatis. De secundo, Ecclesiastici 50. Iustus quasi lilia quæ sunt in trāsitu aquæ, quæ scilicet cadēt castitate, & bene decocti in corde eius Christi sanguinis irrigatione. Apocaly. Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Cantic. 5. Oculi eius, idest, fideles, in futurum sibi prouidentes, sicut columbæ quæ lacte sunt lotæ, idest, sicut simplicium qui bene excocti in mamillis cordis eorum Christi sanguinis irrigatione dealbati sunt; & casti facti. Osee 14. Ero quasi ros, & Israel germinabit quasi lilium. De tertio, Cantic. 2. Iam hiems transiit, imber habiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra flores primi post hyemen sunt violæ nigri coloris, pulchræ boni odoris, & terre vicinæ. Hi flores significant animas humiles ex consideratione sanguinis Christi in passione multum torti quasi denigratos, idest, sibi viles & coram superbis despectos, Ezechiel. 31. Nigrescere faciam stellas cæli, idest, ardentes spiritu charitatis & lucentes verbo veritatis, nigrescere faciam sanguine Christi, vt nigras, & pulchras violas virtute humilitatis. Canticorum. 1. Nigra sum, sed formosa. De his tribus generibus & coloribus florum paradisi Dei. Tren. 4. Candidiores Naza

ræi eius, ideſt floridi niue, nitidiores lacte, quia ſimilantur lilio in caſtitate: rubicundiores ebore antiquo, quia ſimilantur roſæ in charitate: ſapphiro pulchriores, quia ſimilãtur violæ in humilitate. Secundo, ex ſpirituali perfuſione, ſiue potu ſanguinis oriuntur in anima quaſi in paradiſo Dei frondes verborum bonorum & dulcium eloquiorum. Iob. 14. Lignum habet ſpem, ſi pretium fuerit, ſi ſenuerit in terra radix eius ad odorem aquæ germinabit, & faciet comã quaſi cum primum plantatum eſt. Eccleſi. 39. Florete flores, & frondete in gratiam: quia ſcilicet electi non ſolum flores virtutum, ſed etiam verborum bonorum proferunt ex potu ſanguinis Chriſti ad triplicem gratiam, ſcilicet ad peccatorum conuerſionem, ad inimicorum reconciliationem, ad mœſtorum conſolationem. Hinc arbores irrigatæ triplicia proferre leguntur folia, ſcilicet medicinalia, pulcherrima, & viridia. De primo, Apocal. 22. Ezechielis, 47. Folia ligni paradiſi Dei ad medicinam & ſanitatem gentium, ideſt, peccatorum, quia aquæ eius de ſanctuario egrediuntur. Aqua ſanctuarii ſpirituali potus ſanguinis Chriſti efficit verba ſanctæ prædicationis ad ſalutem peccatoris. Malachiæ. 2. Lex veritatis fuit in ore eius, & multos auertit ab iniquitate. De ſecundo, Danielis. 4. Ecce arbor, & folia pulcherrima, & ſubter eam latitabant animalia & beſtiæ, & in ramis volucres cæli, quaſi diceret. Sub folio pulchro animalia ſibi inimica, vt lupus & agnus, columba & vrſus pacificata erant, quia verba ſapientium inimicos reconciliant. Eccleſi. 40. Tibia, & pſalterium ſuauem faciunt melodiam, ideſt, concordiam vocum: & ſuper vtrumque lingua ſuauis faciet concordiam inimicorum. Item. 6. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis, ideſt, bonæ gratiæ, in bono homine abundabit. De tertio, Hiere. 17. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit tamquàm lignum, quod tranſplantatur ſuper aquas, & erit folium eius viride. Viridis color inſpectus maxime in herbis & foliis oculos turbatos reparat & confortat. Vnde per huiuſmodi folia bonorum verba ſignificantur, quæ triſtes & miſeros conſolantur. Eccleſiaſtic. 40. Gratiam & ſpeciem deſiderat oculus tuus, & ſuper hoc

viridės sationes. Prouerbiorum 27. Vnguento, & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoratur. Ecclesiast. 48. Ezechias consolatus est lugẽtes in sempiternum. Iob 29. Cum sederem quasi rex, eram tamen mœrentiũ consolator. Tertio, ex spirituali potu sanguinis Christi oriuntur in anima quasi in paradiso Dei bonorum operum fructus. Ezechiel. 24. Rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum. Rigabo sanguine Christi hortum animæ, inebriabo fructu bonorum operum cælesti dulcedine, idest, irrigati potu sanguinis Christi faciunt dulcem fructum bonorum operum ad vtilitatem proximi, quem etiam ipsi comedunt in retributione cælesti. Amos. 9. Facient hortos, & comedent fructus eorum. De triplici fructu in sequenti sermone circa finem.

CAP. XXXII.

De triplici potu sanguinis Christi.

SANGVIS meus vere est potus. Io. 6. Alia themata, vt supra de sanguine Christi. Potus sanguinis Christi triplex est, vt ex supra dictis iã patet, sacramentalis, intellectualis, spiritualis. Sacramentalis, qui a solis sacerdotibus sumitur sub specie vini de calice. Intellectualis, qui a populis Christianis sumitur sub specie panis de ipso Christi corpore. Spiritualis, qui ab omnibus saluandis sumitur de passione Christi pia meditatione. Primo modo sumptus, peccata quotidiana relaxat: secundo modo, fidelem mentem dulcedine sua delectat: tertio modo, totam animam irrigando fœcundat. Primus potus sanguinis Christi est sacramentalis, quia solis sacerdotibus sumitur de calice altaris. Matth. 26. Accipiẽs Iesus calicẽ benedixit &c. Bibite ex eo omnes. s. Appostoli, quasi soli sacerdotes. Iste potus digne sumptus peccata quotidiana relaxat, & hoc triplici ratione: quia tria mala sunt in peccato veniali. s. quædã macula conscientiæ, quædã pœna tristitiæ, & quædã aduersitas offensæ diuinæ. Cõtra hæc tria mala proprie valet potus sanguinis Christi, qui est purus,

fus,lenis,& pretiofus:ratione puritatis lauat, ratione lenitatis fanat,ratione pretiofitatis placat. Lauat dico confcientiam animæ maculam remouendo. Sanat pœnam triftitiæ corda fidelium confolando. Placat offenfam diuinæ iuftitię pro nobis interpellando. De primo, Ad Hebræ. 9. Sanguis Chrifti emundabit confcientiam veftram. Gene. 49. Expectatio gentium lauabit in fanguine vuę pallium fuũ,ideft, animas noftras. De fecundo, Zachar. 10. Lætabitur cor eorũ quafi a vino. Vinum eft fanguis vuæ,& fignificat fanguinem Chrifti,quem fumimus in altari. Ifte potus cor bonorum lætificat,quia conferendo folatium fpiritualis lætitiæ fanat a triftitia culpæ. pfalm. 22. Calix meus inebrians quã præclarus eft. De tertio, Ad Hebræ. 21. Acceffiftis ad fanguinis afperfionem melius loquentem quàm Abel, quia fanguis Abel clamat uindictam ad Deum, fanguis vero Chrifti poftulat & impetrat indulgentiam. Bernardus. O fanguinem Chrifti fumme reuerẽdum,in altari poculum, in cruce pretium,in cælo pro nobis ad Deum patrem aduocatum. Sciendum,quod tria genera grauiter arguuntur in fcripturis, quæ nimis peccant in fanguine Saluatoris. Primi funt corpore immundi,fecundi corde indurati, tertii procuratores praui. Primi,fanguinem Chrifti in magnis peccatis indigne fumunt: fecundi, ad virtutem fanguinis Chrifti conuerti nolunt: tertii,lucrum de fanguine Chrifti ad prauos ufus conuertunt. De primo 1. Corint. 10. Non poteftis bibere calicem Domini,& calicem dæmoniorum. Calix diaboli eft luxuria carnis & mundi. Deuterono. 32. Fel draconum vinum eorum. Qui hoc potu turbido & immundo inebriantur,& fuper eum fanguinem Chrifti pretium fundunt, quantum in fe ipfis eft ipfum polluunt, & ideo graui pœna digni funt. Genef. 4. Maledictus eris fuper terram,quæ aperuit os fuum fuper terram, ideft, plus quàm caro tua. Ad Heb. 10. Irritam qui faciens legẽ Moyfi fine ulla miferatione duobus, uel tribus teftibus moritur quanto putatis deteriora mereri fupplicia, qui filium Dei conculcauerit,& fanguinem teftamẽti pollutum duxerit, in quo fanctificatus eft,& Spiritui fancto contumeliam fecerit? De fecundo, Hiere. 5. Indurauerunt facies fuas fupra

pettam,

petram, & noluerunt reuerti, quasi diceret. Quidam pertinaces in sua malitia duriores sunt corde, quàm petra, scilicet quàm durus adamas, qui quamuis nulla re possit frangi, scinditur tamen sanguine hirci: sed illi duriores sunt, qui nec virtute sanguinis Christi emolliri possunt, nec a sua prauitate conuerti. Item, duriores sunt quàm petra, scilicet quàm quælibet saxa dura, quia ad clamorem Christi in cruce & eius sanguinis effusione terra tremuit, & petræ scissæ sunt. Sed isti nec ad terribilem vocem prædicationis, nec ad virtutem sanguinis Christi possunt emolliri, & a sua prauitate conuerti. De tertio, Hieremiæ.22. Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingit sinopide, scilicet rubro colore, idest, sanguine Christi, dicit Glo. Qui domum ædificat materialem de male acquisitis, vel ornat superflue de sanguine Christi, idest de rebus ecclesiæ acquisitis sanguine Christi, grauiter peccat: sed multo grauius qui domum spiritualem, idest, familiam prauam, vt prauas mulieres, filios, filias, quasi partes domus vt fenestras, per quas diabolus & fures intrant, & laquearia quasi laqueos diaboli iniuste ædificat & pingit, idest, vestit, vel ornat sanguine Christi. His dicitur væ, idest, grauis increpatio, & æternæ pœnæ comminatio. Secundus potus sanguinis Christi est intellectualis, qui a populo Christiano sumitur sub specie panis de ipso corpore Saluatoris. Nam sicut sub specie panis consecrati corpus Christi est per transubstantiationem, & sanguis eius per annexionem: sic sub specie vini consecrati sanguis Christi est per transubstantiationem, & corpus eius per annexionem. Vnde sicut sacerdos sumit sanguinem Christi sacramentaliter de calice, ita fidelis populus sumit ipsum intellectualiter. De ipso Christi corpore. Iob.39. Pulli aquilæ lambunt sanguinem. Pulli aquilæ sunt subditi ecclesiæ, hi lambunt sanguinem Christi non de calice, sed de ipso corpore Christi. Hic potus fidelem mentem dulcedine sua delectat. Cant. 1. Botrus Cypri dilectus meus mihi. In botro sunt duo, vua in cibum, & in vua dulcis sanguis in potum. psal. 80. De petra melle saturauit eos. Sicut petra corpus Christi incorrupti-

bile,

bile, sic mel de petra significat dulcem sanguine Christi, quem sugunt fideles de corpore Christi. Hæc dulcedo tria bona facit, scilicet contemptum vitiorum, gratiam bonorum eloquiorum, desiderium æternorum. De primo, Prouerb. 27. Anima saturata calcabit fauos. Qui enim de petra corporis Christi melle sanguinis eius saturati sunt, omnis peccati suauitatem contemnunt. Iudic. 9. Dicit arbor ficus, idest, fidelis anima. Nunquid deserere possum dulcedinem meam, vt inter cætera ligna promouear, quasi dicat. Contemno gloriam & delectamenta mundi pulchritudine Dei. De secundo, Cantico. 4. Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua, quasi dicat, quia sub lingua, idest, in corde plena es spirituali dulcedine, idcirco abundas vtili & dulci locutione. Matth. 12. Ex abundantia cordis os loquitur, sicut de vase, sic est de corde. Vas plenum felle effundit amaritudinem, plenum melle, dulcedinem. Vnde Luc. 6. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & econuerso. De tertio, Ecclesi. 24. Qui bibit me, adhuc sitiet. Gregor. In corporalibus appetitus placet, experientia displicet, spiritualis uero dulcedo quanto magis bibitur, tanto magis sititur: quia dum ex pleno fonte stillatim mundo cordi degustando illabitur, eius plenitudo potanda magis desideratur. psalm. 64. In stillicidiis eius lætabitur germinans. Idem. psalm. 41. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Tertius potus sanguinis Christi est spiritualis, qui ab omnibus saluandis sumitur de passione Christi pia meditatione 1. ad Corin. 10. Patres nostri omnes eundem potum spiritualem biberunt. Sicut patres boni de foraminibus petræ aquam biberunt, & in illa sanguinem passionis Christi crediderunt figuratum, & per fidem spiritualem gustauerunt: ita boni Christiani de vulnerum Christi pia meditatione sanguinem eius solent bibere. Isai. 60. Filii tui de longe uenient &c. Hic potus totam animam quasi hortum Dei irrigando fructu bono fœcundat. Ecclesia. 24. Rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum, idest, animæ fideles irrigatæ sanguine Christi facient fructum bonorum operum. Coloss. 1. In omni opere bono fructificantes.

cantes. Fructus bonorum triplex est, scilicet, honestæ conuersationis, sacræ deuotionis, & iucundæ pietatis. De primo pascit homo seipsum: de secundo Deum: de tertio proximum. De primo. Ecclesia. 23. Ego quasi vitis fructificaui &c. Et flores mei fructus honoris & honestatis, idest, honestæ conuersationis. Ad Ephe. 5. Fructus lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Quæ autem in occulto fiunt a filiis tenebrarum, turpe est dicere. Matth. 7. Omnis arbor bona fructus bonos facit &c. Fructu bonæ vitæ pascit quisque seipsum. Prouerb. 17. Qui seruat ficum, comedet fructum eius Isa. 3 Dicite iusto, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. Prouerb. 15. Secura mēs quasi iuge conuiuium: secura ex honestate uitæ. 2. ad Corinth. 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali conuersati sumus in hoc mundo. De secundo, Cantico. 4 Hortus conclusus soror mea, emissiones tuæ paradisus malorum punicorum &c. Emissiones istæ sunt fructus deuotionis. Vnde sequitur. Nardus, crocus, cinnamomum, quæ sunt species aromaticæ, & propter odorē bonum & virtutem suam significant fidelium deuotionem Deo gratam, quæ consistit in sacris desideriis, in variis virtutibus, gemitibus, & orationibus. His fructibus pascit fidelis anima Dominum: vnde sequitur ibidem. Veniat dilectus meus &c. vt comedat fructus pomorum suorum. Exo. 30. Sume aromata boni odoris, faciesque thymiama. Papias, thymiama, est confectio boni odoris ad incensum cultus Dei. Gregorius. Thymiama ex aromatibus facimus, cum in altari cordis virtutum multiplicitate redolemus. Prouerbiorum 8. Delitiæ sunt mihi esse cum filiis hominum, quia scilicet delectatur in amore & deuotione nostra quiescere. De tertio fructu, scilicet pietatis, quo reficitur proximus. Psalm. 51. Ego quasi oliua fructifera in domo Dei. Oliua portat oleum aliis ad lucendum, sanandum, & reficiendum, & significat opus pietatis quod impenditur proximis. Prouerb. 21. Thesaurus desiderabilis, & oleum in tabernaculo iusti ad refectionem, scilicet proximi. Luc. 10. Samaritanus quidam videns spoliatum quasi pauperem, & vul-

& vulneratum quaſi ſubſidio indigentem, miſericordia motus eſt, & appropinquans alligauit vulnera eius, ideſt, ſubuenit neceſſitatibus eius, infundens oleum & vinum quaſi cibum & potum, & curam eius egit. 1. ad Tim. 4. Exercete ipſum ad pietatem. Pietas enim ad omnia vtilis eſt promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ, ad quam nos perducat qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

F I N I S.

Series Chartarum.

a b A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T
V X Y Z. AA BB CC.

Omnes ſunt quaterniones, Præter CC qui
eſt quinternio.

R O M AE,

Apud Iulium Accoltum. 1570.